



II C — 32

JOSEPHI EMMANUELIS

PER AMAS

DE VITA ET MORIBUS

SEX SACERDOTUM

PARAGUAYCORUM.



FAVENTIÆ MDCCXCI.

EX TYPOGRAPHIA ARCHII.

Superiorum permissu.

⊕Ⅲ⊕
FRANCISCO XAVERIO
DE IDIAQUEZ ET C.

Josephus Emmanuel Peramas
Beatitatem.



Uem ego librum vivo tibi, FRANCISCE
XAVIER, numquam fuissem ausus di-
care, cum flens quidem, sed volens tamen &
libens ad religiosos tuos cineres, sacrumque
sepulcrum sisto. Absterruisset me, te super-
stite, gravitas illa tua, & modestia, qua de

te quicquam prædicari oderas, aversatus quæcumque vel in minimam tui commendationem redundarent. Nunc autem cum jam, morte pie obita, ibi sis (ut fas sperare) ubi suus est veris laudibus locus, & præmium virtuti, induxi in animum, ut & de honoribus, quos regni cœlestis causa repudiasti, & de recte factis, quibus tibi illuc iter munisti, aliqua saltem ex parte (nam omnia proprio & justo volumine ad explicandum indigent) ad aliorum exemplum dicerem.

Et vero argumentum ipsum operis mei me cogit quodammodo, ut præter te in ipso scribendi exordio appellem neminem. Senas scripsi totidem Paraguaycorum Sacerdotum vitas, quarum prima est Emmanuelis de Vergara, qui e tua provincia Castellana ann. MDCCXXXIV. (quo anno jam tu illam illustrare cœperas) navigavit in Paraguayam, te illius sorti (prout tua semper fuerunt vota & desideria ad Indorum institutionem in Americam trajicere) invidente, atque optante sequi quem tot Deus naturæ, & divinæ gratiæ donis ornat, & instinctu quodam singulari ad Indicam expeditionem impulerat.

Atque ille quidem cum diu multumque Tucumanicos adolescentes philosophica, ac theologica disciplinis erudisset, totum deinde Peruvium circumcursavit, excoluitque sacris ministeriis, & semel iterumque Apostolicum opus

ursit

ursit CUZCI in urbe, regia olim sede INGARUM IMPP. quos tu, IDIAQUEZ NOBILISSIME, attingebas genere (a). Ita res est, FRANCISCE XAVIER, plurima in Novo Orbe Vergara tuus pro Dei gloria, proque hominum salute ag- gressus est, & egit, carior tibi hoc nomine, quam cum castissimus fuerat in Europa inter studia litterarum, quibus ad certandum bonum certamen fidei se se diligenter parabat.

Nec minus, opinor, grati acceptique tibi erunt quini alii, quorum res gestas narramus. Ex iis unus est Joannes Escandon, qui post cul-

tos

(a) Martinus Garcia de Loyola, Eques Calatraviensis, & a Rege præpositus Chilensi regno, duxit Beatricem Claram Coyam, heredem Principis Ingæ Sayri Tupac (Didaci in baptismo dicti) filii Manco Capac Huascar. E Martino autem, & Beatrice Clara nata est Anna Maria de Loyola, Coya, nupta deinde Joanni Henriquez de Borja, Marchioni de Oropesa: hi postea succedere principatui de Loyola, & Oñaz: ab eis- que venit jure hereditas ista genti Idiaqueziæ. Leges Gabrielem Henao in *Antiquitatibus Cantabricis*.

Lib. III. cap. 35., & seqq. ubi rem fuse explicat.

Illud scribenti de viris Paraguaycis prætermittere hic non licet, Sayrum nempe Tupac, Principem illum Ingam, quem diximus, ad fidem conversum fuisse, atque institutum ad baptismum ab Alphonso de Barcena, Sacerdote in primis docto, peritissimo- que Indicarum linguarum. Is autem unus fuit e primis Paraguaycæ provinciæ, (ubi plurimum laboravit) conditoribus. Vide hist. Paraguay. a Petro Franc. Xav. Charlevoix, Gallo. Edit. latin. Venet. an. 1779. lib. IV. pag. 59.

tos Indos Oceanum remensus, ut supplementum novorum operariorum scriberet, a te non modo plurimi habitus est, sed delectos eidem & optimos adolescentes attribuisti e tua eduotos Villagarsiana disciplina, ut per alumnos tuos (quandoquidem tu retentus a præfectis per te ipse facere id non poteras) miseris gentibus auxilium & opem ferres.

Fuit tamen quiddam majus, quod Indorum res tibi, Indicosque cultores conciliaret. Impellebat te ad Atlantici pelagi transmissionem sanguis tuus, sacer sanguis; eras enim e DIVI FRANCISCI XAYERII familia, atque Xaverianæ heres præfecturæ: teque magnus ille avunculus dies noctesque ad barbarorum populorum æternam felicitatem procurandam stimulabat. Et miramur, si tibi tantopere displicuit Europa? miramur, si adeo America placuit, ac nominatim Paraguay, de qua tu sæpissime & libentissime loqui solitus eras?

Paraguayca te regio magis ad se se alliebat, animumque tuum vehementius inflammabat, ut illuc pergeres spretis periculis, quam deliniebat, ut in veteri hoc morareris Orbe, avita tuorum nobilitas, & patris splendor ac dignitas, & tot majores inclyti, supremi illi armorum duces, illustres provinciarum rectores, fidi Principum consilarii, nec consilarii solum, sed & amici, & propinqui,

quip-

quippe qui conjuncti erant sanguine cum priscis Navarræ Regibus (a).

Vocabat nimirum e Paraguya te affinis tuus MARTINUS XAVIER USTAZUN, Xaveriani olim patrimonii heres (ut tu nuper) qui neglectis honoribus, & domo opulentissima, eo transvectus, dum ad Guairam studebat recentes e silvis Indos civili cultu, & divina fide informare, ærumnis, labore, fame, inopia rerum, malisque aliis oppressus, in angusto, exilique tugurio (ut cognatus ejus S. XAVIER in mapali illo insulæ Sanciani) occubuit (b) in ipso ætatis flore (nondum exacto sexto & vicesimo vitæ anno) immatura nimium raptus morte, instar decussæ a diro turbine rosæ, vel lilii succumbentis gravi ponderi lapsæ grandinis.

Pertinuit is ad maternam tuam stirpem: quid si vero, FRANCISCE XAVIER, paternum consulis genus? poterisne senos Sacerdotes, qui

ad

(a) A principe Leone, Caroli II. Navarræ Regis filio, descendunt Magni Marescalli regni Navarræ, & Marchiones de Cortes, quæ nunc est Idiaquezia familia. Stirps porro Comitum de Xaverio (qui Comitatus pertinet etiam ad Idiaquezium genus) inter majores suos recenset Principem Sancium (DON SANCHO) filium

Ramiri I. Navarræ Regis. Vide celebrem Trincado *Genealog. Regg. & Princip. Europ.* pag. 292. 295. 300. & 341. tertiæ edit. an. 1764.

(b) *Histor. Paraguay.* lib. 6. pag. 85. & Anton. Ruiz de Montoya, qui morienti Ustazun an. 1613. adstitit. *In Conquis. Spirit. Paraguay.*

ad te e Paraguayā veniunt, non admittere? DIVUS IGNATIUS LOYOLA magnus fuit tibi patruus, tuque Loyolæ ditionis natus dynasta es. Atqui IGNATIUS ardore illo suo totum, velut Sol, complexus Orbem terrarum, Emma-nuelem de Nobrega cum lecta Sociorum manu an. MDXLIX. in occiduum litus, & Brasiliam ire jussit. Brasilia autem non solum finitima est Paraguayæ, sed huic (curante rem V. P. Josepho Ancheta, qui cum Nobrega ipso navigarat, & cujus deinde virtutes heroicas Rom. Pontif. rite declaravit) (a) ad barbarorum institutionem eximios Sacerdotes sub initia nascentis provinciæ transmisit (b).

Quid? quod Paraguayā ipsa geminis propinquis, FRANCISCE, tuis e genere Loyoleo gloriatur? Primus est Il. D. Antistes Martinus Ignatius de Loyola, Ordinis S. Francisci, Indorum ille Paraguaycorum vere parens, adeo eorum libertati, & bonis consuluit (c). Is Socios

(a) Declaravit Pontif. Max. Clemens XII. die decima Augusti an. 1736. Lege vitam V. Ancheta a Longaro degli Oddi editam Romæ an. 1771. Ibi ille decretum Clementis affert.

(b) Hoc supplementum enixe petiit per litteras ab Ancheta, qui Brasilicæ provinciæ tum præerat, Il.

D. Antistes Tucumanicus Franciscus de Victoria Ordinis Prædicatorum. (Hist. Paraguay. lib. IV. pag. 52.)

(c) Histor. Paraguay. lib. V. pag. 63. Et Cyriacus Morelli Fast. N. O. & Ordin. Apost. Breviar. pag. 403. ubi longam institutionem pro bono Indorum Antistitis Loyolæ reddit, & explicat.

cios Marcellum de Lorenzana (a), & Josephum Cataldinum in metropolin suam urbis Assumptionis, induxit, tantique fecit, ut non modo præclari illius collegii, sed totius etiam provinciae, quæ inde sibi nomen vindicavit, conditor & auctor dici posse haud immerito videatur. Alter e stirpe tua fuit P. Ignatius de Loyola (b), qui natus Cordubæ apud Tucumanos præcoce morte vivere desiit an. MDCXXXV. Ambo autem hi nomine & cognomine S. IGNATII propterea usi sunt, quod essent a Divi fratribus orti.

At nimium antiqua sequor: propius hæc tempora, atque adeo inter nos illic fuit Laurentius Balda, consanguinitate tibi conjunctus

* 5

qui

(a) Is erat e nobilissima familia urbis LEGIONIS, & affinis stirpi præclarissimæ PONCE DE LEON. Quid si ex eodem genere, quo Emin. Card. D. D. Franciscus Antonius, Archiepiscopus nunc Tole-tanus? Cognomen idem utrique, eadem utrique patria.

(b) De hoc dicitur in Histor. Paraguay. lib. VIII. pag. 125. „Hoc anno „(1635.) Societati Pa- „raguajensi multis nomi-

„nibus charus adolescens,
„ & concepta de eo spes
„ concidit: Ignatius de
„ Loyola in collegio S.
„ Michaelis desideratus.
„ Natus est Cordubæ in
„ Tucumania, Fundatoris
„ Soc. ex fratre abnepos,
„ & in mores deduxerat
„ virtutes a S. Patriarcha
„ maxime commendatas,
„ præsertim perfectam sui
„ abnegationem, & cæ-
„ cam voluntati Superio-
„ rum utcumque significa-
„ tæ obedientiam.

(a), qui genti Patagonicæ e genere, ut ferunt, giganteo per summas rerum asperitates oppidum posuit. O qui complexus, quæ tibi, FRANCISCE, fuissent gaudia, si propinquum hunc tuum, Indicis diu multumque exercitum curis, amplexari tibi licuisset? Verum heu? dum e Paraguya deportatur, pristinis fractus laboribus, & navigationis ærumnis an. MDCCLXIX. mortem obiit in medio Oceano, qui corpus quidem illius afflixit, animum erectum semper impavidumque affligere non potuit.

Hos, FRANCISCE, obsides, hæc sanguinis tui pignora, quæ te jure quodam efficiunt nostrum, pro Paraguaycis Sacerdotibus adducere tibi possem, nec tamen facio. Unum, quod prætereundum silentio non est, me reliquorum oblitum ad se rapit; rapit singularis, atque eximia laus, & decus immortale IDIAQUEZIORUM familiæ. Una hæc utramque IGNATHI, & XAVERII familiam conjunxit, neque id sine maxima causa, & probatissima. Quippe curavit UTERQUE DIVUS e cœlo, ut suorum genus in ea potissimum

(a) Mater S. Ignatii fuit D. Marina Saenz de Licon, & Balda. Hinc Baldæ affinitas cum Loyolis. Jo. Petr. Maffei in vita S. Ignatii cognomen matris corruptit (quod doleo) & posuit Marina Sonæ. Est qui dicat Lauren-

tium Baldam consanguineum fuisse S. Xaverii: sed quo id auctore dicatur, me fugit. Horatius Tursellinus scriptor accuratus in stemmate Xaveriano Baldæ familiæ non meminit.

tissimum consisteret domo, ubi & honestas morum, & virtutum præstantia, & pietas, & avitæ religionis integritas, & sincera fides, & sedulitas domi, militiæque, & cura boni publici, & caritas in patriam, & erga Regem summa fidelitas, perpetuo duraturæ erant.

Restabat, ut FRANCISCUM quoque BORGIAM inter majorum imagines, IDIAQUEZ SPLENDIDISSIME, recenseret. Recensuisti (a): & quod dignius laude est, propiorem tibi BORGIAM exemplo, quam genere fecisti. Ille Dux Gandiæ, Marchio de Lombai, e primis Hispaniarum Magnatibus, Carolo V. Imperatori, filioque Philippo Regi acceptissimus, Regum Aragoniorum pronepos, clarissimus ipse per se rebus gestis, cuncta libens dimisit, ut Societatem JESU amplecteretur. Quid tu vero, quam illi similis? Tu e stirpe Imperatorum, & Regum, tu natus Dux Granatæ ad Egam, tu Loyolæ gentis princeps, tu Xaveriani Comitatus heres, tu Marchio de Cortes, tu Magnus Marescallus regni Navarræ, tu Vicecomes Zolinnæ, tu Philippo V., & filio Ferdinando VI.

(dum

(a) S. Francisci Borgia filius Joannes Borgia, & Aragon duxit Laurentiam de Oñaz, & Loyola, filiam natu maximam Beltramni, cujus fuit pater Martinus, S. Ignatii frater. (Vid. Henao loc. cit.) Heres autem domus de Oñaz, & Loyola fuit Laurentia ipsa, Borgia nupta. Hinc conjunctio familiarum Borgia ac Idiaqueziæ.

(dum in aula apparuisti (a)) apprime carus ,
tu e supremo Optimatum Hispanorum ordine ,
tu tanta dignitate , & tot ornamentis præditus ,
atavorum , proavorum , avorumque , & patris
jura , & titulos , & honores , post gravia cer-
tamina (qualia ALOYSIO GONZAGÆ (b) cessuro
quon-

(a) Propatruus Francisci Xaverii fuit Joannes de Idiaquez , Comes de Salazar . Is fuit regii exercitus Imperator , & Regem Philippum V. inter arma , & belli pericula semper comitatus est . Illum postea Rex idem disciplinæ regię , dignoque cultui , & studiis filii Ferdinandi VI. præposuit (vocant Hispani munus hoc aulicum summi honoris AYO DEL PRINCIPE .) Hinc iidem Philippus & Ferdinandus eximio amore non solum Joannem Comitem prosecuti sunt , sed etiam Franciscum Xaverium , qui simul in aula erat , & quicum libentissime agebat heres ille regni tum ob morum elegantiam , tum ob ingenii acumen & culturam ; amoenioribus enim litteris (quibus plurimum excelluit) dederat jam operam ante iutam Societatem .

Propatruus autem Joan-

nes , cum designatus deinde fuisset regendo Peruvio , dignitati huic renunciavit , maluitque propius Regi obsequi , quam procul Prorex aliis imperare .

(b) Postquam Franciscus Xavier egressus est de cognatione sua , & de domo patris sui , Idiaqueziarum gens affinitatem iniit cum familia S. ALOYSII GONZAGÆ . Nam fratris filius FRANCISCUS BORGIA , patrimonii heres , uxorem duxit filiam DUCIS de Abrantes D. AUGUSTINAM CARABAJAL , & GONZAGA , neptem DUCIS de Sulphurino .

Nova etiam Idiaqueziis affinitas est , cum MOTEZUMIS , Mexici olim Imp. Natu enim major filia e fratre Francisci Xaverii nupsit COMITI de MOTEZUMA , MARCHIONI de TENEBRON , DUCI de ATRISCO ex Hispaniæ Magnatibus .

quondam paterna ditione fuerunt) in fratrem transtulisti, ut eidem, ac BORGIA, Societati nomen dares, tum te ratus felicitatis culmen attigisse, cum tandem delituisti in sacrorum virorum claustris, quæ gaudio peringenti gestire visa sunt, tanto accepto habitatore; erant enim plurima, quæ pius ille secessus & admiraretur, & laudaret.

Laude quippe dignissimum, & mirabile fuit maximopere, tantos te & tot gradus sublimis gloriæ, tamque nobilem, opulentamque familiam deserere; mirum vero magis, & laudabilius, JESU causa, voluntariam paupertatem sequi, complectique sponte tua humile vitæ genus: gloriosum fuit, omnes amplissimi patrimonii, & ditissimæ hereditatis titulos, omnia jura, dominium omne, fratri renunciare; gloriosius, eo te nomine pluris semper fecisse fratrem, quod tibi non detrectarit succedere: præclarum fuit, paratis commodis, & honestis deliciis, & toti famulorum ædis lautæ gregi te terga obvertere; præclarius, angustæ cellæ solitudine delectari, ultroque vel in abjectissimis religiosæ domus muniis famulari Sodalibus tuis: magnum fuit, plausus, quibus jam celebrabaris, fugere; majus tui, tuarumque rerum immemorem voluisse de te semper sileri. Quid multa? generosum fuit, majorum decus in armis (eximia animi & corporis cum esses indole) honorem in toga (cum valeres ingenio)

nio) dignitatem in aula (cum favor te & Regum gratia proveheret) æmulari noluisse; generosius, ex genere tuo ternos tibi dumtaxat ad imitandum proposuisse, IGNATIUM, XAVERIUM, & BORGIAM, quos professione vitæ, atque insignibus virtutum exemplis universæ Hispaniæ oculis repræsentasti.

Et quod quidem ad BORGIAM attinet, re in una te illo (cum vixit curis oppressus) feliciorem non dubitem dicere. BORGIA invitus reluctansque præ modestia totius Societatis magistratum obire coactus est, obiitque prudentissime, probatissimusque fuit Pontif. Max. Sanctissimo PIO V. Tu autem cum præsensisses ad istud rei aliorum in te coniectos oculos, nihil non egisti, nullasque non latebras consulto quæsisisti, ut te spectabili illi oneri subduceres; atque ingeniosa humilitas cessit tibi tandem e sententia. Etenim cum fama inde usque Roma vulgasset exspectari te patrum studio in munus illud, legatus a tua provincia (id quippe cavebatur etiam ab Urbe, ut omnino legareris) tristissimus & lugens ex Hispania profectus es; crevitque moeror maxime, cum per Galliam transeunti innotuit tibi voluntas favorque Patrum Gallorum, qui cum te Burdegalæ in collegio nobilium adolescentium educassent, gloriabantur plurimum de tanto alumno, atque omnia tibi cupiebant.

Id

Id cum cerneret, adeo doluisti successum timens, ut demum ægritudo animi corpus oppresserit, coactusque sis subsistere Taurini, monitis Romanis Patribus impediri te morbo, quominus interesset comitiis de creando Generali: quo factum est, ut ad diem dictam suprema illa præfectura alii deferretur: tamen renunciatus es vel absens (qua re satis graves illi senes desiderium tui declararunt) Assistens Hispaniæ. Electio autem novi Generalis, quem tali tu honore dignissimum censebas, ita te recreavit, ut recuperatis viribus Romam ire perrexeris, nondum soluto Patrum conventu, a quo orans, obsecrans, flens, *multa excusans* (ut est in edito decreto Congregationis) abstulisti, liceret tibi Assistentiæ Hispanicæ demandatam curam deponere: namque ajente uno ex Oratoribus ab Germania missis (viso angore tuo) ad patres: *fruatursocietas, nec certa morti addicatur*, ceteri, cum in suffragia itum est, admittendane esset abdicatio tua, assensi sunt benigno illi admonitori Germano, miserto tui; ac tum denique respirasti, liberque a sollicitudine, & tranquillus, pia Romanæ urbis monumenta veneratus sancte & caste es.

Hic sine, quæso, FRANCISCE, te paulisper morer. Dic age: renuisne a gravi onere ampla munia, an onus grave ab amplis muniis? Tibi si uni vis attentus vivere, recusato magistratu omni, conqueri de te poterunt Socii tui,

quod

quod utilem laborem pro Ordinis communi bono detrectes. Verumenimvero nulla ullius hac in re querimonia fuit. Qui enim te viderant subterfugere Generalatum, ac nolle Assistantem esse, ne in sublimi gradu locareris, viderunt iidem temet deinceps præcipienti Generali (victa difficultate illa, qua ab aliis regendis abhorrebas) submitte paruisse, resumpto Villagarsiae magisterio tironum, quos ad STANISLAI normam fingeres, & bis suscepta præfectura provinciæ Castellanae, bisque item admissa regii collegii Salmaticensis operosa administratione.

Quæcumque porro jussus es agere, egisti sollertissime, dexterrimeque: prudens in capiendis consiliis, alacer in subeundis laboribus, diligens in rebus gerendis, sedulus in promovenda tibi creditorum religiosa disciplina. Ad hæc: emicuit semper in te ardor ille magnanimus, quo plurima aggressus es pro bono publico. Studia severiora Philosophiæ, & Theologiæ enixe promovisti: amoeniores idem artes reddidisti earum cultoribus multo faciliores, quæsitis sapienter compendiis, editisque novis libris qua latinis, qua græcis, qui ad mediam usque Paraguayam nostram penetrarunt.

Sed major divinarum tibi rerum cura. Frequentata, te auctore, te duce, ad honestam adolescentium institutionem pia sodalitia: habitæ de officiis hominis Christiani crebræ conciones: aditi dies noctesque ægroti, excita-

tique

tique moribundi ad vitæ melioris spem: allata subsidia carcere detentis: assidui sacri iudices ad templi tribunalia: missi quaquaversus per urbium fines fervidi operarii, declamatoresque impigri, qui fructuosis Apostolici ministerii functionibus insisterent.

At illud in primis singulare, quo omnia caritatis Christianæ complexus es opera. Tria millia militum Gallorum, quos in bellum Lusitanicum evocarat Rex Catholicus, commodo excepisti hospitio in collegio Salmaticensi, cujus erat amplum ædificium (a), idque spatio xxii. aut xxiii. dierum, diutius retenturus, si diuturniore mora opus foret. Quæ res per se tanta fuit, ut nisi facta esset, vix eam fieri posse quisquam credidisset. Sed nihil tu non facile, planumque existimabas, obicibus præruptis omnibus, ubi se se occasio dederat de hominibus benemerendi.

Næque vero contentus tantæ simul multitudini tectum præbuisse, incubuisti totus ad caste sancteque curandos hospitum tuorum animos gallicæ linguæ scientissimus. Verum labor, conatusque in excipiendis iis, quos ad salutarem poenitentiam moveras, major erat multis partibus, quam ut tu ei solus sufficeres: advocan-

dique

(a) Condita erat aumus illa, dignum plane
spiciis Reginæ Margaritæ, opus tanta conditricæ,
uxoris Philippi III., do-

dique fuerunt subsidio Sacerdotes alii e tuis, qui gallice norant. Plurimi vel ab hæresi, vel ab impia, atque insaniente philosophia, quam hoc fœcundum culpæ sæculum ab inferis excitavit, conversi per te sunt, traditis sacrilegis libris, qui illos Epicuri assecclas reddiderant.

Atque unum hic laudandum vehementer est, Ducum auctoritate, & tua, factum esse, ut turba tanta nihil rectæ collegii disciplinæ obstitit, militibus ipsis eo tempore religiosorum virorum vitam quodammodo æmulantibus. Itaque Gallus Imperator Princeps Beaubeau ingentes tibi grates & præsens egit, & multis post annis per litteras absens absenti referri denuo curavit.

Equidem factò in isto, tuamne mirer magis liberalitatem, an providentiam, an magnanimitatem, nescio. Quid enim? voluisse rem tantam, summæ liberalitatis; omnia recte ordinasse, summæ providentiæ; cunctis simul subvenisse summæ magnanimitatis fuit. Magnanimo autem, & provido, & liberali operi perfectum consummatumque respondit consilium, quo propediem egressuros in aciem, grato, urbanoque beneficio tibi ita conciliasti, ut ad propitiandum Numen, & ad Domini exercituum devorandam e cœlo opem, bellatorum hominum animos accenderes.

Nec minora, immo etiam majora, in Hispanos milites per idem tempus munera a te profecta

fecta sunt, adeo ut Regius Administer Marchio Scyllaceus ad te scripserit tuam illam beneficentiam gratissimam fuisse Regi, cujus nomine id tibi renunciabat. Ceterum constitit diurnus nocturnusque labor, quo militibus ægris (maximus horum fuit numerus serpente jam diralue) aderant per orbem e collegio Sacerdotes, laicique, constitit, inquam, immanis labor & tibi, FRANCISCE, & aliis gravi morbo, & morte quoque quibusdam adolescentibus. Te tamen plus aliis laborantem voluit superstitem Deus, ut pergeres omni hominum generi benefacere.

Tuorum autem Sodalium erat nemo, qui ea officia bellicis turmis, & Salmaticensibus per vices civibus præstare recusaret, cum tu & verbis, & factis singulos ad sacra ministeria adhortateris, præiresque omnibus exemplo. Tu amœniorum litterarum professor cultus, tu Philosophiæ perspicax & clarus magister, tu doctor Theologiæ sapiens solidusque, tu ardens concionator, tu operarius vineæ Domini indefessus. Te præterea patrem pauperes, te custodem altoremque periclitantes pudicitia virgines, te pupilli, atque orphani tutorem & patronum, te religiosi viri fautorem defensorumque, te moesti, pressique ærumpnis dulcem consolatorem experti semper sunt. Fido denique te duce ac vigili rectum arripere iter

quot-

quotquot vel emergere e malis, vel ad culmen perfectæ vitæ, conscendere voluerunt.

Factus omnia omnibus nobili constrictas nexu virtutes plurimas, easdemque inter se varias, justos intra fines continuisti. Humilis, sed excelso ad magna & ardua animo, quem tibi generosus sanguis infuderat: amans votivæ paupertatis, sed cum munificentia, ubi licebat: flagrans zelo, sed cum prudentia: candidus & apertus, sed cum circumspectione: temperans & modestus, sed cum affabilitate: gravis, sed cum facilitate: benignus & comis, sed adulans nemini: severus, sed cum lenitate: lenis, sed cum severitate, cum opus erat: appetens literarii otii, sed cum negotio, si commune bonum a libris avocaret: quærens Deum, & divina in silentio, ac secessu; sed non refugiens hominum turbas, & publicum pro Numinis causa. Doctus idem, sed sine jactantia: contemptor honorum, sed sine fūco: providus, sed sine anxia sollicitudine: constans, sed sine pertinacia: patiens, sed sine conniventia, siquid peccaretur: lætus in prosperis, sed non plus æquo, nec (pectore bene præparato) sine metu futuri: fortis inter adversa, erectusque fiducia supremi rerum moderatoris, *omnia in mensura, & numero, & pondere disponentis.*

Atque hæc quidem de te, FRANCISCE XAVIER, jam religiosam vitam professo dicimus: quid si videnos illos annos, quibus commoratus es inter

tuos,

tuos, repeteremus? Pueritia tibi inter piæ institutionis præcepta, litterarumque elementa, & innocentes ludos exacta est: quippe fuisti & magistris dicto audiens, & famulis benigne comiterque indulgens, & sancte obediens parentibus. Adolescentiam autem traduxisti serio honestissimarum artium studio, sine juvenilibus deliciis, sine morum licentia, sine inani luxu pompæque; conjungens enim acri cum ingenio, & cum splendidis factis (quibus senile iudicium vel in florida ætate modum ponebat) generositatem animi, & pietatem, documento eras omnibus, quos celsiorem in gradum evexit sors natalium, non obesse virtuti Christianæ claritatem, ac decus stirpis, sed prodesse quamplurimum, siquis potens sui est, neque abripi se sinit vano rerum apparatu, & larga auri copia, ob quam Deus ab illustribus adolescentibus illustriorem vivendi agendique rationem exigit, & vult arbitrari eos natos se se non otio, non voluptatibus, non inertiae, sed communi bono, sed patriæ, sed suis civibus, sed solidæ laudi, sed veræ gloriæ, sed effectrici virtutum dignitati, qua non opibus animum, sed animo opes nobili victoria subjiciant.

Manebat te, IDIAQUEZ EXIMIE, ultimus vitæ actus, durus ille & asper, sed in aspero & duro casu fuisti idem, qui fueras. DEI OPT. MAX. justo, & sancto iudicio de te tuisque cuncta submittens, arripuisti grave tempus, ut

spen-

splendidius (quasi aurum igne) micares, exeresque virtutes illas, quibus fausta & felici in sorte vix locus est. Jussa relegatione, non tam tui sollicitus, quam tuorum comitum, iis remissiora, & commodiora in terrestri itinere, in hospitiiis, in navi, & domi, & foris, & ubique locorum ultro procurasti, assumptis tibi molestis rebus, & vilibus, prout decebat Evangelicæ sectatorem doctrinæ, severiorisque professorem philosophiæ, cujus is fuit fructus, ut vel eventa tristissima deicere te numquam potuerint, ne ipsum quidem illud carissimæ matris funus.

Sequerer hinc libenter res alias, FRANCISCE, tuas, sed vereor, ne culpa ingenii eas deteram potius, quam ornem. Unum illud præterire nec debeo, nec possum, quod piam vitam pia absolvisti morte. Tranquillissimo semper animo inter extrema morbi, atque audito nuncio exitus instantis cum gaudio, donandus jam coelesti Viatico, subsistere paulisper precaris divini ministrum Sacramenti, atque ante omnia supplex, ais, veniam posco ab Eminentissimo Archiepiscopo nostro, si vitæ exemplo meæ, siqua re alia illum offendi; idque etiam rogo a te, cujus in manu Dominus meus, & Deus meus est, venerabilis Sacerdos, & a vobis, qui adestis, contubernales mei. Accepto dein religiosissime Christi corpore, actisque diu gratiis crebra spei, fidei, & caritatis,

alia-

aliarumque virtutum exercitatione, post horam arcensis famulos, atque unumquemque e nomine compellans, ab his etiam submissee postulas, ut tibi parcant: sed quid tum diceres percipi omnino non poterat ob exorta omnium suspiria, & singultus, & fletum: adeo enim nulla in re ipsos læseras, ut benignum te potius patrem, largitoremque munificum, & morum magistrum, & domestici ordinis exactorem justum, & monitorem sollicitum, prudentemque venerati semper sint.

Tandem omnibus Ecclesiæ præsiidiis singulari pietatis sensu munitus placide exspirasti (a). Vultus autem post mortem (ut observarunt Bononienses, cum elatus es) & gravior apparuit, & amabilior, & gratior, quam tibi fuerat vivo; perinde ac ostendere vellet corpus exanime, qualis jam esset status viventis animæ.

Plura non addo, atque illa ipsa ornamenta, quæ de te hætenus retuli, & quorum testes sunt Hispania, Gallia, Corsica, continens Italia, urbesque innumerabiles, ubi versatus es, atque omnes omnium generum, ætatum, ordinum mortales, quibuscum egisti, mihi, te superstite, scribere (prohibuisses enim) minime licuisset. Te autem jam functo vita, rem fore utilem ratus sum hæc edere in publicum,
ut

(a) Obiit Kal. Septemb. an. MDCCXC.

ut extet memoria (quam immortalitati utinam aliquis consecret digno tuis rebus libro) FRANCISCI XAVERII de IDIAQUEZ.

De reliquo , PATER OPTIME , æqui bonique , quæso , consulas , ornatas tuo nomine prodire res gestas eorum , quorum vitas elucubravimus , in unam DEI OPT. MAX. gloriam , quæ & senis istis Sacerdotibus Paraguaycis , & tibi , & propinquis tuis IGNATIO , XAVERIO , & BORGIE , & GONZAGÆ susceptorum operum finis fuit .

PROLOGUS.

PARAGUAYA, Societatis olim provincia, scriptisne in eam laudibus, an vulgatis maledictis, notior sit litterata Europaorum nationi, erit qui merito dubitet; nam, sicuti Horatianus vir ille, laudatur ab his, culpatur ab illis. Sunt multi, iiq̃ue incl̃yti, scriptores Hispani, Galli, Itali, Germani, Anglique, qui Paraguaycos Indorum cultores commendant quamplurimum ob institutam praesertim Guaraniarum administrationem, qua nihil accommodatius Christiana Philosophia fieri posse existimant. Sunt contra alii neque pauci, neque ignobiles, qui propter illam ipsam Guaranicam institutionem Sacerdotes ejus auctores proscindunt probris omnibus, tamquam regii juris usurpatores, & diros tyrannos, & avidos coactores opum, quibus se se, ac Romanos Socios ditarent.

Utri istorum de hac re rectius senserint, non est hujus loci decidere, neque lubet sive laudatorum Guaranicæ administrationis, sive vituperatorum recensere nomina, aut eorundem argumenta sigillatim perpendere. Unum dumtaxat dixerò, optandum fuisse, ut auctores illi utrique, antequam de Sacerdotibus Guaraniarum sententiam ferrent, ea subjecissent oculis, de quibus scri-

xx

bunt:

bunt: perinde ac *Alphonsus Castellæ Rex* (si magna licet componere parvis) cognomento *Sapiens*, summus *Astronomus*, solitus erat dicere de stellarum situ, & agendi ratione, & mutuo aspectu, & motu, & vi, eum unum accurate, & sine errore pronunciare posse, qui inter ipsas diu habitasset, observassetque omnia coram.

Id si factum fuisset in *Guaranicis censoribus*, tum eorum iudicium, vel approbans, vel reprobans, certius utique esset, multoque sincerius: neque enim hic ago de scriptoribus *Jesuiticis*, quibus velut partium studiosis plerique nolint credere; neque item de regibus *Prætoribus*, sacrisque *Antistitibus*, qui ea oppida sape lustrarunt, laudaruntque publicis litteris (a), cum id cursim attingendum non sit.

Est quidem ex obiectatoribus *Guaranicarum rerum* unus, qui eo quondam penetravit cum geometris, quibus regundi illac erant fines ex fœdere cum *Lusitanis*. Verum cum ille *Jesuita* bis fuerit, atque ejectus e binis provinciis (id quod ipse studio-

(a) Tales sunt litteræ, quibus post ea lustrata oppida ad *Philippum V. Regem* retulerunt de illorum administratione, quam mirifice laudant, *Antistites Bonaurenses* *Petrus Faxardo*, Ordinis *SS. Trinitatis*, & *Josephus Peralta*, Ordinis *Prædicatorum*. Episco-

pus item urbis *Assumptionis Paraguaycæ* *Josephus Palos*, Ordinis *S. Francisci*: quorum omnium epistolæ typis editæ dudum sunt. De *Prætoribus* autem, qui de eadem re cum laude scripserunt, longum esset dicere.

studiose toto tacet in opere) plenus ira illuc ingressus est, & conceptum ante odium, venenumque omne ob iteratam e Societate amandationem in librum suum profudit, jaëctans passim regna nescio quæ, opulentissimumque imperium. At vero vel ipsa juris publici cautione, & lege, qua inimici testimonium ab iudicio fortunarum, capitisque rejicitur, idoneus iste testis non est: facileque quivis per se ipse cum ejus æstrum in scribendo animadverterit, dicet, opinor, Terentianum illud: hinc illæ lacrimæ. Equidem cum homine diu vixi, novique e propinquo vebemens ejus ingenium, cui nullus erat modus, sive quem laudaret, sive quem vituperaret.

Ceterum PARAGUAYA vel ætliore nomine dicitur, vel laxiore. Si eam presse accipias, ac proprie, praturam tantummodo significat, quæ a flumine PARAGUAYO appellatur, & cujus fines ad solis ortum Brasiliæ regnum versus protenduntur, vix noto ad septentrionem termino ob nondum aditas barbaras illac gentes: ad meridiem autem dividitur amni Parana a præfectura Bonaurensi: ad occasum vero continet utramque oram ejusdem illius fluvii, a quo, ut dictum est, tota regio cognominatur. Caput præturæ amplissima est urbs Assumptionis, condita a nobilissimis Hispanis, quos in flumen ARGENTEUM XIV. navium classe, an. MDXXXV. deduxit Petrus Mendoza ex aulicis Imperatoris Caroli V. tantam enim amnis ille vano suo inanique nomine de se expectationem

excitarat, ut non dubitarint (auctore Nicolao del Tecbo) XXXII. illustrium familiarum capita, seu majores natu (MAYORAZGOS vocant Hispani) il-
luc navigare: iuitque tum, quod pratercundum
silentio non est, Ludovicus Perez, sanctissima
Virginis TERESIAE frater, cui tamen longe pra-
stitisset ab avita, & clarissima domo non decede-
re, quandoquidem tristissima, & infelicissima
fuit expeditio illa infausti ducis Mendoza, cui
flumen ARGENTEUM (votorum ejus omnium op-
tatus quondam portus) & domesticum aurum con-
sumpsit, & occasio fuit mortis funestissima:
adeo spes mortalium incerta sunt fallacesque.

Jam vero Americani, Europaeique scriptores
PARAGUATÆ nomen multo latius extendunt, co-
que comprehendunt non solum praturam, quam
paulo ante descripsimus, sed etiam totam Tucumaniam,
& praefecturam Sanctae Crucis Montanae,
ac ditionem Bonauremsem (hac non ita pridem
Proregis dignitate imperioque aueta est beneficio &
decreto Caroli III. Regis) finesque simul Mons-
videanos ad ostia usque fluminis Argentei. Cur
id illi faciant, duplex causa est; una, quod re-
giones ea innotuerint maxime sacris excursionibus
Sociorum Paraguaycorum, qui studio Indicae gen-
tis ad fidem evocanda loca prius impervia ultro
citroque peragrarunt, excussisque omnibus fere
montium silvarumque latebris, atque amnium re-
cessibus, certiora de eisdem monumenta in publi-
cum ediderunt. Altera causa est, quod incisam

are

ere geographiam, qua praturas illas continet, inscripserunt illi PROVINCIA PARAGUAYA: atque hinc Geographi Europaei eos secuti, & imitati, nomen, remque nomine inclusam retinuerunt, ut Cl. V. Gallus ANVILLE, cujus insignis est tabula de toto illo terrarum tractu.

Socii, qui in PARAGUAYA, quamdiu licuit, versati sunt, vel ex Europa illuc navigabant, vel indidem adsciti fuerant in Societatem ex delecto Hispanorum genere. Utrique vel in urbibus, vel in Indorum oppidis propria Sacerdotum ministeria exercebant labore non levi, & majori certe, quam ferret ipsorum numerus, exiguus ille quidem pro tanta, ac tam vasta provincia.

Sacra ibi munia pro incolarum multitudine & varietate, multa & varia. Pars occupabatur in docendis pueris elementa litterarum, supputandique rationem, & (qua institutionis prima summa esse debet) doctrinam Christianam, & probos mores: pars doctis jam grammaticen Hispanis adolescentibus tradebat Philosophiam, ac Theologiam, Corduba Tucumanorum praecipue, ubi attributa fuerat Sociis Pontificia, & Regia Academia: pars circumibat amplios urbium fines laborioso juxta ac fructuoso sacrarum excursionum opere: pars distinebatur aut in quarendis per remotas silvas Indis, aut in eisdem coactis in certam sedem erudiendis, quod quidem erat negotii plenum & tedium. Nam praeter improbam molestiam addiscendarum linguarum

rum barbaricarum, quæ nullam inter se cognationem habent, accedebat anxia sollicitudo omnia neophytis procurandi tum quæ ad victum corporis pertinent, tum quæ ad cultum animi: eo saepe opera pretio, ut ab ipsis clientibus magistri eorumdem & altores male mulctarentur, vel etiam occiderentur, quæ sors (fausta utique & felix, si causam mortis spectes) multis olim, atque hac nostra ætate nonnullis contigit.

Exitit ceteroqui ingens sparsi sudoris, & fusi sanguinis fructus. Deditiscerunt paulatim feros Indi mores, instructique sunt non modo (nam id est caput) mysteriis religionis, sed utilibus etiam artibus, agricultura nimirum, & textrina, & lignaria, & architectonica, & ferraria; posito insuper gymnasio in singulis oppidis, ubi pueri, quos paulo ante dixisses catulos leonum, legere, & scribere docebantur, & canere præterea ad descriptas notas, & tubis, tibiisque, & ciibaris, & aerisonis (ubi major ætas) organis uti, omniaque fidium instrumenta pulsare (amantissima gens Indica musices est, & facile eam arripit) in templo, quo statis horis summo silentio, & profunda reverentia oppidani omnes conveniebant.

Pagi Indorum (Missiones vulgo vocant) celebriores erant tres: Guaraniorum, qui XXXII. oppida incolebant; Cbacensium, qui XII., & Cbiquitorum, qui X. Cbiriguani uno degebant seorsum in oppido Tarixam versus, in altero Mbaya supra urbem Assumptionis, fortis utraque gens,

& ma-

& magnos gerens spiritus, & dexterrima in regendis equis sive ad cursum, sive ad bellum. Spes tamen erat, ut sensim ferox ingenium ponerent duri homines, & jugum Evangelii acciperent. Multo autem latiore successum spondebant Guana pedestres, docili & miti natura Indi, qui ripas amnis Paraguay accolunt ingenti multitudine, & jam dabatur opera adificando inter eos oppido, quod utinam stet, neque id solum, sed etiam illa omnia, qua ante retulimus, durent, augeanturque in dies, aliis atque aliis neophytorum stationibus positis, & cultis a Ven. Clero, & RR. Viris Religiosis: debet siquidem unusquisque nostrum dicere Pauli illud: Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. (*Ad Philip. c. 1. v. 18.*) Sane Emmanuel de Vergara, qui provincia praeerat (ut in ejus vita dicemus) cum jussum exilium est, toto eo anno, quo ipse, & Socii Curiones inter Guaranios detenti sunt, id supplicibus litteris a Bonaurensi Praetore Francisco Bucarello poscebat, obsecrabatque, ut curaret successores optimos mitti, & strenuos, quibus ardor esset studiumque non modo parva tuendi, sed etiam partis nova & plura ad Dei gloriam incrementa addendi: hanc summi Patris voluntatem esse, hanc Regis Catholici, qui sua suorumque opera nolebat in posterum uti.

Cessare fas erat nemini in PARAGUAYA neque

que interdū, neque plerumque noctū, cum sacri ministri frequentissime vocarentur ad excipiendas agrotorum confessiones ad longum quinque, sex, septem leucarum, eoque longius spatium: habitant quippe Hispanorum plurimi suis in pradiis, magno inter se intervallo disjuncti. Atque hunc equidem e tot laboribus vel maximum duco, itinera scilicet, eaque molestissima ob longinquitatem locorum, cum quis seu e collegiis ibat in Indorum oppida, seu vicissim ex oppidis redibat in collegia, ubi opus erat. Satis constat, qui e Monsvideana, aut Bonaurensi urbe ad optimos neophytos Chiquitos designabatur, ei viam octo, novemve mensium suscipiendam fuisse: & quam viam? cui pericula erant a feris, abundant enim saltus aliqui tigribus; & a serpentibus, quorum incredibilis copia; & a difficili latissimorum amnium trajectu (a); & a gravi non nusquam in-

tem-

(a) Unus & idem Petrus Lizoain (quem diu novimus) vir præstans doctrina & virtute, bis vita iter agens periclitatus est, semel in solitudine omnis aquæ experte, quæ dicitur Quilino. Oppressus siti, nec valens jam progredi, stravit se se humi certus mori. Salus ei a comite, qui subditis equo calcariibus, scrobem petiit, ubi alias humorem viderat, & tum nonnihil erat a plu-

via. Lizoainus allato liquore revixit. Idem rursus ad confessionem ægroti iens in finibus Xuxui, cum amnim, qui medius erat, intrasset, victus impetu aquarum abripi præceps coepit. Perierat, nisi adolescens, qui simul ibat, viso præsentis discrimine, ad eum nans accurrisset, & vi apprehensum traxisset in ripam. Hinc conjice, quid aliis alibi fieret,

temperie, & (quod leve dictu est, at non leve perpersu) a malis culicibus, quorum in stagnis infinita examina, & ab importunitate palustrium ranarum, somnum, qui saepe sub dio capiendus est, avertentium.

Provincia hac, cum tam longa & lata sit, diversas cœli conditione & soli regiones continet. Alibi per immensam planitiem, ut in Pampis, nullam videas arborem: alibi e contrario, ut apud Itatinos, silva ævo intacta tibi obstruent iter, vi multa ferroque aperiendum, sed non flammis, si aridum fœnum est; tanta enim per multa stadiorum millia existunt repente incendia, ut undique viatores, & equos, & plaustra circumdent ingenti vitæ discrimine: alibi omnia plana & lenia, ut via longissima, quæ Bonisauris Cordubam est: alibi omnia saxis, atque altissimis montium jugis aspera, ut pars ea, quæ propius Peruvium respicit. Ad hæc: aqua alicubi nihil, ut tibi percundum sit siti, nisi navigantium in modum, quod biberis, tecum debebas, additis cibis, ne te incautum in desertis locis opprimat fames. Quod si fauste evadas e campis arentibus, ecce tibi ex adverso obstantia astuaria, & fluvii, quos tranes vel in scapha e trunco arboris excavata, vel rugoso in bovis corio, quod trahit e fune prænatans Indus: pontes enim non sunt, neque amnium alveus immanis eos patitur. Est, ubi vebemens ardet calor, ut in Chiquitis: est, ubi frigus sævit accerrimum, ut in Punis: est,

ubi

ubi mitis viget temperies, & bruma tepida, & ver longum, ut in Guaranicis oppidis.

Atque ex hac aeris vi varia illud nascitur, ut varii sint terra fructus. Monsvideum, & Bonaaura, nobiles urbes, quæ prima emensos Oceanum excipiunt, omnibus ruris gaudent honoribus, & agri opibus, hortorum ac pomariorum cultu: & nostratia utrobique semina large proveniunt. Tucumanica regio præter alias felicissima est tum ad indígenas, tum ad Europæas arbores. Paraguaycus tractus fertilis admodum, & ferax sacari, & sacaro melioribus illius cæli pomis abundans, & baccis, & frugibus, illucque hinc deductis sativis plantis, stirpibusque fructiferis. Loca vero quadam suas educant silvas, & sua germina, arbustis & seminibus vernaculis: peregrina autem vix, aut ne vix quidem alunt: adeo verum est illud vatis: Non omnis fert omnia tellus.

Recte hoc Virgilius, & apte ad rem nostram, ad quam etiam referre licet, quod pulchre idem canit de quinque cæli zonis, Quarum una corusco -- Semper sole rubens, & torrida semper ab igni. Sed ut id verum sit, falsum illud est, quod opinati sunt veteres, terram nempe eam negatam esse domibus, atque inhabitabilem: ut enim nihil dixero de Peruvii, & Quiti urbibus, placidissimis, quæ in istius zonæ medio mirifice grata, & leni temperie fruuntur; extrema Paraguaya pars, eidem adjacet plagæ, & tamen frequens

quens est Cbiquitica gentis pagis, quos Socii curabant. Maximus autem provinciae tractus ad temperatam zonam (excepto litore Patagonico, quod propius vergit ad gelidam) pertinet.

Qui legit res Paraguaycas vel scire, vel meminisse debet, ibi tempestates anni contrarias esse nostris: est enim tota illa regio trans circulum aequinoctialem, ac proinde respectat australem polum, in quo qui insistunt (ait Tullius in somno Scipionis) adversa nobis urgent vestigia: fitque adverso ex hoc situ, ut, cum in Europa est hiems, summa ibi flagret aestas; cumque autumnus hic, illic sit ver.

Hac est indoles & conditio regionis Paraguaycae, quae (meo quidem iudicio) nulli e Novi Orbis provinciis cesserit, vel quicquam ulli earum inviderit, si bona norit sua. Non exercet illa (fateor) venas argenti, aurive, ut opulentum Peruvium, & dives Chile, quae regna finitima ei sunt; nec gemmas, margaritasque gignit, ut plurimi Americae tractus: sed, quod faciendum pluris est, praefer cælum ubivis ferme benignum, apiumque vitæ producenda, quod multi faciunt, veris terra pollet naturæ divitiis, herbis nimirum plantisque salubribus, frugibus omnis generis, silvis felicibus, & materia præstantibus optimi ad quodvis artificium, latissimis item pascuis, baccisque, & pomis saporis eximii, velut pinea nuce (piña vocant Hispani ob similitudinem quam extrinsecus refert nucis pineae: sed fructus est e
fruti-

frutice vel sponte sua ruri nascente, vel exiguo in hortis cultu) qua nihil exquisitius, delicatiusque uspiam vidi. Ingens quoque copia mellis est, & cera, quam in cavis arborum truncis, vel bumi per nemora fingunt apes.

Armenta vero tot alit Paraguaya, ut bibula caro ubique ferme locorum affatim cunctis suppetat, prater feras venatu, & aves, quarum maxima turma, aucupio faciles. Adde pisces omnis generis, & incredibili multitudine, non ad maris solum litora, sed & in fluviis, quibus tota pene provincia distinguitur, ita altis, ut ad mediterranea navigari possit longissime. Equos habet praterea & innumerabiles, & fortes bonosque ad via bellicue usum. Magna itidem ibi vis mulorum, quibus venditis, Peruvii eis indigentis opes ad se se trahunt Tucumanici, Bonaurensesque.

Neque alimenta dumtaxat, sed vestes etiam ferax prabet tellus e sativo gossipio, & pecoris lana, quam matresfamilias sibi & suis nent, texuntque, & glasto, ac murice, quem ferunt passim cardui, arborumque corticibus colorificis, tingunt domi scitissime. Quod si elegantiores quis ornatum, & sumptuosiores appetit, advehunt institores ex Europa telas pretiosissimas, mercesque alias luxus (quo melius carerent) fautrices: frequentissima enim nunc est navigatio illa beneficio Caroli III. Regis, qui commercium in flumen Argentineum liberaliter aperuit.

Quod si Paraguaya erueret metalla, majori

id

id damno futurum ipsi esset, quam lucro: fodina quippe auri argentique dici quodammodo possunt argentea & aurea hominum, praesertim Indorum, sepulcra. Cl. V. Martinus Dobrizboffius (quem bonoris causa nomino) de Paraguaycis rebus scribens affert apposite illud Taciti de Germania: argentum & aurum propitii, an irati dii negaverint, dubito. Aique mihi certum est, propitio Numine utrumque negatum Paraguaya, quae agri, & praeiorum proventu abunde opulens est; sique labor venarum accederet, Indique cogentur montes scrutari, inque ima terra descendere, & fodere, ad maiorem illa, quam nunc est, indigenarum infrequentiam (ex maxima frequentia, qua olim fuit, & quae cur adeo imminuta sit, explicare ad nos non attinet) sensim recideret. Accommodari sane potest felici adhuc provincia ob non eruta antebac metalla gravis illa Horatii sententia:

*Aurum irreperitum, & sic melius situm,
Dum terra celat, spernere praestitit,
Quam cogere humanos in usus*

Summi materiam mali.

Sed nimium provebor, neque patiar me ultra abripi, ut de singulis oppidis, urbibusque Paraguaycis agam. Tamen illa ipsa, quae diximus, pro cognoscendis iis, quae deinde dicemus, utilia in primis sunt, vel etiam necessaria, quo minus

falli

falli ego , seu fallere alios velle videar , sicubi menses Novembrem & Decembrem aſtivos vocem , leſtoremque circumducam alias per loca arida , alias per ſtagnantia ; modo per ſterilia , modo per fructifera : hæc enim ponimus non de tota Paraguya , ſed de ejus parte , de qua tum nobis ſermo eſt .

Unum addo , ſenos ſcilicet Sacerdotes , quorum vitas ſcribimus , toti illi provinciæ notiſſimos eſſe : tres enim ipſorum pro munere præſecti provincialis eam circumcuſarunt ; tres autem alii illos comitati ſunt , ab eiſdem adleſti collega & participes religioſæ adminiſtrationis . Atque hic conſenſus animorum , laborumque communio cauſa fuit , cur in unum librum eos conſecerimus , in tempus , & locum alium rejeſtis aliis e veteranorum tironumque numero , qui etiam virtute præſtantes fuerunt .

In illorum porro factis commemorandis nihil nobis antiquius veritate fuit . Et vero qui eſſe locus mendacio hic poſteſt , aut quod ejus foret pretium in tam recenti memoria ? Rerum , quas narramus , conſcii ſunt omnes fere Paraguayci , quorum plerique vel diſcipuli in urbibus fuerunt iſtorum Sacerdotum , vel clientes in Indorum oppidis : hos autem , ſi mentirer , teſtes eſſe impudentiæ meæ minime vellem : ac proſeſcto hominis amentiſ , effrontiſque eſt , dum aliorum virtutem , & fidem prædicat , in officiũ temet peccare , & ſpreta honeſtate obſtringere falſi crimine .

PRO-

P R O T E S T A T I O

A U C T O R I S.

QUod de veris virorum virtutibus,
 & factis piis, & donis divini-
 tus datis judicare Romani Pontificis,
 Christi Vicarii, est, profiteor, quid-
 quid in senis scribam vitis non alio
 niti quam humanæ auctoritatis testi-
 monio, erroris haud immuni: quocirca
 decretis super hac re a Pontif. Max.
 Urbano VIII., & a S. Romana Inqui-
 sitione editis, qua par est observan-
 tia, me, meaque omnia volens & li-
 bens subjicio.

Die

Die 18. Martii 1791.

V I D I T


Pro Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Dominico Marchione Mancinforte Episcopo Faventino Fr. Philippus Agelli Ordinis Min. Convent. Sacræ Theologiæ Doctor.



Die 24. Martii 1791.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Zucchini Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Lector Primarius, Publicus Sacrorum Canonum Professor, ac Vicarius Generalis S. Officii Faventiæ.



EMMANUEL DE VERGARA

S A C E R D O S .

TRIA fuerunt eximia in Emmanuele de Vergara , virtus , qua se se ad divinæ gloriæ ministeria paravit ; doctrina , qua potuit ; zelus animarum , quo voluit aliorum salutem pro virili parte consulere . Hæc omnia simplex ejus vitæ narratio , prout nobis res ab eo gestæ certis auctoribus compertæ sunt , satis ostendet .

EMMANUELIS PUERITIA , ET PRIMA STUDIA LITTERARUM .

I. XARANDILLA nobile municipium est Hispaniæ ulterioris in ea , quam Extremaduram vocant , provincia dioecesis Placentinæ . Vix ullus regionis illius felicius locus est , abundat enim agro fertili , silva , armentis , vino , & optimis arborum fructibus , soloque fruitur , & coelo salubri . Hoc in municipium tot naturæ donis dives abdidit se se Carolus hoc nomine quintus Cæsar , postquam , mirante & stupente Europa , Imperio simul & regno se se abdicavit , pertæsus mortalium rerum , & gloriæ . Atque hæc causa est , cur etiam num XARANDILLA vocetur Aula , seu Regia (a) : quamquam idem Carolus deinde , majoris solitudinis avidus , concessit inde in coenobium S. JUSTI Patrum Hieronymianorum , quod tribus passuum milibus ab illo municipio distat .

II. In oppido tot nominibus inclyto natus est & conspicua familia Emmanuel de Vergara pridie Non. Oct. an. MDCCXI. patre Philippo , matre Maria Ber-

A

ro-

(a) Corte de la Vera de Plascencia .

rocoſo, qui pie illum liberaliterque educarunt. Non-
dum infantilem veſtem mutarat trimus quadrimuſve,
cum in templum a parente adductus pro captu ætatis
ſacro Miſſæ reverenter intererat, concionemque ita
audiebat attente, ut domum rediens præcipua capita,
quæ ſacer Orator attigerat, ritu ipſe concionabundi,
uſus pro pulpito ſella reſupina, ſummatim redderet,
ingenti ſuorum voluptate plauſuque.

III. Interfuit aliquando Decalogi explicationi,
quam more ſuo e ſicto illo ſuggeſtu domi poſtea dome-
ſticis recitavit. Ventum eſt ad ſextum præceptum *non*
mœchaberis, atque iſtud quidem, inquit, prætereamus,
nihil enim intelligo. Aderat forte hoſpes Dominica-
nus, a quo deinde, ut curioſa puerorum indoles eſt,
quæſivit ille, quid iſtud rei eſſet *mœchari*? Vir gravis
petitionem, ut par erat, alio derivans, id, ait, eſt
in ahenum, ubi ebullit aqua, digitos injicere. Caſu
accidit, ut poſtridie famulæ in uſus domeſticos matu-
re ahenum pararint, & jam fervebat, cum Emma-
nuel, non obſervatus, manum illuc immiſit. Ad im-
manem dolorem edito ejulatu, clamavit: heu mihi!
moechatus ſum. Hoſpes e proximo cubili offenſus di-
cto, & plenus zelo, compellat famulas: quid ſit?
quin puerum iſtum occiditis? Pater, qui ad gemitus
accurrerat, viſa filii manu: immo vero, reſpondit in-
dignatus, occidendus eras tu: niſi enim heri ahenum
nominaffes, nihil tale puer vel tentaffet, vel fuiſſet
paſſus: abidum tu cum tua iſta prudentia: res certe
quidem celari potuit aliter. Hoc ego, per ſe leve,
ideo narrandum duxi, ut conſtet quam caute agendum
viris ſit cum pueris: vel enim cum nobis maxime pru-
dentes videmur, imprudentia peccamus aliquando.

IV. Ceterum Emmanuel ita parentes colebat, ut
caveret plurimum, nequa re illis moleſtus eſſet: qua
cauſa preſſit ſilentio puerilem technam, qua eum diu
ludificatus eſt Joſephus frater, petulantioris aliquanto
tum ingenii, ſibi enim uni vindicabat vi, & minis,
quod utrique apponebatur delicatioris cibi: maluit ta-
men Emmanuel rem pati tacitus, quam cum patris
matrifque offenſione de injuria queri: quamquam de-
prehenſus interceptor ille audacior poenas tandem de-
dit. Ubi jam diſciplinæ capax Emmanuel fuit, tradi-
tus

tus est optimo ludimagistro, & post hunc sollerti grammaticæ præceptori, cujus diligentia haud poenitendos progressus brevi fecit.

V. Latine jam sciens pro studio Philosophiæ missus est Oropædium ad Jesuitas. Qui eam artem profitebatur, post prima experimenta scripsit ad Philippum patrem, operam prorsus perdi: revocaret ad se Emmanuelem suum, nihil enim capere, nec posse. Ille qui de filii ingenio longe alia ab aliis audierat, suspicatus latere aliquid erroris, & magistrum decipi, conscenso equo illuc advolavit, investigandoque ad caput venit mali. Etenim ut fervidus acerque Emmanuel erat, si illico implexos illos modos, obscurasque notiones logicæ institutionis intelligentia non ceperat, abjectis chartis, otia batur; quo fiebat, ut nihil antea meditatus, nihil item in gymnasio recte ageret, diceretque. Proinde coactus via, & ratione studium adoriri, sic coepit eminere, ut condiscipulorum cederet nemini.

VI. Indictis æstivis feriis redibat domum. Erat hic bibliotheca, quam multis disciplinarum libris instruxerat Doctor Franciscus de Vergara, pro iis, qui Ecclesiastico beneficio (ære suo rite instituto cum consanguineorum prærogativa) deinceps potirentur. In hunc litterarium secessum, cum alii pomeridianæ quieti se se dabant, concedebat Emmanuel. Pater nosse cupiens, ubi esset, quid ageret (quæ optima regendorum filiorum ratio est, nequid clam peccent) ejus assidue vestigiis insitebat, inque musæum illud aliquando improvisus irrupit, & reperit Emmanuelem concinnantem sibi ex evolutis Oratorum voluminibus moralem concionem pro feria quarta cinerum, perinde ac si ea die foret verba facturus ad populum. Grata fuit Philippo hæc in illud studiorum genus filii propensio: multoque idem magis gavisus fuisset, si præsensisset animo, quam ille postea adepturus erat summam in concionando facultatem, cui præibat, velut pignus & omen quoddam, juvenilis prolusio.

VII. Verum nihil propius affuit, quam ut nascenti in Emmanuele spes tanta misere intercideret. Est Oropædii lacus, cujus margo, & pars vicinior ripæ intrantes leniter excipit, & vix tegit crurum tenuis:

pars vero ulterior hiantē solo profunda admodum est. Huc Emmanuel, flagrante cœlo, lavatum jens cum æqualibus, hærebat tergo sodalis oblongo fuisse tantis vada. Sed ecce tibi ducem illum fundus repente destituit, abreptusque est in cæcam voraginem, mutato in sepulcrum balneo. Stetit attonitus Emmanuel, nec percusso imminentis mortis specie suppetebat, quo se verteret. Qui erant in litore, titubantem incertumque intuiti, vociferati sunt: redi huc, redi. Quibus vocibus recepto ille spiritu se se inde retraxit, atque exanimis in tutum evasit.

VIII. Amici casu territus, severiorem vivendi modum, alienumque a juvenum ludis iniit: ac serio reputans secum instabilis vitæ pericula, renunciare rebus mortalibus, & propius sequi Jesum statuit. Ne id statim faceret, aditis religionis septis, retentus est patris reverentia, qui nolebat eum Societati nomen dare, veritus nequid, ut igneo erat ingenio, inconsulte admitteret, quo res suas habere juberetur; & domum exauctoratus rediret, summo moerori domesticis futurus.

IX. Post confectum Philosophiæ curriculum creditur iterum fidei curæque Jesuitarum instituendus sacra disciplina in Seminario, quod illi habebant Placentiæ. Hic, ut jam scholæ speculationibus assueverat, non magno studio magnum de se specimen dedit. Erat in ea domo Sacerdos celebris fama acuti ingenii. Is idoneum in Emmanuele actorem nactus, clam suggererat certos nodos, eosque implicatissimos, contra assertas Theologiæ Professori theses. Emmanuel imagines illas idealque metaphysicas, atque inextricabiles labyrinthos proponebat in gymnasio, & subtilia arma tractabat acriter. Præceptor sensim abductus in latentes insidias, & tectum subiens rete, cum expedire ægre se posset, abi tu hinc, ajebat, cum tuis istis tricis, argutiisque: phantasmatis nescio quibus, & mentis errore ita abriperis, ut tecum dæmon habitare videatur (a). Quod cum deinde Emmanuel narret intigatori suo Crespio (hoc illi cognomen) ridere ambo simul, & triumphare. Tum in alium diem fini-

(.) *Tienes el diablo en el cuerpo.*

similis parabatur jocus , qui haud erat omnino inutilis , eo enim Emmanuelis ingenium , alioquin argutum , magis exercebatur , limabaturque quodammodo.

EMMANUEL IT SALMANTICAM , ET SOCIETATEM PETIT.

X. **H**Astenus Vergaræ crepundia : hinc jam majora sequar & graviora . Placentiæ non uno amplius fuit anno : voluit enim pater in augustius theatrum eum educere , atque ideo Salmanticam misit , ut in oculis celeberrimæ Academiæ Theologicis studiis vacaret . Præter litterarias exercitationes , quibus se se ob acumen mentis cunctis probavit , eminuit Emmanuel studio virtutis , & solidæ pietatis , qua factum est , ut in tanta illa juvenum frequentia nihil labis , quæ incautis sæpe adolescentibus adhærescit , traheret ; inque dies & verecundior evaderet , & melior . Hoc tempore , cum Societatis adeundæ desiderio flagraret magis , eam petiit . Patrem aut non monuit , cum certissima esset repulsæ , aut frustra monuit : neque magnopere illius venia opus erat , quandoquidem erant Emmanueli fratres alii , in quos parentum , & domus cura recumberet .

XI. Agebat tum Emmanuel annum ætatis septimum decimum , & jam satis maturo pollebat judicio . Qua die rebus mortalibus nuncium remisit , gravem ad amicos sermonem habuisse dicitur in hunc ferme modum . Secessus hic , qui summæ mihi voluptati est , & nova vitæ ratio , quam in eo , contristare vos , sodales , non debet . Me vocat huc Deus ; nefas est vocantem non sequi . Asylum , quod dat , accipio libens contra tot insidiantium hostium arma , & sæculi nequam pericula , nihil enim inter profanos tumultus fidum , nihil in mundo fallaci tutum est . Paucis ante annis æqualem meum , quo recreari ab æstu voluit , balneo tumulari vidi : idemque me fatum manebat , si passum promovissem , quippe qui hærebam perituri tergo , potuique tum vere illud Davidis dicere : *uno tantum gradu ego morsque dividimur* . Ille obrutus aquis est , ego servatus Numinis beneficio , cui ingratus ero , nisi quam dedit , eidem vitam reddiderim .

Vos

Vos , si fors alia placet , & conditio rerum , siquidem tot hominum classes in republica sunt , quidquid demum optaveritis , consilium Jeremiæ semper ante oculos habetote : *salvet unusquisque animam suam*. Interea , quando parentum vestrorum hæc voluntas est , in disciplinarum studium sic incumbite , ut , in tanta , quæ in dies gliscit , morum licentia , conscientia multo potior vobis sit ratio , quam scientia , instar enim monstri est , vel naturæ arcana scrutari , vel introspicere mente mysteria Theologiæ , & sensa , & corpus vitiis mancipare . Virtus ingenium acuit , & mores boni , honestique litteras fovēt , augentque .

XII. Hoc erga amicos functus officio , Villagarsiam profectus est in tirocinium , quod subiit XV. kal. Apr. an. MDCCXXVIII. Illic magistro , censoribusque senibus ita fecit satis , ut , uno dumtaxat exacto anno , jussus sit (quod rarissimi erat exempli in Societate , quæ biennio candidatos suos assiduè experimentis exercebat) ire Metimnam campi , ad philosophiam recolendam præceptore Fernando Morales , quem ad extrema jam instituti curriculi properantem audiit ingenii vi tanta , ut inter præstantes condiscipulos (quorum unus fuit Antonius Guerra , donatus deinde laurea Doctoris Theologiæ , quam professus est Vallisoleti) primas tulerit , & ante omnes publice thesè philosophicæ tuitus sit eximia cum sua , tum Societatis laude .

XIII. Theologiæ denuo vacaturus rediit Salmanticam , neque enim præstantissimo ingenio minor palæstra debebatur . Atque ille quidem in exercitationibus Academicis solidus juxta acutusque erat , sed , quod amplius est , sedulus idem ac diligens religiosarum cultor virtutum , modestiæ præsertim , & animi demissionis , qua propriarum dotium seu oblitus , seu inscius , se se omnibus ultro postponerebat .

XIV. Interim pater , cui pia filii fuga doluerat , cum a multis multa audiret de illius pietate , & doctrina , ipsi reconciliatus quædam munera Salmanticam misit , monens , si nummis opus ei esset , aut re quavis alia , simul ac innuisset , suppeditatum iri . Emmanuel lætus resedisse prima patris tædia , de donis sic respondit , ut nullis se egere diceret , Societate præ-

præbente cuncta, quæ honestæ vitæ necessaria sunt; supervacanea autem commoda, & delicias dedecere virum religiosum, qui paupertatem sacramento voverit: immo vero secum amanter Deum acturum, si quando sibi deesse quid permetteret eorum, sine quibus ægre vivitur: atque in hac ille rerum mortalium despicientia perpetuo perseveravit.

XV. Verum enim vero quis patrem retineat, ne filium absentem, si eruditionis fama celebretur, coram adeat? Venit Salmanticam Philippus cum Josepho minore fratre Emmanuelis. Quo ex itinere, quem optare maximum poterat, fructum retulit, summum videlicet de viso filio gaudium. Et quidem tot laudes de Emmanuele suo audit, ut nihil supra.

XVI. Erat pater in cubiculo Fernandi Moralii, quem Emmanuelis magistrum fuisse Metimnæ campi paulo ante diximus, & jam tum idem Salmanticæ degebat. Ad hunc forte venit Franciscus Miranda eximiae vir doctrinæ, & qui postea Assistens Romæ fuit, quo munere secundum Præpositum Generalem in Societate nullum erat gravius. Adeuntem igitur eo tempore sic monuit Moralius, horum, quos vides, Franciscæ, alter Emmanuelis nostri pater est; alter, frater germanus. Tum ille ad Philippum conversus, aspice me, inquit, os mihi & frons adulatoris non est, nec vero sum, nec volo: tamen id tibi sancte affirmo, ut Deo, cujus omnia sunt bona, debitas grates agas, in tanto hoc numero adolescentium Jesuitarum, quorum aliqui ingenio insigni sunt, qui præstet Emmanueli tuo mentis acumine esse neminem, & neminem item (ut ego quidem existimo) qui animi virtute superior sit, utraque enim eminent. Id Miranda vir circumspectus, & cui, si conjectare licet, Emmanuel olim successisset in primario munere tradendæ illic Theologiæ.

AD INDICAM MISSIONEM PARAT SE.

XVII. **P**ostquam pater fraterque abierant Salmantica, res accidit digna dictu. Visebat Emmanuel, ut aliis opitulandi studiosus erat, adolescentem Theologum

gum graviter ægrotantem. Hunc aliquando cum reperisset subtristem, interrogavit quid illum angeret, hortatusque est ad consensionem cum divina voluntate. Ad quæ æger: divinis equidem de me, ait, judiciis acquiesco; sed nollem tam commode hoc in lecto mori. Scito enim votum me quondam nuncupasse de Indica missione pro curanda barbarorum salute: ac proinde D. Xaverium precatus sum, curaret vitam mihi extendi, & ecce morior. Quid vero facies? inquit Emmanuel, desiderio contentus tuo Deus, opus non vult, quandoquidem in ipso ætatis flore te terris eripit. Unum restat: preces illas tuas muta, & age cum Xaverio, ut pro te ego (si Numini id cordi est) illuc mittar: quo fiet, ut per vicarium tu Indos adjuves. Post hæc pacate ille tranquilleque moritur.

XVIII. Exin vero dies noctesque Xaverius vocatus in vota, & data fides morienti, & barbarorum solitudo ante oculos Emmanueli versari. Sentiebat se intus stimulari ad Indica ministeria, impellique ad Oceani trajectum, de quo ante colloquium illud nihil cogitarat. Eo igitur motu animi crescente, consuluit graviores collegii patres, quid facto opus esset. Illi, etiamsi durum ipsis erat, tantæ spei adolescentem a provincia avelli, responderunt votum istud a Deo ortum, a Deo ali, augerique, neque nitendum contra: cujus sententiæ fuit item magnus ille vir, qui tum Salmanticæ pro oraculo habebatur, Ludovicus de Losada, aureis scriptis toti Hispaniæ notissimus.

XIX. Itaque Emmanuel cum de divina voluntate, his interpretibus, satis sibi constaret, nihil morandum ratus, scripsit ad Præpositum Generalem, ut (si ita ei videretur) designaret ipsi Indicam provinciam. Franciscus Retz (is tum Societati præerat) designavit insulas Philippinas, quæ regio, ut laboriosissima est sacris operariis, ita ad eam destinatio gratissima Emmanueli fuit. Acceptis Roma litteris, ad iter se se accinxit, egressusque est Salmantica pridie kal. Sep. an. MDCCXXXIII. Quanto autem omnium moerore discesserit, hinc conjice. Jam abiturus magistrum Moralium voluit salutare. Ille se se cubi-

cubiculo abdiderat, obducto pessulo. Pulsabat Vergara admitti poscens: sed stetit in proposito Moralius, & tandem tristi voce fatus est: abi, Deo duce, abi: mihi tantum animi non est, ut sustineam abeuntem cernere. At Vergara subridens ab ostio: quid, ait, proficiscenti mihi non dolet, & tibi manenti dolet? Duravit autem Salmanticae diu desiderium Emmanuelis cum grata memoria. Iosephus frater, cum postea illuc isset studiorum causa, magnis amoris indicibus exceptus est, atque a praefecto instituti pro scholasticis pii sodalitiis eximio inter sodales munere donatus, quod non nisi optimatum filiis committi solebat; miranti autem, & paene recusanti praeverecundia, respondit ille, dignus es, & nihil ego non fecerim fratris tui causa.

XX. Emmanueli iter erat in Baeticam Placentia, quae urbs vix XXIV. pass. mil. distat Xarandilla. Illinc de transmissione Indica parentes fratresque per litteras admonuit: ire ad eos, exemplo Xaverii, quem ituri ad Indos proponere sibi ad imitandum debent, noluit, partim ut fraudaret se dulci suorum complexu, partim ut sibi carissimorum lacrimis parceret. Nec vero domesticorum consolationi satis consultum non est: multi enim datis litteris lenire studuerunt eorum moerorem.

XXI. Id officii in primis praestitit Ignatius Osorius e Comitibus de Grajal, qui sponte sua profitebatur esse se in aere Emmanuelis, quippe is magno ipsi adjumento fuerat ad reportanda Salmaticensis Doctoris praemia, & insignia, quae pater illustrissimus optabat a filio mereri, & peti. Ergo ipse vicissim parentibus Emmanuelis operam suam large sponddit, recepitque, quacumque re posset, Vergarianae familiae se deinceps consulturum. Is ille Osorius est, qui olim in Urbem missus, magna cum ingenii, & doctrinae laude Romanam juventutem Theologicis disciplinis instituit.

XXII. Ubi in portum venit Emmanuel, reperit praeter opinionem procuratores Philippinarum cum supplemento jam vela fecisse. Hac causa scripsit iterum ad moderatorem Societatis, qui Vergarae optionem dedit, vel petendi, quam veller Novi Orbis regionem; vel

vel manendi, in qua mallet Europæ provincia: in-
nuit tamen, sibi acceptum fore, si trajiceret in Para-
guayam. Cum de data optione audierunt Socii Bæti-
ci, enixe institere, ut apud eos subsisteret: ad quos
ille, ut grato adolescente dignum erat, actis gratiis,
respondit constanter, nullam sibi provinciam, si Eu-
ropam Americæ anteferreret, optatiorem, & cariorem
fore Castellana, quæ eum educarat: quoniam vero
Præpositus Generalis Paraguayam significabat, æquum
esse, ut, nutu illius pro imperio usus, illuc navi-
garet.

IN AMERICAM NAVIGAT

XXIII. **R**editurus erat in Paraguayam Antonius
Machonius procurator cum delectu Sociorum. His ag-
gregatus Vergara est, nec multum abierat temporis
ab acceptis Roma secundis litteris (diceret detineri
a Deo ceteros, ut hunc eximium vectorem, tanto
futurum bono Americæ Meridiali, exciperent,) cum
navim conscendit Idib. Dec. an. MDCCXXXIII. In
Oceani trajectu præter bene positas in studio littera-
rum horas, atque exercitationes disciplinæ religiosæ,
quam severe ab omnibus exigebat præfectus Macho-
nius, duo edidit singularis zeli animarum exempla.

XXIV. Sub vespèram secedebat ad navigii pro-
gram, ubi, cum a tractandis armamentis vacant, con-
fident nautæ. His immistus Vergara religionis myste-
ria graviter juxta & amœne explicabat, tradebatque
simul vitæ recte instituendæ præcepta. Eo cum quon-
dam accessissent Michael de Salcedo, cui mandata
fuerat prætura Bonaurensis, & Joannes Vasquius de
Aguero, qui in Paraguayam ab Rege mittebatur, ha-
biturus quæstionem de rebus Guaranicis, ambo hi vi-
ri nobilissimi, Emmanuele audito, capti ejus elegan-
tia, perpulerunt Navarchum, & Machonium procu-
ratorem, ut curarent a Sociis, utique a Vergara,
conciones pomeridiano tempore haberi ad nautas,
vectoresque in foro navis maximo. Itaque concionati
sunt Jesuitæ pluribus diebus magno audientium fructu.
Oratorum autem nemo Emmanuelem æquavit, nedum
vicit, facilitate dicendi, argumentorumque gravitate.

XXV.

XXV. Alterum zeli exemplum fuit hoc. Ibat cum aliis candidatus quidam Societatis Sama nomine. Hunc Machonius, antequam in tironum album referret, exercere diutius decreverat. At cum ille optima esset manu ad scribendum, computandique artis in primis sciens, à mercatoribus quibusdam, qui simul navigabant, sollicitabatur, quod mirifice congrueret ipsorum rationibus, negotiisque. Id ut suboluit Vergaræ, Machonium adit, & quid agis, pater, ait, tamdiu jussu expectare adolescente isto? Jam tibi ille ab institutoribus subducetur, vehementer enim hoc eorum interest, nec cessant a tentando; admitte tandem illum in tirocinium, da tunicam; sic & ipse alacrior erit, & spes omnis istis præcidetur. Placuit consilium Machonio: vestem dedit: ac Sama quidem optimus in Paraguayâ fuit Ludimagister, ejusque discipulis plena etiamnum provincia est; & libens idem volensque in Societate perseveravit, tantique fecit Emmanuelem, ut nemo pluris.

XXVI. Post tres menses, & semis circiter navigationis, Bonasauras appulerunt an. MDCCXXXIV. VIII. kal. April. qui dies MARIE VIRGINI ab Angelo salutatæ sacer est. Excepti sunt humanissime a Jesuitis, quorum ibi collegium erat. Illic capta quies ab incommodis, ærumnisque, quæ plurima cum traiectione Oceani conjuncta sunt, partim ab angustiis navis in maximo nautarum, & vectorum numero, partim ab æstu intolerabili Zonæ torridæ, & ab siti, cui sedandæ satis non est parva illa aquæ mensura, quæ singulis datur in dies, partim denique a tædio malaciæ, quæ in media illa Orbis regione plures pluresque dies tenere naves solet.

XXVII. Ab his malis recreatus Vergara missus est terrestri itinere CXXX. leucarum Cordubam Tucumanorum, ut inchoata studia Theologiæ absolveret. In collegio illo, cui attributa erat Pontificia, & Regia Academia, centum fere erant tum studentes litteris Jesuitæ partim ex advectis paulo ante ex Europa, partim ex aliis, qui pridem liberalibus disciplinis inibi operam dabant; & tamen in tanto ingeniosorum adolescentium numero Emmanuel cunctis antecelluit, atque idcirco a professoribus Academicis electus

electus est prærogativa ad theses publicas, quas post quadriennium auditæ Theologiæ plausu summo externorum domesticorumque ab impugnantium petitionibus tuitus est.

XXVIII. Ceterum non minor cura virtutis erat Vergaræ, quam doctrinæ. Fuit ille (ait scripto unus e condiscipulis) disciplinæ domesticæ valde studiosus, & diligentissimus in religiosis actionibus. Habitus illi admodum modestus. Parcus cibi, quam semper consuetudinem retinuit. Vocationis suæ amantissimus: sermo illi dulcis, neque ullum equidem libentius audiui sive in quotidiana recreatione, sive cum rus ibamus die concessi otii; multa enim nos docebat, cum multa legisset: nec molestus cuquam erat, vel si sermonem diu protraheret, propterea quod res etiam serias asceticasque amœna urbanitate, & honesto quodam lepore condiret. Hæc de Emmanuele Hermenegildus Aguirre, qui etiam ipse singulari virtute toto vitæ tempore eminuit.

XXIX. Legitima erat jam Vergaræ ad Sacerdotium ætas. At cum Cordubensis Antistes D. Josephus Cevallos eo anno MDCCXXXVI. diœcesin, quæ CCCC patet leucas, lustraret, factum est, ut Emmanuel nondum Sacerdos secederet in tirocinium tertium de more Societatis probandus. In hoc novo religiosæ vitæ experimento tum iis, qui post absoluta studia eodem convenerant, tum tironibus exemplo fuit, singulari alacritate obiens munia, quæ communiter illic exercebantur, sive verrenda esset domus, sive sternendum triclinium, sive alia hujus generis præstanda. Multo autem magis collegas movebat, cum in sacello interiore statis horis matutinæ, vespertinæque vacabat rerum coelestium meditationi. Omnino ille per id tempus ad spiritus cultum incubuit, præluxitque (teste Ignatio Perera, qui cum eo tum vixit) omnibus modestia, silentio, submissione animi, & amore solitudinis, & diligentia in exequendis majorum iussis.

XXX. Rediit interea Cordubam Episcopus, qui Vergaram, aliosque defunctos jam studiis gravioribus, sub exitum an. MDCCXXXVII. initiavit sacris ordinibus. Exin ille religione, & pietate magis emicuit.

cuit. Sacerdotale precum pensum, ut nos docet Aguirrius, quem paulo ante laudavimus, instituit reddere flexis genibus. Virginis autem laudes, supplicationesque contentas Rosário, fundebat in templo ante altare divini Sacramenti. Eo autem redibat sæpe interdiu ad latens Numen adorandum. Præcipue tamen eminebat Emmanuelis in Christum caritas, cum sacrificabat, atque ita afficiebatur mysterii reverentia, ut in adstantes Sacerdotis pietas redundaret: neque vero ad aram accedebat umquam nisi expiatus sacra confessione; ac posita in litando semihora, longum mox tempus impendebat in agendis gratiis hospiti divino.

PHILOSOPHIAM TRADIT IN ACADEMIA CORDUBENSI.

XXXI. **A**B accepto Sacerdotio confestim ad profitendam Philosophiam adlectus est. In ea tradenda & clarus, & solidus fuit, idque egit maxime, ut discipulos ad sacram Theologiam rite pararet. Erat autem aliud Philosophiæ genus, quo enixe studebat illos imbuere, Christiana videlicet morum honestate, & modestia, & temperantia. In hanc rem accidit commode, ut eo ipso tempore præfecturam gereret pii sodalitiî, quod titulo salutatæ ab Angelo Virginis institutum erat pro adolescentibus Academicis. Itaque quanto litteris præstet virtus, & vera in Deum religio, & pietas, crebris adhortationibus eos admonebat, stimulabatque ad precandam a Diva præside sapientiam illam, quæ desursum est, & spiritum ornat; vitata e contrario scientia terrena, & animali, quæ sui asseclas inflat.

XXXII. Constitit Vergaræ piæ fructus operæ cum in alios adolescentes, tum in discipulos suos, quorum aliqui insignes virtute, & litteris evasere. Horum unus, qui deinceps Theologiam ab Emmanuele ipso audiit, fuit Antonius Guasp. Balearis erat, & totum illum ardorem, quo Baleares ferme flagrant, convertit in urgenda institutione neophytorum Chiquitorum, ad quos missus est. Idem summis laboribus, atque ærumnis oppidum SACRI CORDIS JESU Paraguayum amnem

annem versus condidit an. MDCCLXI. Neque eo contentus, cum anhelaret ad ponendam coloniam barbaris Guaycuruis, quorum inhiabat salutem, se se inermem armatis credidit, & a perfida, atque ingrata gente occisus est XV. kal. Sept. an. MDCCLXIII.

XXXIII. Vellet Vergara gravi isti periculofoque ministerio addici, idque, statim ac Sacerdos consecratus est, petiit a provinciæ præfecto: sed is ratus magis eum publicæ rei profuturum, si dignos Indorum operarios docendo effingeret, quam si solus inter illos versaretur, piamque mortem e desertis locis peteret, illum Cordubæ retinuit. Ceterum dum tradendæ Philosophiæ insistebat, Minister Collegii vita excessit; quam ob rem Rector Jacobus Aguilar vir optimus, & prudentissimus, pro Ministro sibi Vergaram adscivit. Id autem munus in frequentissima domo illa, quæ totius provinciæ veluti seminarium erat, negotiis plurimum habebat, Minister enim domestico ordini servando, retinendæque disciplinæ invigilabat.

XXXIV. In hanc administrationem, simulque in magisterium, totos septem menses Emmanuel incubuit gravi sollicitudine, & molestia, cum res altera alteri necessarium tempus surriperet. Accidit tum, ut graviter ægrotaret Joannes de Alzola, qui eximii concionatoris laude floruerat. Hunc Minister Vergara pro munere sæpe adibat, nequid deesset seni venerabili: atque is quidem illo præsentem quondam dixit, sic se se existimare, sacros Oratores, qui exquisitiore, & fucato verborum cultu plausum populi captant, magnum apud omnium Judicem discrimen subituros tamquam divini ministerii corruptores sacrilegos.

XXXV. Vergara, qui e loco superiore haud pridem apparere publice cœperat, ubi id audiit a tam gravi viro, & proximo jam morti, vehementer commotus est; idque fortasse consilium fuit prudentis, & docti senis, ut novum Concionatorem averteret a profano, & templi indigno genere dicendi, justum illi terrorem injiciens, nequando in concionibus habendis circumspiceret se, & sequeretur speciosum nescio quem eloquentiæ modum, potius propriorem, quam Oratoriæ arti: sed arrepta vetere illa vi, & plena spiritus, ita tractaret verbum Dei, ut in animis audientium

dientium infigeret JESUM CHRISTUM, & hunc Crucifixum. Itaque Vergara in ipsis Divorum laudationibus (quod quidam minus agunt,) postquam eorum heroica facta, & virtutes prædicarat, in extremam Orationis partem certos reservabat locos, quibus cives hortaretur ad aliquid audendum Christiano dignum nomine, ut quorum merita, atque illustria exempla celebrarent, eosdem vitæ innocentia, & sanctitate imitarentur.

THEOLOGIAM PROFITETUR.

XXXVI. **A**bsolute Philosophiæ triennio, nulla Vergaræ concessa est requies, jussu protinus Theologiam profiteri. Hoc in munere numquam ab acumine ingenii abripi se sivit, ne solidiora amplecteretur fecutus cum aliis D. Thomam, & Seraphicum Doctorem, quorum studiosus erat: deque D. Bonaventura affirmabat experiri se se, quod de eo in fastis Ecclesiasticis dicitur, *docendo movere*. Quantumvis autem Academicis exercitationibus, quæ plurimæ erant, valde distineretur, nihilo tamen minus supererat illi sat temporis, quod in aliis ministeriis pro curanda animarum salute poneret.

XXXVII. Frequens Vergara erat in excipiendis confessionibus civium, frequens in adeundis ægris, moribundisque, quibus ad extremum certamen parandis tanta pollebat arte, ut testetur denuo Aguirrius, parum ea in re Emmanueli se quidem vidisse neminem. Frequens in concionando. Præfectus sodalitus *SCHOLÆ CHRISTI*, singulis sabbatis sub vesperam ad confluentem populum verba faciebat, eum exhortans, ut divini Magistri præcepta, & vestigia sequeretur. Dominicis vero diebus sodales *BONÆ MORTIS*, propositis bene vivendi regulis, excitabat, ut per bona opera pium exitum e mortali corpore, expectantes adventum Domini, sibi munirent.

XXXVIII. Discipuli porro, quos theologiam docebat, quanto præceptore usi fuissent, ostenderunt abunde intenti in institutionem Hispanorum, Indorumque, morte etiam obita, cum fuit opus. Ex iis Jacobus

cobus Herrero, cum ad ministeria Guaraniarum mitteretur, interceptus a barbaris, agros villasque circum depopulantibus, occisus est an. MDCCXLVI. Franciscus autem Ugalde, insigni adolescens pietate, & morum candore, quem nos Cordubæ novimus, dum Mataguayos imbuebat mysteriis religionis, telo pectus transfixus est, ambustusque flammis, quas ingrati, crudelesque clientes, ante fugam in silvas, iniecerant templo, & tuguriis. Ugaldii item collega Romanus Arto geminis sagittis utrumque corporis latus confixus, totam illam noctem, quæ fuit pridie Non. Octobr. an. MDCCCLVI. sub dio, madidusque ab ingruente pluvia, inter acerbissimos dolores egit. Quæsitus postea, recreatusque a Joanne Fecha, atque in oppidum Vallis bonæ (sic vocant) deductus, adhibita curatione convaleuit. Adeo autem malo illo, præsentique vitæ discrimine, fractus non est, ut deinceps haud alibi libenter viveret quam inter barbaros, mittique voluit in novam Tobarum stationem, quæ illo ipso anno ad fines Xuxui municipii posita est S. Ignatii nomine: atque ibi Romanus perseveravit, quousque deportatus est in Italiam. Vitam Francisci Ugaldii scripsit Petrus Joannes Andreu sermone hispano, inque germanicum reddita rursus in lucem prodiiit Viennæ Aultriæ.

XXXIX. Jam vero ut tales Evangelii ministros formaret Emmanuel, summam adhibebat curam, ut solida eos doctrina erudiret. Quippe (ut recte ait (a) P. Didacus Avendaño scriptis suis de re Indica bene meritus) errant admodum, qui existimant, supervacaneam esse exquisitiorem scientiam ad barbarorum, & neophytorum culturam: accidunt enim illic quædam nonnumquam, quæ levi moralis rei, & Theologiæ cognitione non solvas. Quapropter qui homines illos instituendos accipit, habeat secum necesse est bonos aliquot libros, quos legat, & pro natis eventis consulat.

XL. Certe D. Xaverius, qui operariorum Indicorum forma esse debet, cum tanta emineret doctrina, ut coram Paulo III. Pontif. Max. de propositis Philosophiæ

(a) Thesaur. Indic. Tit. I. c. III. n. 36.

sophiæ, Theologiæque quætionibus, cum laude, & sapienter, extemplo disseruerit; tamen profecturus in Orientem, cum Regis Lusitani mandato sæpe rogatus fuisset, ut indicem ederet de rebus, quas sibi curari vellet, omnia rejecit, neque (excepta vulgari lacerina contra acerba frigora promontorii Bonæ Spei) aliud poposcit, cum iterum atque iterum urgeretur a regiis procuratoribus, quam *paucos libellos magno sibi usui in India futuros (a)*.

XLI. Totum illud institutionum Theologicarum tempus, quod XV. annorum fuit, sic posuit Vergara, ut, præter horas ministerio proximorum attributas, in secessu litterario lateret, quo se ipse in dies doctiorem efficeret. Cerneret illum libris cinctum undique, Bibliis sacris ante omnia, quippe qui in scrutandis sententiis divinorum oraculorum assiduus erat. Tum sedulo meditabatur, quo modo opinionum, quas prælecturus erat, placita usui auditorum accommodatiora redderet. Agebat illud simul, ut ampliorem quotidie in concionando facultatem sibi compararet: qua in utraque re, Theologica nimirum & Oratoria, ita eximius evasit, ut utra præstiterit, judicatu difficile sit, cum summus fuerit Orator, & optimus Theologus.

XLII. Hunc autem sibi studiorum finem proposuerat, proprii culturam animi, & utilitatem aliorum: quo de fine postea, sociis jam præpositus, sic docte præcipiebat: „Animarum servandarum amor susce-
 „pta nobis studia, & litteras regat. Cui enim
 „propositum deest opitulandi proximis, quo magis
 „otiosæ, & umbratili scientiæ insistit, tanto ille lon-
 „gius aberrat a recto scopo sacrorum studiorum, ab-
 „jiciens ab se opus, ut in solo operis instrumento
 „moretur deses, enormi prævaricatione. Quippe
 „scientia sejuncta a caritate, & ab studio actuoso be-
 „nemerendi de aliis, inflando dumtaxat apta est,
 „ut Corinthios instituens universos nos docet Paulus:
 „*scientia inflat*; siquidem quos vanus eruditionis oc-
 „cupat amor, tumore eos quodam implet, inanique
 „existimatione sui. Proinde, ut utilis studendi la-
 „bor sit, conjungendus est cum vera Dei caritate,
 B „ &

(a) Horat. Turjel. in Vita Xav. lib. I. c. 5. & 12.

„ & flagranti alienæ salutis zelo , qui a caritate ista
 „ gignitur. Hæc caritas est , quæ Societatem nostram
 „ coagmentavit: *caritas ædificat*. Quærenda profecto
 „ est unicuique nostrum scientia eminens , talis nam
 „ & tanta necessaria nobis est , ut digne , & sancte ,
 „ & cum fructu , ministeria nostra exerceamus . Ve-
 „ rum caritas ultra progrediatur , oportet , debet enim
 „ esse *supereminens* , quo epitheto usus est Apostolus ,
 „ ut scientiam pariter & caritatem CHRISTI , qui
 „ nobis semper ante oculos habendus est , commen-
 „ daret : *ut possitis* , inquit , *scire supereminentem sci-*
 „ *entiæ caritatem CHRISTI , ut impleamini in omnem*
 „ *plenitudinem DEI* . „ Hæc ille in adhortatione
 domestica ad Socios Limanos an. MDCCLXII.

XLIII. Igitur cum Magistri munera tamdiu susti-
 nuisset , rude denique donatus est a præfecto provin-
 ciæ , cum eo tamen ut omnium studiis præesset *Can-*
cellarii nomine , cujus erat prospicere nequod Acade-
 mia detrimentum pateretur , retentis majorum institu-
 tis , procuratoque adolescentium profectu in litteris ,
 & pietate . Interea venit e Peruvio moderaturus So-
 cios Paraguayos Josephus Barreda , vir prudens , &
 constans , & gravis . Is ut in provinciam , unde ve-
 nerat , dignum munus e nova provincia mitteret , le-
 gare illuc statuit sacrum Oratorem præstantissimum
 (Missionarium vocant) Ignatium Oyarzabal , qui ur-
 bes omnes trium præturarum Paraguayæ , Bonauren-
 sis , & Tucumanicæ , bis obiens , ea præstiterat , in-
 credibili civium bono , quæ in Europa præstabat inter
 Hispanos Petrus Calatayud , magnus ille concionator ,
 & fervens divinæ gloriæ minister , quo olim Oyarza-
 bal ipse magistro usus fuerat . Opus autem erat ad
 Peruvicam istam expeditionem socio , & comite , qui
 Ignatium adjuvaret , responderetque tantæ *Missionis*
 dignitati : neque ullus Barredæ in omnes partes in-
 tento visus est aptior , digniorque Emmanuele de
 Vergara .

PERUVIUM SACRIS MINISTERIIS OBIT .

XLIV. **P**rofecti Corduba Tucumanorum anno
 MDCCLV. Oyarzabal , & Vergara (exulto prius
 fa cris

sacris ministeriis nobili municipio Tarixæ) contenderunt itinere CCCC. leucarum POTOSIUM. Hæc illa est toti nota Orbi colonia, undique illuc confluentem hominum ingenti multitudine ob immensam argenti copiam, quam & dedit, & pergit dare inexhaustus mons post bina jam sæcula, ex quo nulla fossorum intermissione exerceri coeptæ fuerunt venæ illæ opulentissimæ. Sed qui locus maximis divitiis abundat, & commistam continet omnis generis advenarum vim, idem plurimis scateat vitiis, necesse est.

XLV. Modus, qui in adeundis Hispanorum municipiis, urbibusque, jampridem ab Oyarzabale institutus fuerat, erat hic. Antequam in destinatum animo sedem veniret, scribebat supplex ad magistratum sacrum, urbanumque, accedendi illuc facultatem petens. Quod si ibi Collegium Societatis erat, monebat Rectorem, quo die ingressurus eo esset, & rogabat, suggestum sibi parari curaret in amplo apertoque loco. Dicta die nudis pedibus urbem subibat, relicto equo (sine quo longissima illa itinera confici non possunt) senis septenisque procul passuum millibus.

XLVI. Cognito ejus adventu, e prædiis, villisque, quibus agri pleni sunt, sequebatur præeuntem turba pæne innumerabilis; procedebatque vicissim obviam jam appropinquanti tota propemodum civitas. Ita fiebat, ut vel a prima die frequentissimus esset auditorum concursus. Ille CHRISTI effigiem manu prætendens, in paratum suggestum ascendebat, & circumfusus cives admonebat, quid ab ipsis posceret Deus, cujus ipse nuncius erat, usus ad hoc illis Pauli verbis: *pro CHRISTO legatione fungimur*. Ea autem ipsi vox erat, & alta adeo, & clara, ut vel a remotissimis audiretur. Sed illud majus: ardor eidem in dicendo tantus, tantusque Spiritus Sancti afflatus, ut quoquo vellet, modo acribus, modo lenibus verbis, pro re, quam tractabat, animos impelleret: nec quemquam facile reperissēs, qui ad illum, ubi semel audisset, non avide deinceps accurreret totos XV. dies, quibus sacræ conciones durabant.

XLVII. Principio auditores parabat ad Sacramentum Confessionis rite obeundum pro Numine propitiando. Tum eos ad vitæ melioris propositum (ex-

plicata vitiorum foeditate, & virtutis pulchritudine, atque ostensis poenis, vel præmiis, quæ fontes, vel infontes manent) excitabat. Jam motos ante admittorum conscientia stimulat ad voluntarios corporis cruciatus pro culparum piaculo: & noctu refertum erat templum viris, qui, clausis januis, acerrime se se verberabant exemplo ipsius Oyarzabal, qui dux & hortator supplicii in se ipse præ aliis sæviebat. Ad hæc, sub finem sacri ministerii, publica fiebat poenitentium supplicatio, qua commovebatur urbs tota, viso tristi spectaculo se se dire torquentium, auditisque flagris, quibus viæ, & compita perstrepebant. Declamatio autem contra eos, qui acceptas injurias condonare inimicis nolunt ex CHRISTI præcepto, ita erat vehemens terribilisque (ipso lugubri, quem fieri curabat, apparatu horrorem quemdam animis incutiente) ut nihil illa gravi actione incitatus efficaciusque esse putent posse, qui tonantem, vibrantemque, ut ita dicam, ex alto fulmina Ignatium tum viderunt. Et quidem tanti consequebantur eam declamationem motus animorum, & tot publicæ significationes amoris sinceri, redintegratæque amicitiae inter eos, quos offensio aliqua, & simulas agitarant, ut vix, opinor, auditorum esset vel unus, qui pristinum odium non deponeret.

XLVIII. Extremum diem reservabat celebrandis laudibus, patrocinioque Virginis MARIE, hortabaturque cives, ut eam sibi coëptorum operum adjutricem, & præsidem advocarent, commendatis magnopere sacri Rosarii precibus, quas quotidie ei funderebant. Quibus Oyarzabal rebus, non modo, quod optabat, efficiebat magnam scilicet morum conversionem, sed etiam, quod minime curabat, summam de se relinquebat in auditorum animis venerationem, quam illi conciliabat habitus ipse corporis modestus, & gravis, rigidique amor secessus, e quo, nisi ministeriorum causa, prodibat numquam. Appellabant eum vulgo patrem sanctum; patuitque maxime in Ignatio, famam & opinionem hominum illos sequi plerumque, qui honores fugiunt; & fugere e contrario, qui plausum inani ostentatione sequuntur.

XLIX.

XLIX. Igitur Potosium ingressi sacri præcones protinus in animorum institutionem incubuerunt. Oyarzabal concionabatur: Vergara Catechismum tradebat docens auditores officia hominis Christiani: ille velut alter Elias ignem spirans, imminetentemque Dei iram, qua malos male perderet, denunciens, salutare timore peccantes implebat: is iusto percussos metu ad spem excitabat divinæ misericordiæ, ac pii Samaritani instar infundebat oleum, & vinum, quibus mederetur vulneribus eorum, qui humi strati, & semivivi erigere se se volebant, & stare. Declamationum autem, & Catechismi is fructus fuit, ut Colonia illa alia prorsus videretur, atque aliis habitata incolis, quam quos repererant fervidi concionatores.

L. Inde profecti sunt Orurum, quod trans montes altissimos situm distat Potosio CXX. p. m. Atque hac Hispanorum colonia sacris ministeriis jam exculata, venerunt Cochabambam, celebre municipium, & cum primis frequens. Hic in supplicatione civium, pacem a Deo veniamque petentium cum lacrimis, susceptaque corporum afflictatione, accidit, ut Oyarzabali nudis pedibus eunti hæreret e via acutum os, quod eum dies aliquot ægrum habuit. Ob sparsum vero rumorem, qui ingenti cum admurmuratione totum Peruvium pervasit, expectabat anxie insignes nuncios divini verbi princeps urbs Chuquisaca, quæ caput præfecturæ Charcarum est, ubi sacrum jus dicit Archiepiscopus, & regias leges tuetur Senatus Indicus, ad quem magnæ partis Americæ Meridialis lites deferuntur.

LI. Urbem hanc adeuntibus Ignatio, & Emmanuele, tantus ad sacras functiones concursus factus est, ut fuerit aliquoties palam in foro concionandum. Aderat Archiepiscopus D. Gregorius Molleda, aderat Canonicorum patrum collegium, & Senatus regius, urbanusque magistratus. Aderant insuper adolescentes nobiles, qui in seminariis educabantur, maximusque numerus omnis ordinis civium, & religiosorum virorum. Huic audientium multitudini respondit sacræ messis copia, ita affectis omnium animis, ut fuerit ferme nemo e tota civitate, qui sub extremum obiti ministerii ad divinam mensam non accubuerit.

LII. Ce-

LII. Ceterum, quo melioris vitæ susceptum propositum firmitus foret & diuturnius, post habitas conciones cœtus virorum, & seminarum seorsim, sacris D. Ignatii commentationibus exculsi sunt. Inter alia memoratu digna illud contigit Chuquisacæ. Erant Virgines quædam piæ, quas Nazaræas appellant. Hæ, quamvis domo, & privata vivendi conditione, segregatæ essent ab strepitu turbarum, urbanique tumultus; tamen severioris solitudinis nulla tenebantur lege. Post auditos autem Oyarzabalem, & Vergaram, ne, si foras prodirent, conceptus ardor majoris sanctitatis repesceret, a Pontifice Max. petierunt, liceret sibi more Virginum sortis strictioris, votivis se se claustris includere; idque impetrarunt, futuræ civibus exemplo, documentoque, parum esse cœpisse bene agere, nisi accesserit cautio, & constantia, quibus tamquam repagulis nova boni voluntas coerceatur, ne sensim effluens pereat.

LIII. Chuquisaca digressos excepit ingenti gratulatione urbs Pacis, sic vocant. Introitus unum illud singulare habuit, quod Oyarzabal compita, & vias circumiens, acriter se se flagris cædebat, ut ipse stridentium verberum fragor populo patribusque adventus causam denunciaret, clamaretque: *pœnitentiam agite*. Nec vero eam non egerunt cives omnes incitati declamationibus contra vitia, & catechetica institutione. Sed ecce tibi sub ipsa initia concionum correptus morbo est Ignatius, abstinuitque suggestu. Quid ageret in re improvisa Emmanuel? Rectorem collegii adit, spondetque, si per eum liceat, præter Catechismum, habiturum se simul conciones vice Oyarzabalis. Collaudato ille zelo, & ardore animi, annuit votis. Ex eo die utrumque Vergara ministerium urfit. Idem officia civium pro ordinum conditione explicabat placidiore dicendi genere, idem deinde ardentiore oratione contra violatæ legis reos, officiorumque contemptores declamabat. Utriusque hujus ministerii is successus fuit, ut Il. Didacus de Parada, qui urbis Antistes erat, & senatus Canonorum, urbanusque magistratus summopere optarint, iterum Catechismum, & Conciones ab eo haberi in templo PP. Dominicanorum, quandoquidem proximus erat

erat jam dies festus sacri Rosarii : ratus est enim sapiens Episcopus nullum gratius Virgini Mariæ futurum obsequium pro præparatione instantis sollemnitate, quam Apostolicum ministerium. Itaque Vergaram rursus audiit tota civitas voluptate & utilitate summa.

LIV. Per id tempus venit Pacem præfectus Jesuitarum, qui collegia provinciæ lustrabat. Ab hoc Oyarzabal, quoniam (continuato XXV. annis opere illo laboriosissimo circumcursandi urbes) fractis jam erat viribus, nec par ferendo frigori, quod in Peruvicis *Punis* (loca inhospitalia sunt, qua transeundum sæpe) acerrimum est, petiit commeatum in Tucumaniam, ubi mitior coeli temperies. Ob has causas viatico instructus in provinciam Paraguayam, & Bonasauras revertit, ubi ad legem usque jussi exilii (ut solitus olim fuerat cum a sacris excursionibus vacabat) exercitiis S. Ignatii sine ulla fere per totum annum intermissione, cum alii aliis per vices in asceterium huic rei destinatum succederent, cives excoluit 'incredibili animorum fructu.

LV. Vergaræ vero, qui jam spe totum Peruvium præceperat, dolebat maxime in medio se operum sisti : quapropter ab eodem præfecto provinciali rogavit, ut ultra se ire sineret, concessa tamen prius mora, qua conciones sibi aliquot ornaret : neque enim ut declamaret, sed ut Catechismum traderet, e Paraguayâ venerat. Præfectus Provincialis consilium probavit, & omnia benigne poscenti detulit. Substitit igitur Vergara in urbe Pacensi, non solum, ut conciones, quas optabat, pararet, sed etiam ut quibus posset modis civium bono consuleret.

LVI. Neque benemerendi de omnibus defuit illi materies ampla. Voluit Antistes Parada totum Clericorum Ordinem exercitiis spiritualibus ab eo institui. Postea sacras easdem commentationes explicuit seorsim viris, & feminis, alumnisque item seminariorum, & piis Virginibus. In audiendis autem confessionibus, formandisque Pacensium moribus assiduus erat, diebus præsertim festis, quibus compita circumiens vocabat cives ad concionem, quam frequentissimo populo habebat deinde in templo. Domesticis idem adhortationibus

nibus stimulabat socios ad vitæ perfectionem, quam magis exemplo, utpote verbis potentiore, promovebat, modestus in primis, ac secessus amans, atque omnibus, cum rei alicujus causa adibatur, comes & affabilis.

LVII. De reliquo in illo Pacensi otio ita negotiosus fuit, ut centies minimum e loco superiore ad populum verba fecerit, partim concionibus moralibus, quales fuerunt, quas sollemni jejuniorum tempore in æde maxima habuit, partim Divorum laudationibus, ad quas invitabatur. Siquod autem ei munus a benevolis civibus mittebatur, aut officiose remittebat, actis gratis, aut si id non posset sine mittentis offensione, illico ad Rectorem defererebat in Contubernarium usus; adeo tenax paupertatis erat, & contentus iis, quæ aliis communiter dabantur. Denique qui tum domui illi præerat, P. Michael Isaguirre sic Vergaram laudabat, ut integro collegio sociorum parem esse diceret ob studium videlicet opitulandi proximis, ob ardorem operandi, ob doctrinæ præstantiam, & ceteras religiosi, & numquam cessantis Sacerdotis dotes.

LVIII. Biennio amplius urbe in illa vixit. Et tamen commoratio illa ita brevis civibus visa est, ut, cum jam alio ire cogitaret Vergara, sacer, urbanusque magistratus scripserit ad præfectum provincialem, vel permetteret, vel cogeret diutius aliquanto eum ibi versari. Verum oportebat & aliis civitatibus Emauelem evangelizare. Abeunti inde iter fuit per oppidum JULI, quod est ad ingens illud stagnum *Chucuito* nomine. Erant hic pro ministerio Indorum quattuor Curiones Jesuitæ, simul habitantes domum unam, sed attributa singulis certa circum regione, quam curarent: atque ea ratione, & ordine pro se quisque clientium suorum bono institutione consulerebat, ut omnia recte, & sine ulla perturbatione fierent. Qui modus neophytis subveniendi valde probatus fuit Regibus CC., optaruntque, ut Julica illa sacræ administrationis forma in cunctis Peruvii oppidis stabiliretur.

LIX. Amanter exceptus a Curionibus istis, & a domus Rectore, Vergara illos vicissim in cubiculum ipsi

ipsi attributum invitavit. Cum convenissent, exordio
 usus pro tempore, eos familiari hortatione accendit
 (quid enim illi a tali hospite expectarent præterquam
 concionem?) ad munus istud suum sancte fideliterque
 administrandum, propositis D. Pauli verbis: *opus fac
 Evangelistæ, ministerium tuum imple*, quæ ita ad rem
 præsentem accommodavit, ut docti auditores, & ad-
 miratione dicentis, & pio sensu animi tangerentur.
 Valere jam jussis Julicis Curionibus, constitit in vico
 alio, cui nomen Puno, ubi Catechismus, & con-
 ciones de more habuit, confluentibus undique Hispa-
 nis, Indisque, qui per rura sparsim degunt, multoque
 eos meliores domum remisit, quam venerant.

CUZCUM ET LIMAM PRINCIPES URBES ADIT.

LX. **U**Rbs CUZCO, regia olim sedes Ingarum, &
 Peruvici caput imperii, quanti faceret Vergaram, de
 quo plurima audierat, singulari gratulatione, qua ad-
 ventantem excepit, ostendit. Il. Joannes de Casta-
 ñeda, Antistes, Canonicique patres obviam illi pro-
 cessere instructa civium supplicatione. Ibat Emma-
 nuel nudis pedibus, CHRISTI effigiem dextra præ-
 ferens, eo corporis habitu, eaque modestia, atque hu-
 militate, ut in se omnium oculos animosque conver-
 teret. Introeuntibus urbem occurrebat templum PP.
 Dominicanorum, quod pia illa turba supplicantium
 ingressa est. Emmanuel consensu suggestu gravissi-
 mum sermonem habuit, explicans Apostoli præceptum
 ad Timotheum: *prædica verbum, insta opportune, im-
 portune, argue, obsecra, increpa in omni patientia,
 & doctrina*. Quibus e verbis exposuit sapienter, quæ
 futuræ essent suæ concionaturi, & quæ populi audi-
 turi partes.

LXI. Erant in magna urbe multa, quæ reprehen-
 deret, idque haud mirum, cum nusquam verum non
 sit divinum oraculum: *necessè est ut veniant scandala*.
 Et vero in Peruvicis præfecturis, cum irritamenta ma-
 lorum, aurum argentumque, & eximia agri fertilitas,
 & cuncta vitæ commoda abundant supra modum, fa-
 ctu facillimum est, nasci inde delicias, & luxum, &
 otium.

otium, quibus incolarum plurimi, naturæ fracti vitio, cupiditates solvant suas: vix quippe fiet, quin opulentam regionem, populosque affluentes nimia rerum copia (exemplo sit mollis Asia) invadant tria illa *concupiscentia carnis; & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, qui inexhausti fontes sunt morum licentiæ.

LXII. Catechismi explicationem, acerrimasque XV. dierum declamationes, magna animorum conversio secuta CUZCI est. Duo prætereunda silentio non sunt. Stabilita Domus, in quam se se reciperent mulierculæ, quæ e turpi emerferant cæno. Qua in re illud mirandum magis est, asylum hoc aperuisse ante alios, & urtisse, amasium quemdam, qui pelli-cem domi aluerat: ac pellex ipsa, quæ pariter resipuerat, illo instigante, in claustra ista libens volensque se se abdidit. Atque hoc quidem primum. Erat Cuzci honestarum feminarum, instar earum quas Chuguisacæ Nazaræas appellari diximus, domicilium, ubi arctius, severiusque vitæ genus ducerent. At fervor ille pristinus sensim refrixerat. Sed tamen malum hoc depulsum est concionibus, & consiliis Vergaræ, qui cupidis intentioris curæ animi certas scripsit leges, & dedit vitæ modum, quo ardorem sanctitatis recens conceptum alerent, & deinceps Deo perfectius famularentur.

LXIII. Sex menses Cuzci moratus est tradendis distentus D. Ignatii exercitiis, excipiendisque confessionibus, hortationibusque habendis domi, & foris, ubi rei bene gerendæ spes erat. Et quidem ea egit semianno, quæ alius quantumvis industrius, vix biennio egisset: ita nihil sibi ille otii, quietisve indulgebant. Abiens tandem Cuzco Apostolico opere functus est in Guancabelicæ municipio, & in vico Pisco, & in urbe Ica, aliisque locis, præsertim ad litus maris pacifici, ubi pagorum major est frequentia, villarumque numerus.

LXIV. Guamanga nobilissima urbs est regni Peruvici. Huc etiam se Vergara contulit, ut civibus, totique diœcesi, cui præerat Il. Franciscus Manrique de Lara, prodesset, profuitque re ipsa, traditis morum institutionibus, & assiduo usu sacri tribunalis.

Verum

Verum ardebat jamdiu in Vergara desiderium adeundæ LIMÆ, celeberrimæ illius metropolis Americæ meridialis, unde e maxima multitudine populi, equitumque, sperabat fore fructum uberrimum. Igitur illuc, relicta Guamanga, proficiscitur.

LXV. Ingresso jam urbem IV. Id. Oct. anno MDCCCLXI, processit obvius longo viarum intervallo præpositus provincialis Jesuitarum cum sociis Collegii S. Pauli, eumque deduxit, ingenti civium agmine comitante, in templum, ubi e superiore loco (annuente Canonicorum senatu, cujus erat tum sacrum jus dicere, mortuo per id tempus inter lustrandam dioecesin Il. Archiepiscopo Didaco del Corro) indixit Vergara piæ legationis formam, & futurum modum. Deinde Catechismum habuit, & conciones tanta omnium ordinum frequentia, quanta numquam alias in ædem illam magnificam convenerat. Ut jam ibi functus est sacro ministerio, hoc rursus repetiit, haud minore civium concursu, in domo professæ Sociorum, ac tertium in paroecia S. Sebastiani; adeo ut totos XXIV. dies, nulla capta parte quietis, operam dederit institutioni morum, excitatis Limanis ad virtutem, salutaremque poenitentiam.

LXVI. Postea, more suo, ut animos in suscepto proposito firmaret, exercitia spiritualia exponere aggressus est. Id præcipue præstitit in nobilissimo collegio S. Martini, rogatu Rectoris P. Felicis de Silva. Educabantur ibi tunc clari sanguinis adolescentes undecoginta, quorum pietatem promovere eo libentius studuit Vergara, quod ex eo seminario ferme prodibant & Sacerdotes in templa, & magistratus in urbes, & senatores in curias, & judices in tribunalia. Toto autem tempore, quo sacrum illud otium duravit, apud juvenes illos habitavit, neque habitavit solum, & meditationum argumenta explicuit (docens sigillatim quæ studiosi litterarum sint partes, & quid ab eo parentes, & respublica exigant in publicum bonum,) sed præterea cum eisdem alumnis ibat in templum statis horis, rerumque coelestium meditationi flexis genibus vacabat, & cetera obibat, quæ in secessu illo fieri solent. Quo Vergaræ exemplo visò e propinquo vehementer moti sunt animi adolescentium, qui illius

illius sanctitatem, & doctrinam, & zelum suspiciebant. Itaque eorum fuit nemo, quin melior evaderet a pia illa exercitatione, ut accepimus a Sacerdote, qui tum Minister erat, & Cenfor morum in contubernio illo.

LXVII. Quod ad cives Limanos generatim attinet, ut divinæ sementis, quam jecerat, ortam messem, manipulosque colligeret, ita Vergara in audientis confessionibus eorum, qui ad illum accurrebant, frequens, & stabilis erat, ut aliquando quattuordecim continenter horas sedisse dicatur in sacro tribunali. Privatae autem vitæ tenor is ipsi erat. Horas, nisi gravi causa, prodibat numquam, vitato, quoad ejus fieri poterat, urbanorum hominum colloquio. Quod si honestus titulus vel illos domi adire cogeret, vel ad se ultro venientes admittere, expediebat se se quamprimum, implicari nolens negotiis sæcularibus, promptus ceteroqui semper ad sacra munia, quotiescunque, atque ubicumque se se dabat occasio animorum boni.

LXVIII. Sibi relictus continebat cubiculo se se, legendo, scribendoque intentus: neque inde egrediebatur nisi ad adorandum latens Numen in templo. Sub vesperam ibat ad domesticum sacellum, ut res coelestes attento animo, pervolveret, quam meditationem addebat Orationi illi bene longæ, qua mane ad sacrificium se se parabat. Quibus rebus Vergara, & composito corporis animique habitu, & servato silentio, & obedientia, & submissione, & acri sensuum castigatione, cujus erat pars frequenter obita artuum verberatio, incitamento erat omnibus ad disciplinam religiosam.

LXIX. Atque hæc constans est testificatio eorum, qui in collegio illo maximo cum Vergara vixerunt. Videbatur mihi, ait Limanorum unus, abstractus ille quodammodo a terrenis rebus vivere, & ad Dei præsentiam perpetuo animum componere. Modestia ei tanta & domi, & foris, quanta in fervido tirone esse vix potest, & certe talis erat, quantam in suis volebat S. Ignatius. Viva idem fuit nobis regula perfectionis, externis autem insigne exemplum virtutis. Equidem illud vere dixerim fuisse Vergaram e præstantissimis

stantissimis viris, quos sanctitate eximios, & sapientia norim. Recordor autem adhuc hortationum, quas ad nos habuit, ardentes illas, & plenas divino afflatu, quo intus agebatur. Doctrina, eloquentia, facilitas in dicendo plurima. Super illis verbis: *oportet semper orare, & non deficere* haud semel differentem audiui, quo in argumento tractando spirabat coelestem illum ignem, quo ardebat ipse. Hæc Limanus Socius.

LXX. Ceterum pro eo studio, quo flagrabat Vergara alienæ salutis, volvebat animo, ubi Peruvicis urbibus operam suam impendisset, penetrare in Quito regnum, ut in illius incolas sacri ministerii laborem pro virili parte derivaret. Neque his contentus, quæ agebat in America, scriptis gravibus ad amicos in Europam litteris, eos hortatus est, ut se totos piæ proximorum curæ, institutionique traderent, quandoquidem ex eis summa constaret Dei gloria, & hominum æterna felicitas: erat nimirum Emmanuelis zelus instar ignis, *qui numquam dicit: sufficit*.

PRÆFICITUR SOCIIS PERUVICIS

LXXI. **Q**UINOS Limæ posuerat menses, cum nihil tale opinanti redditæ sunt Roma litteræ, quibus a Præposito Generali Laurentio Riccio præfiebatur Sociis Peruvicis Visitatoris titulo. Delatum munus non gaudium a dignitate peperit Vergaræ, sed timorem, angoremque ab administratione, quippe cui in divinis oraculis versatissimo occurrebat illud: *durissimum iudicium his, qui præsumunt, fiet*. Quod cum secum reputaret, expenderetque sollicitus, quæ jubenda, quæ vetanda essent, repertus est quondam in cubiculo lacrimari, intelligebat enim sibi respondendum de singulis Sociis, fidei commissis suæ, Judici supremo.

LXXII. Cum autem præfecti exemplum in utramque partem valeat plurimum, qui antea spectatus virute fuerat, multo fuit deinde spectatior. Namque, ut ipse sapienter olim dixit in adhortatione domestica de Superiorum officiis agens, præfecti dignitas *non est forma sanctificans: neque moderatorum munus quicquam*

quicquam aliud est, quam necessitas quædam sanctius vivendi, ut qui priores gradu sunt aliis, aliorum sint norma ad disciplinam religiosam, & innocentiam vitæ.

LXXIII. Jam duo erant, quæ a sibi creditis reposeret Vergara pro Instituti ratione, alterum, ut suæ quisque perfectionis, quam religiosus status exigit, satageret, alterum, ut salutis animarum sedulo procurandæ, divino innisus præsidio, daret operam. In hanc rem ille statim ab inito magistratu doctam, & nervis plenam scripsit epistolam, (typis edita est) qua omnes officii admonitos sui ad adjuvandos omni ope, studioque Hispanos, & Indos hortabatur, vel si isto in negotio divinæ gloriæ gravia incommoda, maximique labores subeundi essent.

LXXIV. Ut autem opus hoc urgeret, & Sociorum conatus acueret præsens, egressus Lima provinciam circumcurfavit, invisitque pro munere collegia, quæ erant Guamangæ, Cuzci, Lapani (vulgo Lapan) Oruri, Pace, Arequipæ, Piscis, Cochabambæ, Chuquisacæ, & Potosii. Quæ prima illius lustratio, ut longissima viarum intervalla erant, partem anni MDCCCLXII., & sequentis tenuit. Modum vero regendi Socios suavem, & mitem asperiori prætulit, & severiori, quamquam, quæ corrigenda censuit (neque enim in magno corpore desunt unquam, quæ corrigas) ad justas Societatis leges redigere conatus est, reprehensioni non parcens, & poenæ, siquam quis meruerat. Quod cum gratum sit viris vere religiosis, & disciplinæ amantibus, tepidis contra oblitisque sui durum, & acerbum accidat, necesse est: nec fieri potest, quin quo tempore ab aliis ob æquitatem, & justitiam laudaris, quærelas aliorum audias, & murmura.

LXXV. Ceterum ab omni rerum verborumque austeritate tantum Vergara absuit, ut nonnullis benignior æquo, & placabilior visus sit. Sperabat ille & adhortationibus publicis, quas frequentissime habebat, & privatis monitis factum iri, ut nemo melior non fieret, redderetque Deo, quæ obligato religiosis votis animo sponte sua promiserat. Id autem in primis cavebat Vergara, ne, sicujus nomen ad eum deferretur, quid

quid temere statueret, vel in absentem, inauditumque animadverteret; sed objectis, quæ dicebantur, aptum defensionis dabat locum, & tempus.

LXXVI. Quæ a domesticis curis vacuæ erant horæ, has Vergara utilitati externorum tribuebat; & fuit quidem lustratio illa provinciæ sacra quodammodo expeditio, qua municipiis, urbibusque Peruvicis denuo profuit. Etenim ea oppida, in quibus antea non fuerat, excoluit catechismo, & concionibus, ut factum est in vico Chinchæ (Chinca dicunt) rogatu clerici Curionis, inque aliis locis, quorum mihi nomina præsto non sunt. Ubi vero olim sacra ministeria frequentarat, eadem repetiit, ut in urbe Pacensi, quam tamdiu, & tanto civium profectu ad omnem virtutem informarat.

LXXVII. Verum tamen, ut instabiles sunt hominum voluntates, bono tritico, quod illic seminabat Vergara, superseminarat, eo absente, zizania inimicus homo, erant quippe exortæ inter aliquos quædam similitates, quas pii viri extinguere frustra studuerant. Id ut ille rescivit, acerrimam concionem habuit de Christiana caritate, remittendisque acceptis injuriis. In ipsa declamatione cum consulto auditores excitasset ad recitandam dominicam orationem, ubi ventum est ad verba illa: *Et dimitte nobis debita nostra*, abrupta repente precatione, & composita ad terrorem voce, exclamavit, ne pergite cives, ne pergite: adjicienda enim est precantibus conditio illa necessaria, & nonnullis tremenda, qua a Deo debita nostra nobis dimitti poscimus; *sicut Et nos dimittimus debitoribus nostris*. Quod si hanc legem impetrandæ a Deo veniæ pronunciarint ii, qui in gratiam redire cum inimicis nolunt, vis illorum precationis hæc erit: ulciscere vindex Deus peccata mea, ut injuriam mihi illatam ulcisci ego volo; noli me tu inimicum tuum pati, neque parcas umquam mihi, quemadmodum adversarios ipse meos pati non possum, neque eisdem parco. Hæc cum vehementius intonuisset, magni facti sunt animorum motus, illique, quos id spectabat, sibi ultro præteritas offensiones condonarunt, abolitisque odiis redintegrata

grata pax , & caritas est. Atque hæc quidem in urbe Pacensi.

LXXVIII. Arequipam inde cum venisset Vergara , a collegio patrum Canonicorum (erat sacrum ibi interregnum) compellatus , ut quanta audiverant ab eo alibi facta , faceret in ipsorum urbe , & ditio-
ne , haud recusavit : & major expectatione fructus fuit , civibus per Catechismum dignos Christiana vi-
ta mores doctis , deterritisque per solidas , plenasque roboris declamationes , a licentia sæculi nequam.

LXXIX. Ergo lustrata jam parte illa provinciæ , quæ ad austrum vergit , exeunte an. MDCCLXIII. Limam Vergara rediit. Ibi conciones iterum habuit , & Catechismo cives instituit , pari ac olim aviditate a populo patribusque auditus , addita summa appro-
batione Archiepiscopi Il. Didaci de Parada , qui tan- ti olim Vergaram fecerat in urbe Pacensi , cujus e sacro solio ad solium Limanum provectus jam erat.

LXXX. Post menses aliquot in principe illa urbe positos ad collegia provinciæ septemtrioni obversa profectus Vergara lustrandi causa , venit Truxillum CCC. m. p. itinere. Ejus adventu gavisus magnopere Il. Franciscus Xaverius de Luna Victoria , enixe ab illo petiit , ne , quod pabulum divini verbi aliorum ovibus impertierat , suis negaret . Optimi pastoris voluntati obistere nec voluit , nec potuit Vergara : eaque sedulitate Truxillenses erudiit , tan-
toque ardore ad retinendam virtutem bonos , ac improbos ad veram pœnitentiam hortatus est , ut Anti-
stes lætitia gestiens , quod votis suis factum esset satis , ultro institerit , ut eadem illa sacra munia in frequentissimo diœcesis illius municipio , cui nomen Lambayeque , inque oppido Chiclayo , illuc digressus obiret . Res erat per se molestissima , distant enim loca illa ab urbe CL. m. p. tamen eo alacer contendit Vergara , atque utrobique , XV. dierum labore assiduo , incolis illis timorem Domini , & virtutis amorem inspiravit.

LXXXI. Itaque peragratissimè illac Societatis domi-
ciliis , sancitaque legibus opportunis religiosa disci-
plina , in Regum urbem (sic etiam Lima vocatur) revertit an. MDCCLXIV. Illic , cum nihil ei ingra-
tius

tius esset otio, gravibus se se curis exercebat tum respondendo ad ea, quæ interrogabatur, tum habendis domi concionibus (has, eo jamdudum mortuo, licuit mihi legere,) quibus stimulabat socios ad perfectionem vitæ, ad zelum animarum, ad modestiam, ad humilitatem, ad patientiam laborum, ad silentium, ad amorem orationis, ad caritatem fraternam, ad religiosum secessum, ad studia litterarum, atque alia hujus generis. Sed ecce tibi novis a Præposito Generali litteris renunciatus est provinciæ Paraguayæ moderator. Quocirca, salutatis amanter, & officiose Peruvicis Sociis, ad suos postliminio remeavit.

REDIT IN PARAGUAYAM PRÆFECTI PROVINCIALIS MUNERE

LXXXII. **R**epetenti Tucumaniam Vergaræ, qui ut nihil in dives Peruvium intulerat, nihil inde secum efferebat præter susceptorum laborum merita, transeundum erat Cuzco, ubi tot olim operosi ministerii monumenta reliquerat. Hæc causa fuit, cur primores urbis eum non illuc amplius reditum rogarint, ut de integro cives e loco superiore ad virtutem accenderet. Frequentia maxima fuit. Convenere e vicinis oppidis multi, interque hos aliquot ex iis, qui pagis Indorum jus dicunt, hispano nomine *Corregidores*.

LXXXIII. Magistratus isti, cum prodesse plurimum popularibus possint, si lege agant, nocent e contrario quammaxime, si potestate sua abutantur contra Regis edicta. Quid fieret, norat Vergara, ac proinde in concione quadam de administranda justitia differens ardenti animo, vultuque non dubitavit dicere: quantum arbitror, & me publicus docet usus, vix ullus e præfectis istis salvus ad vitam evadit. Dicam iterum, & maxima dicam voce, ut omnes exaudire possint; erigite mentes, aureque vestras, summi enim momenti res est: e præfectis hujusmodi vix unum puto salvum ad vitam evadere. Id a tali viro, & tali dictum loco, ita perculit illorum quinos, ut abdicare se se magistratu decreverint, fecissentque

cissentque, nisi retenti fuissent a quodam, nimirum illo fortassis benigno, qui eis suggessit consolandi gratia, peccata ea, quæ munus istud infamarent, non muneris esse, sed munus male administrantium, quem ipsi scopulum poterant vitare proposita sibi moderatione, & æquitate, quod quidem Vergara non negabat.

LXXXIV. Absoluto Cuzci sacro ministerio, ire perrexit Vergara in Tucumaniam, venitque ex itinere Potosium. Atque hic quidem post undecim jam annos ita erat recens & grata illius memoria, ut abire eum cives passi non sint, quin rursus opere Apostolico fungeretur. Novus autem hic labor veteris illo fuit major. Ea quidem certe contentione in conciones incubuit, ac tanta assiduitate contentibus aures dedit, ut vehementem inde capitis dolorem contraxerit.

LXXXV. Male adhuc affectus iter Tarixam versus urisit, neque indicavit ulli comitum, quid eum angeret, quousque, longissima jam functus via, pervenit in nobile illud municipium. Hic cum nihil remitteret vis morbi, rem tandem suis aperuit. Tum Josephus Gil, qui eum comitatus fuerat, & cœli Potosiani erat admodum expertus, atqui si id nobis, inquit, statim detexisses, haud tot dies ægritudine hac vexatus fuisses. Lava pedes calida, Potosii hæc certa gravedinis istiusmodi medicina est. Dictum factum: lavit, & gravis ille dolor evanuit.

LXXXVI. Tarixæ, ubi primum erat provinciæ Paraguayæ collegium, pridie Kal. Octobr. an. MDCCLXVI. magistratum iniit die sacra D. Ignatio, cujus ut vestigia sequerentur, & leges sancte observarent, hortatus Socios, & recognito domus illius statu, ultra progressus venit Saltam urbem pratoriam. Erat mensis September, neque ullum opportunius tempus esse poterat, quo ille sacro ministerio fungeretur. Pretium erit operæ rem hanc paulo altius repetere.

LXXXVII. An. XCII. sæculi superioris Idibus Septembribus, binis ante meridiem horis, urbs Salta immuni terræmotu concussa est. Nutabant domus, tantusque erat tremor, ut cives in compita, & forum

rum certatim proflirent, ne ruina tectorum obruerentur. Attonitis omnibus, ingressus quidam in templum est, ut divinam opem imploraret. Is reperit simulacrum Virginis Mariæ, quod in medio erat altari, e loculo suo decidisse, nec tamen (quod pondere ipso fieri debuit) stratum erat humi, sed stabat converso vultu in Eucharistiæ tabernaculum: neque id solum; sed cum e ligno esset statua, nihil e casu passa est, tantumque serpens, quem Virgo premebat pede, male habuit. Rem miratus pius civis simulacrum in forum profert. Eo viso erecti omnium animi ad præsidium Virginis intensius invocandum, adhuc enim terra per intervalla movebat. Tandem reddita urbi quies est, & pax civibus, qui id factum ope Virginis merito rati, præsidem suam appellarunt *Virginem a miraculo* (*la Virgen del milagro*), hodieque nomen durat. Crevit Saltenesium amor, & pietas in adjutricem suam, cum paulo post nuntiatum est, urbem Esteco, quæ L. leucis ad austrum distabat, eadem illa die, eodemque terræmotu totam subsidisse cum civibus, ut nulla appareret domus, nulla ædificiorum indicia, sed vastus campus, ubi florentissima colonia Hispanorum fuerat.

LXXXVIII. Tanto rerum omnium casu, & vitæ discrimine erepti Saltenses statuerunt anniversariam rei memoriam celebrare. Triduum gratiarum actioni dedicant ab Idibus Septemb. Quotidie majori carimonia sacrificatur, habeturque mane concio de Virginis laudibus, vespere autem vehemens declamatio contra vitia, quæ Dei dextram armant in homines. Sæculum jam pæne elapsum est, & tamen nihil hac parte refrixit civium ardor. Si urbem tum adieris, cernas salutarî mœrore defixos omnium animos; tantusque est ad sacros iudices concursus etiam e remotis agris, ut ne major quidem sit in ipsis Paschalibus sollempniis. Die tridui extremo publica supplicium, & poenitentium incolarum concursatio fit per vias agmine composito. Hoc scilicet sapere est, & Dei consilio in puniendis hominibus, ut resipiscant, obsecundare. Itaque Vergara hanc occasionem arripuit Saltenses instituendi sacris declamationibus, quas magnus animorum fructus consecutus est.

C 2

LXXXIX.

LXXXIX. His actis, cognitisque collegii rebus, viæ iterum se se dedit, lustravitque pro munere collegia Tucumanicum, & Jacobopolitanum, excitatis Sociis ad vitæ sanctimoniam, assiduamque & rectam administrationem ministeriorum Societatis. Tandem pervenit Cordubam, unde in Peruvium missus fuerat. Complexus hic tanto post intervallo pristinos sodales ingenti gaudio exiliit, optatissimæque sibi domus (ubi educatus ipse tot vicissim studiosos litterarum educarat) conspectus omnia absterfit tædia & ærumnas longissimarum, asperrimarumque viarum.

XC. Asperrimarum dixi viarum, & longissimarum; cum enim maximam Tucumanicæ præfecturæ partem, totumque Peruvium peragravit Vergara sacris excursionibus, si ad calculos loca omnia redigas, facile conficies tria leucarum millia. Quod cum per se laboriosissimum sit, tum ipsa itinerum conditio multo est gravior. Namque ab ultima Tucumania Peruvium ingressis per altissimos montes eundum est, nive geluque oblitos, atque ita horridos, ut feris ipsis inhabitabiles sint. Viatores autem, rigenti corpore, & sanguine pæne concreto, ita argent, ut exanimari videantur. Atque hæc illa est regio argenti ferax & auri; quasi providus parens naturæ, ipsa tristi specie soli metalliferi abstertere homines voluerit, atque optarit avocare a tentandis opibus abstrusis, quæ plerumque venarum intima rimantibus exitio sunt, neque enim raro fossa illa profunda, qua in viscera terræ itur, tumulus fossorum & sepulcrum repente fit.

XCI. Nec minus frigore gravis alibi calor. Depressa, & humilis pars Peruvii (si quosdam excipias tractus, quos lenis aura e vicinis montibus afflat) perpetuo torretur æstu solis ferventissimi, qui illuc, ut in media Orbis plaga, directo incumbit: nec sudori mananti ex artubus modus est ullus. Accedit huc, quod cum urbes, & oppida longis alicubi inter se spatiis distent, nec diversoria sint, vescendum est, & meridiandum, ac deinde pernoctandum vel sub arborum ramis, vel sub tentorio rudi, & vix apto arcendis ventis, & imbribus. Commeatus præterea omnis afferendus est, etiam aqua nonnumquam, cum
per

per arida deserta eatur: ac si quis lacus obuius est, asper sit, vel falsus. Hæc dicta sunt de quibusdam tractibus illius regionis: nam pars plurima Peruvii & uber, & salubris est.

XCII. Atqui inter tot illa incommoda queri Vergara auditus non est, ea pro Deo libenter perferens, cujus ob honorem iter susceperat. Una tantum nocte, quæ moestissima fuit, visus est aliquanto tristior esse, & perturbatior; idque non sui causa, sed comitum, qui cum iniquo minus in loco consistere vellent, ille maluit progredi, non hiscentibus aliis præ viri reverentia. Accidit autem, quod, cum expertibus ducibus non creditur, solet. Consecuta est statio pessima: ac proindeangebatur Vergara, quod ejus culpa tot ea mala socii paterentur. Ut vero ipse natura robustus erat, æumnis istis invictum se se præbuit, nisi quod aliquando quartana febris laboravit, ægrisque fuit pedibus a morbo illo tenaci, & fastidii pleno, quem vocant herpetem; neque tamen id impedimento fuit, quominus infirmitatem corporis animi virtute superaret, & assidue concionaretur, atque in ministerium Apostolicum totus incumberet.

XCIII. Receptus igitur Cordubæ singulari omnium gratulatione, prout longius fuerat ipsius desiderium, capta aliquamdiu quiete, res Collegii ordinavit, incitavitque crebro, ut erat solitus, magno spiritus ardore, & doctrinæ copia ad officia hominis religiosi Socios omnes: in primis vero curam habuit adolescentium, quorum ingens numerus, ut dictum est, disciplinis ibi liberalibus erudiebatur: & fuit, cum ad eos seorsum verba fecit adhortans, ut pro Dei gloria, inque futuram proximorum utilitatem, serio studiis litterarum vacarent, palam professus, quæ suæ essent partes, nihil se se omisurum, quin, qui virtute, & scientia eminerent, digna referrent præmia diligentiae. Atque id quidem recte: quantumvis enim juvenes, qui spretis honoribus, opibusque se se Deo devoverunt, nihil sibi proponere, præter Dei obsequium & laudem, debeant; par tamen est, a præfectis præcipuo haberi loco benemerentes: neque enim ulla res ingenii vires, & industriam magis frangit, quam si moderatorum auctoritate,

te, & dilectione præpostera, pluris fiant, qui omnium opinione minus valent animi dotibus & eruditione.

XCIV. Ingressurus rursus iter Vergara, ut provinciam lustraret, pependit anceps, iretne prius Bonasauras, primariam urbem, an ad oppida Guaraniorem: atque hæc demum non sine insigni Dei providentia prætulit. Itaque relictis Sociis Cordubensibus, qui contra nostram, ipsiusque Vergaræ spem, revisuri eum eramus numquam, recta ad S. Fidei urbem, unde transitus est ad Guaranos, contendit. Posita autem non longa mora in collegio, quod ibi Societas habuit, Paranam amnem trajecit, terrestrique itinere ad primum oppidum, cui nomen Yapeyu, pervenit postridie kal. Jul. an. MDCCLXVII. Lætus admodum visis Sociis, & admirans singularem illum ordinem, modumque, quo Indi instituebantur, ignorabat idem (quæ mortalium rerum inconstantia est,) quantum lacrimarum pro brevi illa lætitia sibi pararetur in media provincia, unde procul aberat.

VERGARAM VOCAT AD SE PRÆTOR BONAURENSIS

XCV. **A**llata erat nuper ex Europa Regis Catholici Caroli III. lex de exilio Jesuitarum; & celox quidem, quæ illam vehebat, in Argenteo amni naufragium fecit: sed evasere nautæ, & Regiæ litteræ redditæ sunt Prætori Francisco Bucarello. Is V. Non. mensis Julii an. MDCCLXVII. inopinantes comprehendit Socios, qui Bonisauris binas habitabant domos, missisque propere militibus cum Tribuno Cordubam, oppressi sumus IV. Idus, qui in ea urbe nihil tale timentes tranquille agebamus: in hunc modum deinceps alia alibi collegia occupata sunt, & custodiis munita. Res hæc cum civium animos ubique locorum perculisset, illico per totos trium præturarum Bonaurensis, Tucumanicæ, & Paraguaycæ fines volitarunt tristes nuncii, inque ipsa oppida Guaraniorem penetrarunt.

XCVI.

XCVI. Qui moeror Vergaræ tum fuerit, cogitari potest, expleri verbis non potest. Idem fuit omnium, qui inter Guaranios versabantur, Sociorum dolor, dolorique addita sollicitudo: Timebant enim nequid, denunciata futura abitione, moverent Indi, velut olim, iussu migratione e septem oppidis cisuruguaycis, tumultuati fuerunt, obsederuntque itinera, domosque Curionum circumdederunt, ne illinc, ipsis relictis, clam excederent. Tamen Vergaræ prudentia, vigiliisque factum est, ut imperata sine ulla neophytorum seditione transigerentur.

XCVII. Principio litteras dedit ad Curatores Curatorumque adjutores, edicens, ut opportune, impertune, in concionibus, in catechismo, publice, privatimque, suorum quisque clientium animos parentem ad demisse, reverenterque decretum Regis excipendum, parendumque obsequiose novis Sacerdotibus, qui pro eorum institutione submittebantur: id enim & ipsis Indis, & Jesuitis, quos parentum loco habuerant, unice expedire: secus si facerent, innumera utrisque superventura mala, irato Rege. Hæc ille absens, atque eadem, obitis oppidis singulis, coram inculcabat.

XCVIII. Interea binæ a prætore Bonaurensi, cujus in ditione sunt Guaranici populi, afferuntur litteræ: alteris Laurentio Baldæ, qui Missionum, (sic vocant) erat superior, præcipiebat, ut statim ad se ex singulis oppidis præfectum Indorum (*Corregidor hispane*), & unum Caciquium mitteret: alteris litteris imperabat Vergaræ Provinciali, ut quamprimum Bonasauras descenderet: neutri de exilio, nec cur ea juberet significabat. Paruit uterque. Balda curavit Indorum præfectum, singulosque Caciquios ex singulis oppidis proficisci. Atque illis quidem, ut postea rescitum est, ubi se se stiterunt prætori, multa, & magnifica dicta sunt de felicitate, bonisque ingentibus, quæ Guaranicam gentem manebant, ablegatis inde Jesuitis, substitutisque aliis Curatoribus: quæ omnia iidem in oppida remissi suis commemorarunt.

XCIX. Nec minus Balda Superiore fuit diligens Vergara. Iter, Yapeyuo profectus, arripuit cum
Sigis-

Sigismundo Grieræ, qui ei erat a secretis, & laico uno. Erat via XV. dierum usque ad oram fluvii Paraná, atque inde aliquanto longior in urbem prætoriam. Processerat jam plurimum, cum obvius tabellarius aliam a Bucarello epistolam reddidit: summa illius erat: si adhuc in oppidis Guaranicis esset, ibi subsisteret: sin autem longius jam inde abesset, pergeret Bonasauras venire.

C. Hoc novo mandato hæsit Vergara, nescius utrum faceret e voluntate prætoris, quæ incerta erat, nullum enim viæ spatium definiebat, unde res decidi posset. Perpendenti singula Vergaræ illud tandem visum est melius factu, si iter inceptum promoveret ad oram usque Paraná, atque illic a monito Bucarello iussu ultima opperiretur. Venit igitur in pagum, quem amnis ille præterfluit, & dicitur *la Baxada*. Hinc scripsit, ubi esset loci, percontabaturque prætorem, quid mallet fieri, regredine se, an progredi? Respondit ad hæc ille: rediret ad Guaranios, atque eum ibi præstolaretur. Obeditum præcipienti est. Converso itinere, Yapeyum Vergara repetiit.

CI. At vero Bucarelus (incredibile dictu) anno integro profectionem in Guaranios distulit, quamvis illum ardentibus interdum litteris instigaret Laurentius Balda pro munere Superioris Sociorum illic degentium: quid circumspiciebat? quid morabatur? pacata esse omnia, & tranquilla, atque Indos assidua admonitione paratos excipiendis reverenter novis Sacerdotibus. Successores tandem mitteret ex Regis voluntate, dum sine ullo periculo licebat. Quod si, ut instabiles sunt hominum animi, Indi tædio victi, ambiguique inter abituros, venturosque Curatores, aliquid molirentur, recalcitrarentque, non se, nec suos, qui nihil, quod ad hanc rem pertineret, prætermisissent, repræsentaturos Regi culpam corrupti negotii, sed prætorem ipsam, qui tempus trahe-ret, & sponte sua procrastinaret.

CII. Nostrum non est causas scrutari, cur adeo lente rem egerit Bucarelus. Illud hic unum certum est, timuisse eum ab Indis, cum satis sciret, vehementer ipsis doliturum discessum Jesuitarum. Sperabat autem

autem & tempore leniri dolorem posse, & omnia recte processura, si diutius inter eos Vergara versaretur, & paulatim animos disponderet ad Regi submittere parendum. Hoc illius consilium fuit, cui exitus felix respondit, maximis tamen curis, & molestiis Sociorum. Equidem sic existimo, nihil umquam gravius & acerbius accidisse Vergaræ, & cultoribus Guaraniarum, anno illo protracti exilii, cum simul jubèrentur, quod per se tristissimum erat, clientes suos deferere, simul inviti inter eosdem retinerentur. Hinc recurrebat labor ille quotidianus hortandi Indos, ut se se ex animo submitterent Regis decreto.

CIII. Et vero promissa illa Bonaurensia de tot futuris bonis, mutata oppidorum sorte, cum ne ipsi quidem præfecti, & Caciqui, qui primi audierant, satis crederent, nihil vicissim moverant oppidanos. Quapropter quoties de futura protectione injecta erat mentio, & Vergaræ præcepto injiciebatur sæpissime; toties neophytis lacrimæ, ac gemitus erumpebant: quod cum Sociis summo esset angori, tum illud erat difficilius ad illorum interrogata apte respondere: quæ videlicet fuisset causæ tantæ & tam inopinatæ rei? cur se se in Christo genitos non pergerent educare? avos suos, & proavos a Jesuitis excultos, oppida illa condidisse: neque alios umquam versatos ibi magistros religionis: quid sibi futurum ipsis abeuntibus? vestrane culpa, an nostra jubemini hinc excedere? Abs se autem in liberos versa cura, quis, ajebant, filios nostros utilibus instruet artibus? quis in officio continebit, docebitque mysteria fidei, & errantes corrigit?

CIV. Hæc, & sexcenta alia, quærebant illi quotidie, non sine suo, Sociorumque luctu, Vergaræ utique, qui Indos tenere amabat. Responsum vero ad singula ita temperandum erat, ut si minus pacaret commotos animos, aliqua saltem parte mitigaret. Denique post funestissimum annum monuit Vergaram per litteras Bucarelius, daret operam, ut ad certum locum, quem adverso Vrugwayo petebat, præsto sibi plaustra essent pro excipiendis impedimentis. Huic mandato sic Vergara fecit satis, ut eo loci plura etiam,

etiam, quam volebat prætor, plaustra convenerint cum largo comineatu, quo e navi exscendens cum prætoria cohorte uteretur.

EX OPPIDIS GUARANICIS EGREDITUR.

CV. **P** Ræmisit Bucarelius legatum, qui publica auctoritate (id enim nondum factum fuerat) Vergaræ Sociisque Guaranicis exilium denunciaret. Ille cum ad se Jesuitas vocasset, lecto decreto Regis coram testibus, quæsit a Vergara, quid ad hæc tu? Ille tranquillo, modestoque vultu: *Ego vero, inquit, me & meo, & eorum, quibus præeo, nomine præcepto isti Regis mei penitus subjicio, illudque veneror, capitique impono meo.* Substitit paulisper legatus attonito similibus, mox illacrimans, *haud aliud a re, ait, provincialis, expectabamus.* Quod ille sincere, & candide dixit; ministri enim regii, etiam illi qui Jesuitas nequaquam amabant, magni semper Vergaræ virtutem, moderationemque fecerunt, & detulerunt plurimum ejus consiliis.

CVI. Postea; cum successores Curionum venissent jam in oppida, reverenterque ab Indis excepti essent, Vergara cum parte Sociorum, consensu lembo, ferri coepit secundo Uruguayæ, qui oppidum Yapeyum præterlabitur. Ab Yapeyuo autem leucis circiter XL. claustra illius amnis sunt plena periculi, per extantia enim scopulorum capita, variis mæandris, & flexibus, immensa se se præcipitat aquarum moles; nec nisi cum alveus imbrium incremento euripos illos mitiores reddit, tutus navigantibus est ascensus, descensusve.

CVII. Ad has salebras, quas Guaranii vocant *Itu*, plures dies detentus Vergara est, dum trajectio Bonasauras parabatur, summo incommodo, neque enim ad ripam amnis aliud erat, quo se cum comitibus reciperet, præterquam quædam stramine, boumque coriis tecta tuguria. Atque id quidem levius erat malum; illud longe gravius, quod sacrificandi illic copia non fuit: & vero dies sacri S. Jacobo, Hispaniarum patrono, B. Annæ, & D. Ignatio, sine sacrificio

crificio acti sunt, quæ res afflictabat vehementer Vergaram, moerentem litare se tum non posse, cum maxime vellet. Itaque dura victus necessitate secedebat, clam fociis, in abditum locum, ibique flens a præsentī Numine, quoniam in ara non poterat, vim sibi spiritus, & patientiam suppeditari precabatur.

CVIII. Ubi tempus jam fuit, repetito fluvii cursu, delati sunt ad ostia Uruguayi, qui devolvitur in amnem Argenteum. Hujus autem alveum, qui illic maris instar est, cum trajecissent, appulerunt demum Bonasauras exeunte jam Augusto mense. E portu deductus est Vergara in domum, ubi Jesuitæ per vires toto anno instituebant viros (pro instituendis seorsum feminis alia erat ædes) D. Ignatii commendationibus sacris. Inclusus illic fuit cum Sociis Uruguaycis, eodemque deportati sunt, qui ad fluvium Paranam Guaranijs alios curabant. Hi, ærumnarum participes, consolationi erant Vergaræ, & Vergara vicissim eisdem exemplo auxilioque. Quippe singulos modo privatis colloquiis, modo universos in sacello domestica concione cohortabatur, ut omnia a divina providentiâ sperarent, ac ne oblatam benemerendi, augendæque æternæ mercedis occasionem elabi incassum paterentur.

DEPORTATUR IN EUROPAM.

CIX. **A** Sservati illic sunt ad kal. Novemb. anni MDCCCLXVIII. Et quoniam LXXXII. Jesuitæ in binas naves imponendi erant, Bucarelius ob conceptam de Vergara opinionem ipsi permisit, ut designaret, qui quaque in navi ituri essent. Eidem autem deinde, quadam prærogativa, attributum est cubiculum navarchi, qui (nescio qua causâ) remansit Bonisauris, substituto alio, qui pro ipso navim regeret. Igitur in suum quisque navigium kalendis Novembribus conscenderunt.

CX. Navigatio tamen (ut pro longissimo Oceani tractu in vim ingentem hominum, qui simul eunt, plurima paranda sunt) coepta non est nisi VI.

Idus

Idus Dec. felicibus Virginis Mariæ, cui facer ille dies est, auspiciis. Et quidem Vergara in illibati conceptus mylterium tanto pietatis sensu afficiebatur, ut sæpe auditus sit dicere, æquiore se animo tot in Societatem exorta mala ferre, quod tum acciderent, cum Beata Virgo, Rege Cath. Carolo III. deprecante, a Pontif. Max. assignata esset toti Hispaniæ patrona titulo immunitatis a primæva culpa: fieri enim non posse, quin Hispanis clientibus inter tot terra, & mari labores, aliquam latura esset opem tanta regni Præses, & Custos.

CXI. Navigans Vergara idem fuit, qui semper fuerat, sectator bonorum operum, modestiæ in primis, & humilitatis, & tolerantia. Neque studii illius sui pro animarum salute oblitus fuit. Sub noctem quietis horis ibat ad proram, & nautis, & adolescentibus, & pueris, qui levioribus navigii ministeriis addicti sunt, Doctrinæ Christianæ capita, & opera virtutum, & vitiorum foeditatem explicabat tam leni eloquentia, & sermonis facilitate, ut a dicentis ore cuncti penderent. Hæc generatim.

CXII. Bucarelius prætor militum ductorem iussit navigare cum Jesuitis, qui horum nomina, e dato indice, magistratui regio redderet in portu. Is ab alienato animo a gente Jesuitica suæ creditos fidei severius primum tractavit. Vergaræ vero sanctitate, atque agendi dulcedine captus ita est, ut maximi illum deinceps fecerit, & Socios respexerit oculis æquioribus. Neque una hac re contentus, cum libentissime Vergaram de rebus spiritualibus loquentem audiret, ab eodem librum accepit Caroli Gregorii Rosignolii, qui *VERITATES ÆTERNÆ* inscribitur: cujus ille lectione, cum solide juxta eleganterque scriptus sit, adeo afficiebatur, ut vix eum e manibus militaris homo deponeret. In hunc modum Vergara, & voce, & quacumque arte poterat nemini non professe studebat. Quod si, ut fit, inter primores navis aliqua oriretur, dissidentium animos mira prudentia componebat, compresso tumultu omni.

CXIII. Alias porro marini otii partes, præter horas, quas meditationi, & precibus, præque lectioni dabat, consolandis Sociis impendebat, e quibus mor-

mortuus est Sebastianus Toledanus, octoginta amplius natus annos, quem secutus est Antonius Planes. Atque hæc quidem vicina mortis imago, conjuncta cum ceteris loci angustiis, non poterat non animos superstitum contristare. Quocirca Vergara erigere morerentes spe meliorum nitebatur: tantusque erat in dicendo lepos, & mista gravitati urbanitas, ut ejus congressus ab omnibus expeteretur. Postquam autem Planes naturæ concessit, sæpe affirmavit Vergara, illum esse ultimum Jesuitarum, cui mors in mari obtigisset: de reliquo, ex ea navi, nullum moriturum ante captum portum, idque sive casu, sive instinctu divino dixerit, verum fuit, quantumvis quattuor Sociorum extreme deinde ægrotarint, eosque certo obituros pronunciarit medicus.

CXIV. Functi jam quatuor mensium navigatione, tenuerunt tandem Gades Non. April. (qui dies D. Vincentio Ferrerio sacer est) an. MDCCLXIX. Inde in S. Mariæ Urbem, qui binis introrsum leucis distat a sinu illo, devecti sunt. Vergara præ aliis a prætore Comite de Trigona, & Marchione de la Cañada, cui Jesuitarum procuratio attributa fuerat, benigne admodum comiterque acceptus est. Singularis hujus benevolentiae causa, opinor, fuit præmissa a Bucarello celox, quæ ministros regios edoceret, pacifice, tranquilleque exactos fuisse ex oppidis Guaraniarum veteres operarios, quod redundabat in laudem, & commendationem Vergaræ, cujus prudentia & auctoritate omnia recte processerant. Ergo cum Sociis tricenis (reliquis in nosocomium S. Joannis ire jussis) deducitur in ædem PP. Augustinianorum, quod ei hospitium ob eximias religiosæ illius familiæ virtutes acceptissimum fuit.

VERGARA PIE MORITUR.

CXV. **C**eterum quid olim tolerati labores in Peruvio, & Paraguya, & tot nuper exhaustæ ærumnæ e traiectione Oceani, in Vergara egissent, patuit brevi, vitiatæ enim corporis humoribus, gravi mor-

bo correptus est. Hinc destitui sensim viribus, inque dies magis languescere. Administri regii, quibus erat carissimus, si forte mutato loco recrearetur, sæpe rogarunt: velletne rus ire: nihil ipsi negatum iri; optione etiam data in quamcumque sacrorum virorum domum migrandi: esse Carthusianos, si secessum amaret, esse alios, ad quos diverteret. Augustiniani ipsi patres, si urbis eum tæderet, ultro deferebant coenobium aliud, quod amoeno situ est ad litus maris, & vocant *Virginem de Regla*.

CXVI. Vergara, cum pro sedula voluntate egisset omnibus grates, Marchioni, quem diximus, significavit sibi fore gratum ad Carthusianos ire. Horum celebre monasterium visitur haud procul ab urbe Xerezii. Nec mora Marchio dat litteras ad Coenobiarcham, petens ut Vergara admitteretur. Ille officiose respondit, id sibi, & suis perjucundum fore: rem unam obitare, quod videlicet e lege coetus sui pisces dumtaxat, & ova hospitibus, intra claustra morantibus, apponerentur. Id ægroto homini grave futurum: sin vero alimentis istis uti vellet, daturum se operam, ut quam commodissime haberetur. Accepit conditionem Vergara, eoque cum binis Sociis profectus est.

CXVII. Ubi pedem in religiosissimam domum intulit, coelum ipsum ingredi vitus sibi Vergara est, ita penetralia illa ab omni remota profanorum strepitu animum ejus ingenti gaudio implerunt. Nec minus ipse vicissim sanctissimis viris illis consolationi fuit, partim exemplo perfectionis Evangelicæ, partim dulcibus colloquiis (concesso tempore) de rebus spiritualibus. Ibat ad templum frequenter adorandi causa latentis Domini, intereratque Monachorum cantui etiam de nocte: quibus in actibus religionis vultu ipso, compositoque corporis habitu, satis ostendebat Vergara, quam plenus esset Numine.

CXVIII. Verum enim vero ut locus, quantumvis animo arrideat, ægrum corpus non sanat, nec medetur affectæ menti, qualis erat Vergaræ, quem tristis Societatis status vehementer angebat, nihilo melius habuit in jucundissimo sibi hospicio, quam in urbe. Quamobrem post duos propemodum menses rediit

rediit in portum S. MARIE, editis eximii amoris signis ob beneficia, quibus eum prosecuti fuerant cum insigni benevolentia, in venerabiles illos patres, præsertimque in Rev. cœnobii præfectum.

CXIX. Tametsi urbi redditus, conspectu veterum Sociorum, & patrum Augustinianorum, quos amabat, recreatus principio est, tamen absumente paulatim vires morbo inveterato, decumbere coactus fuit: & tum maxime enituit Vergaræ virtus. Adeuntes visendi causa læto placidoque vultu excipiebat, premebatque silentio dolores, quibus conflictabatur. Cum malum ingravesceret allatum illi est divinum viaticum, pio agmine comitante Jesuitarum, & Augustinianorum. Præfectus cœnobii qui Sacramentum administrabat e Toletano rituum libro, cum præisset formula fidei, spei, & caritatis, ægrum interrogavit: an veniam peteret ab iis, quos aliquando offendisset, ignoscereque omnibus, a quibus ipse offensus esset. Vergara non contentus, ut alii faciunt, simplice affirmatione, collecto spiritu, totidem verbis respondit: „ ego veniam peto ab omnibus, quos offendi, „ & quibus gravis fui: tuum ultro, libensque parco „ universis, qui me re quavis offenderint: & quoniam „ niam hoc tempore Societas Jesu tot laboribus exercetur, ex animo ignosco cunctis, qui istorum laborum „ quoquo modo vel cum culpa, vel sine culpa fuerint causa, precorque, ut eisdem Deus veniam det. „ Hæc eo animi ardore, & tanto sensu pietatis dixit, ut audientes temperare lacrimis non potuerint.

CXX. Vicinior jam morti extremis Ecclesiæ subsidiiis munitus est, ac demum inter adstantes Socios, qui certatim interdiu noctuque patri carissimo opem afferre optabant, Idib. Maji an. MDCCLXX. sancte obiit, magno sui relicto desiderio non solum Jesuitis, sed Augustinianis etiam patribus, qui illum eximie diligebant: & quidem eorum concionator in novemdiali supplicatione S. Ritæ petiit enixe ab auditoribus, ut salutem provincialis Vergaræ, graviter ægroantis, Deo commendarent.

CXXI. Cœnobii autem præfectus vel consilium dedit, vel approbavit, ut in loculo, ubi corpus conditum

ditum est, scripta illius vitæ series reponeretur, quis fuerit, qua patria, qua doctrina, & virtute, & quibus functus muneribus. Parentatum etiam ipsi est a religiosa illa familia, eo apparatu, quem tristitia tempora permittebant. Post mortem iidem Augustiniani, & Jesuitarum aliqui litteras dederunt consolandi causa ad Vergaræ fratres Philippum, & Josephum, jubebantque illos bene sperare de fausta sorte germani fratris, qui tot naturæ dotibus, & tantis virtutibus eminuerat. Ambo ad dulcissimum fratrem salutandum octo ante mensibus in urbem S. MARIE venerant: eorumque conspectus vitam forsan Vergaræ extendisset, nisi intestinum malum, ærumnis auctum, succos jam corporis, & sanguinem vitiaisset morbo, quem regium vocant.

VERGARÆ VIRTUTES.

*Humilitas, & amor rerum spiritualium,
ac disciplinæ religiosæ.*

CXXII. **I**S Vergaræ fuit cursus vitæ, cujus nulla pars illustri caruit laude. Restabat nunc, ut de illius virtutibus sigillatim ageremus. Sed cum earum plures sparsim attigerimus, si cunctas huc per partes revocaremus, longior esset proposito nostro hæc scriptio. Itaque dicemus de nonnullis, e quibus reliquarum fiat conjectura.

CXXIII. Omnium fundamentum humilitas est. Hæc fuit in Vergara singularis. Numquam ille inter tot ingenii plausus, delatosque honores seu jactantiæ, seu inanis gloriæ indicia dedit, se seque ultro ipse depressit velut indignus hominum opinione. Collocutus aliquando cum Socio, cum jam is abiret, detinuit illum Vergara: & vere, inquit, ego nullius sum pretii. Quid enim in me vel artis, vel doctrinæ est? Dicendi decus nullum. Latinos auctores utcumque intelligo: atque hæc mea linguæ illius laus omnis. Philosophicarum, & Theologicarum quæstionum titulos legi, medullam, & arcana sensa non teneo. Addidit alia de aliis disciplinis, ut rem persuaderet;

suaderet ; nec fecit tamen : Socius enim ille multo aliter sentiebat de Vergara , quo magistro Theologiæ studuerat . Ea autem sui despicientia sincera erat , atque ex abundantia cordis ; utpote ab eo , qui longa meditatione in se ipse penitus descenderat .

CXXIV. Differēbat ille altissime de necessitate humilitatis . Ad hanc virtutem exhortans Socios an. MDCCLXIV. in pervigilio salutata ab Angelo Virginis , propositis verbis : *Ecce ancilla Domini* , ostendit gravissime infinitam dignitatem Matris Dei ejusdem profundissimæ humilitati respondisse : & hanc fuisse fundamentum ædificii illius immensi ; coram Domino enim humilitas est gloriæ mensura . Hæc de matre : de filio autem , Deus per se , dixit , & sua aspiciens , humilis esse non potest : quippe humilitas conjuncta est cum imperfectione naturæ , alieno indigentis auxilio : & tamen humilitatem tanti fecit Deus , ut *exinaniverit semetipsum formam servi accipiens* , & factus fuerit *humilis corde* , ut homines de se ipsis humiliter sentire doceret , funditusque ex eorum animis superbiam extirparet . Exemplis jam divinæ Matris , & Dei Filii explicatis , collegit ad extremum & sibi , & Sociis connitendum esse quamaxime ad assiduam , perfectamque humilitatem , qua sine sanctitas nulla est , neque esse potest , *Deus enim superbis resistit , humilibus autem dat gratiam* .

CXXV. Alias scio , ajebat , ex Asceticorum præceptis contra virtutem humilitatis non esse , dotes nosse , & dona , quæ a Deo acceperis , ut largitori summo debitas grates rependas . Sed enim , magnus hic errori locus est , & (nisi quis ex animo humilis sit) clandestinus aditus , quo se se superbia , & arrogantia in animum insinuent ; cum dona , & dotes inesse nobis putamus , quæ reipsa non insint ; aut si vere insunt , multis partibus minora sint , quam opinamur , nobis metipsis stulte plaudentes .

CXXVI. Agens idem de calamitatibus , quibus tum Societas exercebatur , docebat , debere unumquemque eas non externis causis attribuere , sed suis culpis : vel unum enim peccatum veniale non modo malis istis , & suppliciis dignum esse , sed pluribus etiam , & majoribus : a peccatis vero venialibus im-

D

munem

munera esse neminem: quippe facti sumus, ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatus universae justitiae nostrae. Hoc usus est divino testimonio in concione domestica: de se autem palam affirmabat, innumeris se se ejusmodi culpis quotidie inquinari. Sic ille, qui alioquin adeo sollicitus erat perfectionis vitae, & munditiei cordis amans, ut nullum abire diem sineret, quin se confessione Sacramentali expiaret.

CXXVII. Commendationi humilitatis adiciebat Vergara saepe facta humilia. Famuli erant tres, qui inclusis Jesuitis in coenobio S. Augustini ministrabant. Illorum unus erat Sociis admodum gravis, & molestus, atque eo processit, ut Vergara rogarit a curatore regio, qui mercede eos conduxerat, alium submitteret. Gnarus ille nihil nisi æquum a Vergara peti solere, primo amoto, novum introduxit. Hanc rem ægre tulit Coenobita quidam, & de dimissione illa questus est cum Vergara. Is ingenue respondit, nescisse se, eum ejecto favisse: quod si scisset, passurum non fuisse, aliquid durius, ipso inconsulto, statui. Excusationem hanc cum minus ille acciperet, procidit Vergara ad ejus pedes, & ignosce, ait, ignosce, pater, quicquid hinc tibi molestiae fuit: ignorans feci. Coenobita ad hæc attonitus, jacentem allevat, amanterque complectitur: ac deinde clientis sui oblitus, unice Vergaram dilexit, plurisque fecit quam antea, viso tanti viri tanto demissionis exemplo: ita verbis potentiora facta sunt.

CXXVIII. Ceterum non unam humilitatem Vergara coluit, sed reliquas etiam virtutes. Rebus spiritualibus aptissime deditus, cum Cordubæ magistrum ageret, post diurnos Academiae labores, atque obita in cives ministeria, observatus casu est, sub noctem (quod studio litterarum supererat temporis) extincto lumine, in cubiculi angulo rerum coelestium meditationi vacare: namque adjutrice, & interprete oratione omnia a Deo sperabat. Atque id quidem sic animo imbiberat, ut e Christi sententia: oportet semper orare, & non deficere, binas Limæ anno MDCCLXV. habuerit doctissimas, & utilissimas cohortationes ad socios, quarum una complexus est causas,

causas, eum semper orandum sit; altera, explicuit sigillatim modos, quibus orari potest semper, & ubi vis, non domi solum, & in secessu, & in templo, sed in publico etiam, in mediis viis, in foro, inter occurrentes turbas.

CXXIX. Nec vero alia argumenta virtutum minore, quam orationis necessitatem, doctrina tractabat Vergara, docens qua ratione singula in usum, actusque vitæ quotidianæ deducenda essent (qui modus præcipiendi optimus est), ut cum in sacello domestico agebat de caritate fraterna, de amanda solitudine, nisi ministeria pro proximis foras vocarent, de votis exacte reddendis, de disciplina observanda, de non violandis vel minimis regulis, de silentio, de mortificatione, de exercitiis spiritus rite obeundis, de perferendis rebus acerbis, de sensibus arte frenandis, de liberalitate in Deum, qua quis pro ejus gloria plura destinaret animo, molireturque, de modestia, ceterisque officiis viri religiosi.

CXXX. Quantumvis autem de iis graviter differeret, illud in Vergara laudabilius fuit, quod exemplo præiret ipse, & prius faceret, quam doceret. Accuratio certe illius in omnes partes, nequa in re susceptæ vitæ muneribus deesset, summa erat. Ut Sacerdotio sancte fungeretur, concinnavit sibi e mysticis libris meditationes XV. breves illas quidem, sed succi plenas, in quas digessit, quidquid ab optimo Sacerdote exigit Deus, explicatis virtutibus, quibus pollere debet, & operum functionibus, quibus se se, atque alios meliores efficiat. Et cum inter Sacerdotalis actus sacrificium Missæ excellat, pro eo attentius offerendo XV. alias meditationes adjecit, & totidem etiam, ut, litata jam victima divina, cum Deo hospite longam fructuosamque moram duceret, designans tum animo certum virtutis opus, in quod eo die incumberet, ut suscepto Domino similior evaderet: quo genere gratiarum agendarum nullum melius est.

CXXXI. Ad hæc, ut præ oculis haberet semper, quæ ad perfectionem status religiosi pertinent, coniecit in XXXV. locos, quidquid præstandum est viro;

qui per sacrata vota severius vitæ genus proficitur; qualis nimirum futurus sit erga Deum, erga superiores, erga domesticos, erga externos, erga se ipsum. His omnibus meditationibus in parvum volumen compactis utebatur Vergara, suumque erant illæ Enchiridion, ut, renovata quotidie susceptorum munerum memoria, animum stimularet *ad æmulandum* sine intermissione *charisimata meliora*.

VERGARÆ PIETAS IN VIRGINEM MARIAM. CASTITAS.

CXXXII. **Q**Uæ modo diximus satis ostendunt, quanta esset Vergaræ caritas in Deum, cui adeo sol-
lenter placere rebus in omnibus studebat. Idem singulari pietate præter Divorum alios Dei Matrem pro-
tequebatur, & Sanctos Angelos. Extant multæ, quas habuit in pervigiis B. Mariæ adhortationes
ad Socios, in quibus cum eximie de dignitate Vir-
ginis differat, tum illud semper urget, ut eam cun-
cti ament enixe, & studiose imitentur.

CXXXIII. In hujus rei argumentum satis erit
nonnulla excerpere e concione, quam habuit Limæ
in tirocinio pridie natalium Virginis an. MDCCLXV.
Informat illic tirones ad verum, & solidum Mariæ
Sanctissimæ cultum verbis his: *Beatus vir, qui audit
me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obser-
vat ad postes ostii mei*. Continet, ait, oraculum hoc
tria, quibus Deiparæ perfectus cultor describitur.
Primum est *obedientia legis*, id enim ante omnia
audit a Virgine eam amans, *qui audit me*, dum
inculcat Dei præcepta, Filii que voluntatem, & con-
silia, quibus quo quis sanctior fit, tanto acceptior
Deiparæ cliens est.

CXXXIV. Alterum est *vigilantia*: *vigilat ad fo-
res meas quotidie*. Vigilantes vult cultores suos Vir-
go, qui eam modo fores ejus pulsant, modo ab eis
abit; nunc pia in illam obsequia frequentat, nunc
intermittit; atque alias excubat, alias dormitat; di-
ligentis, & seduli clientis nomine dignus non est,
sed

sed somniculosi, & desidis, atque inconstantis, utpote qui hodie multa pro patronæ suæ honore faciat, cras autem nihil, aut parum: quotidiana sint, oportet, officia tua in Matrem optimam; ideo additur *quotidie*: ut enim illa nullum elabi diem sinit, quin tibi faveat; nullo non die te vicissim ejusdem meminisse, eique obsequi, par est.

CXXXV. Tertium est *observatio*: *observat ad postes ostii mei*. Boni clientis est ad ostium stare, atque attendere, quid ab ipso fieri patronus vult. Ergo & tu pro sacro limine Virginis stans, vide, quæ tuæ sunt partes, ut te ad omnia, quæ innuat, pares. *Observa* scilicet, quid domi agit magna Mater; ut orat, ut res coelestes meditatur, ut piæ lectioni vacat, ut nullam diei particulam boni alicujus operis effluere expertem sinit, ut nihil refugit utilis laboris, nec quicquam otiose loquitur, ut parca cibi somnique necessaria dumtaxat tribuit corpori, non supervacanea, ut concordiae cum domesticis, & paci studet: hæc, & alia, omni laude plena, inspicere e foribus, & imitare. Tum ad postes ostii perseverans, animadvertite diligenter: quid eadem magistra virtutum in verbis, ac factis vitat; & tu illud vita; quam multa pro Dei gloria aggreditur; & tu aggredere. Quod si foras exit, necessaria causa, iterum atque iterum adverte, quam composite, & modeste incedat, quamque moderate, prudenterque se se gerat in publico: tu vero fac secundum exemplum, quod tibi coram est; & modeste incede, & modum serva.

CXXXVI. Quod si tali *obedientia*, tali *vigilantia*, tali *observatione* cultum tuum Virgini probas, eamque tibi patronam promereris, quantum in te inde boni redundabit? summum bonum, & quo majus inter mortales esse non potest, nempe beatitudo quædam terrena: *beatus vir*, inquit: neque id tantum, sed certa etiam tessera tibi dabitur, & pignus æternæ beatitudinis: clausula enim, & finis institutionis illius, & promissio facta a Virgine cultoribus, & clientibus suis hæc est: *qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino*.

CXXXVII. His fere generatim dictis, venit Vergara more suo ad ea, quæ usus possit in hac re. Explicuit

plicuit duodecim præcipuas virtutes Virginis, quas tirones imitarentur. Enumeravit obsequia illi ab eisdem præstanda, Rosarii recitationem commendans, & novendiales, ac duodecimdiales preces, & piam per intervalla Mariæ salutationem ad singulos horarum pulsus, & voluntarios corporis cruciatus, asperitatesque verberum, & ciliciorum, culparum vindices, maxime cum instant per annum Virgini devoti dies.

CXXXVIII. Ecce tibi, quæ ad sincerum divinæ matris cultum exigebat Vergara, & reddebat ipse. Etenim ex comitibus olim suis didicimus, frequenter, magnoque sensu animi, solitum illum de Deipara loqui; atque in Peruvio, dum se se viæ post nocturnam quietem committebat, Rosarii precationem, & Litanias recitasse cum Sociis, idque præter *Itinerarium Clericorum*, quo Ecclesia viatores suos munit contra pericula, quæ euntibus per deserta & aspera loca occurrunt passim.

CXXXIX. Dixi Vergaram inter obsequia colendæ Virginis recensuisse preces *duodecimdiales*. Cornelius A Lapide meminit quorundam, qui propositis sibi XII. stellis, quibus Virgo redimita in cælo D. Joanni visa est, duodecies salutationem Angelicam recitabant, interjecta Oratione Dominica ad unamquamque triadem, sive post salutatam ter Deiparam. Id vero faciebant, ut Christo Domino gratias agerent pro XII. præcipuis virtutibus, quibus Virginis Matris animum ornavit. Hoc pium prædicationis genus non solum aliis suavit Vergara, sed auxit etiam, atque in meliorem modum redegit.

CXL. Quippe scripsit sermone hispano duodecim preces, tributas in totidem dies, assignata unicuique diei una e duodenis Virginis virtutibus, quæ sunt *FIDES, SPES, CARITAS, RELIGIO, HUMILITAS, PAUPERTAS, CASTITAS, OBEDIENTIA, ORATIO, MORTIFICATIO, SILENTIUM, MODESTIA*. Forma supplicationis hujus est hæc. Primo salutat Virginem Vergara, eique gratulatur de virtute illa, qua supra mortales omnes excelluit: deinde ejusdem virtutis vim, & naturam paucis explicat, ut supplicanti cognitu, factuque facilius sit: postremo suppe-

suppeditari sibi a Deo, Virginis respectu, virtutem illam poscit.

CXLI. Precandi hoc genus breve est; aptumque in primis, ut & Virginem imiteris virtutum istarum cultu, & ad ejus festos dies religiose celebrandos pares te. Nec minus utile est officium aliud, quod excogitavit Vergara ad honorandos Sanctos Angelos, tot distinctum diebus, quot illorum sunt Ordines. Ut vero & Angeli, & Angelorum Regina carissimi erant Vergaræ, ita ipse vicissim carus illis erat morum integritate, & summa mentis, ac corporis munditie, & fuga omnis impuræ labis, libidinisque, cujus ut stimulos retunderet, præter adhibita membrorum supplicia, cibi, potusque erat admodum parcus, eque appositis ad mensam sibi viliora deligebat.

PAUPERTAS ET PATIENTIA

CXLII. **P**aupertatis amantissimus fuit, satisque ei erat ex Apostoli doctrina habere alimenta, & quibus tegeretur. Nihil apud eum pretiosi, aut rari. Cum in Peruvio ab iis, qui illum amabant, in laboriosa illa itinera aliquid commodioris commeatus curabatur, jubebat a comite id dono dari Clericis Curionibus, quorum hospitio interdum utebatur. Scripsit olim ad eum religiosa quædam Virgo, consanguinea, petebatque, ut aliquid sibi in Europam eleemosynæ nomine transmitteret: rebatur enim, opinor, pia femina in America nemini non esse auri argentique copiam. Acceptis litteris, rescripsit Vergara, se se in Novum Orbem non divitiarum causa navigasse, sed animarum: ac ne obolum quidem sibi umquam fuisse. Quod si neque ipsa nummorum quicquam haberet, tum vero non veste, & appellatione tantum, sed, re ipsa Religiosam fore, possessuramque, quod votis suis Deo sponderat, sanctam paupertatem, exemplo Dei sponsi, quem sibi elegerat, quique propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.

CXLIII. Sin autem divitias ejusmodi spirituales procurare, aiebat, tibi præsens possem, datis de
perfe-

perfectione vitæ consiliis, tum in te largissimus, & liberalissimus, ne dubita, esse studerem. Sed quoniam per immensa intervalla locorum id non licet, vice argenti, & auri, quod non est mihi, rem tibi pretiosissimam mitto, quam tu, si sapias, plurimi facies, & osculabere, & gestabis in sinu. Quodnam age hoc munus fuit? Fuit *HOROLOGIUM PASSIONIS* descriptum in vulgari charta, ubi in orbem ad singulas horas adnotatum erat, quid extrema nocte ad vesperam usque sequentis diei passus est Salvator mundi.

CXLIV. De litteris istis, & munere docuit nos Cl. V. Josephus Vergaræ frater, ad quem sacra illa Virgo retulit, quod sibi ex America transmissum donum esset. Addo huc, quod Josephus ipse nondum scit. Cum & ipse, & Philippus ad salutandum fratrem (ut supra dictum est) venissent, rati in tristi illo rerum statu, & post longam Oceani navigationem, opus esse multis Vergaræ seni; certam summam nummorum ei ultro obtulerunt in usus necessarios. Recusare primo Vergara, non egere se subsidio illo, dicere; sed cum diutius resisti non posset obrudentibus, accepit. Tum vocat ad se unum e Sociis; & tu, ait, melius me nosti, qui e nostris indigent præ aliis: i, & pro singulorum necessitate da singulis ex iis nummis plures paucioresve.

CXLV. Qui autem ita sollicitus erat aliis subveniendi, fuit idem patientia, & tolerantia malorum singulari. Extreme jam ægotantem cum, ut erat solitus, adiisset Sigismundus Grieria, qui ei erat a confessionibus, & solum reperisset, quæsit, quid ageret? Ego quidem respondit candide: *Delector in Domino, cui offero puerilia hæc, quæ patior* (a). Dolores nimirum morbi, quamvis graves acerbique, puerile quid Vergaræ, firmato ad constantiam animo, videbantur.

CXLVI.

(a) Verba Vergaræ fuerunt hæc: *me estoi entretegiendo con Dios N. S. y ofreciendole estas niñerías, que padezco.*

CXLVI. Ceterum habuit ille tortorem perpetuum, quem secum semper circumferebat. Occupabat eum repente ater quidam humor, qui sparsus per intimos sensus omnia ipsi aspera, & plena tædii reddebat. Nihil tum Vergaræ placebat; non domi, non foris, non soli, non cum aliis gratum quicquam: fiebat omnino sibi met ipsi gravis.

CXLVII. Agebat tamen, quoad ejus fieri poterat, contra fastidia ista, submittens se se Dei voluntati id permittentis; neque cessabat interim a consuetis ministeriis, stabatque penitus jussis Superiorum, quorum nutu ductuque agi volebat. Adeuntes autem tristi illo tempore, si minus hilare & festivo, benigne certe & comiter quidem excipiebat. Hunc animi statum vocabat ipse suum triduum, quod tres ferme dies duraret, donec, subsidente vapore illo nubilo, redibat, quasi post tempestatem, prima serenitas.

CXLVIII. Atque ut videas, quam sit difficilis explicatu humanarum affectionum origo, atque incerta earum medicina, aliquando satis erat proferri, audiente Vergara, urbane aliquid, & acute dictum, quod illum percelleret, ut moestitia illa, quemadmodum flamma levis flatu acri, dissiparetur, & evanesceret. Verum eo fortasse consilio sivit Deus Philisthæum istum in Vergara habitare, ne se se suis dotibus præclaris inaniter efferret: sed agnosceret duro experimento, ex eodem se fictum luto, ac ceteros mortales.

VERGARÆ DOCTRINA.

CXLIX. **H**ÆC in illo tanta fuit, quantam esse oportuit in homine summi ingenii, inque libros, nisi pietas, & caritas ab ipsis eum avellerent, semper incumbente. Eximius Philosophus, & Theologus, numquam mentis acumine abusus est, ne solida, & verisimiliora sequeretur. Quæ in Academia prælegit, atque alia diversarum rerum scripta, magni utique pretii, reperta fuisse arbitror. Cordubæ Tucumanorum in cubiculo præfecti provincialis, inde enim ad

ad Guaranios profectus est, eodemque cogitabat reverti.

CL. Secum extulit Enchiridion illud meditationum (de quibus supra diximus) tamquam fidum comitem viæ, & ducem vitæ spiritualis, duodecimiales etiam preces in Virginem, & pium illud officium in novenos Angelorum ordines, quibus uteretur alternis, ac præterea cohortationes ad Socios plurimas, quibus domesticos excitaret ad virtutem in collegiis, Indorumque oppidis: conciones item XVII. pro sacro ministerio *Missionis* (ut dicunt) quod vellet, ut equidem puto, vel in urbe Assumptionis Paraguaycæ, vel Bonisauris, ac fortasse utrobique, cum eo venisset post lustratos pagos Guaraniorum, fungi opere Apostolico, veluti fecerat in Peruvio.

CLI. Hæc omnia post ejus mortem inventa sunt non sine fortuna: effugerunt enim administratos iussi exilii, qui alioqui vigilantissimi erant, nequis quid manu scriptum secum efferret. Ex reliquiis autem istis videre licet, quanta eruditio esset in Vergara, & dicendi copia. Etenim cum de eadem re sæpissime differeret domi, exempli causa, de disciplina religiosa servanda, de votis exacte reddendis, de regulis vel minimis non violandis, &c. semper novus ad Socios veniebat, afferebatque argumenta optima, ut postrema concio prioribus semper præstare videretur.

CLII. Quod autem ad sermones illos XVII. pro declamando e suggestu attinet, tales sunt, ut, meo quidem iudicio, vix quicquam possi esse absolutius pro Apostolico ministerio: neque facilis repertu Orator est, qui Vergaram æquet, si apposita rerum inventio, si dictionis perspicuitas, si pondus rationum perpendatur. Claræ conciones illæ sunt, & doctæ, & efficaces, inque intima animorum penetrant. Eloquentia Vergaræ virilis est, & gravis, sine ullis calamistris, pompaque verborum. Nullæ illic descriptiones poëticæ, & nugæ canoræ, quibus quidam (quod minime decet in loco sacro) *facti velut æsonans, aut cymbalum tinniens*, imperitorum titillant aures, dum undique flosculos carpunt, atque delibant.

CLIII.

CLIII. In ipso tamen neglectu elegantiae elegans apprime est Vergara: & non quaesita verba, sed sponte, & loco in suo nata, gratius in eo dicendi genus efficiunt. Amplificat res quidem, cum opus est, sed singulis amplificatae rei membris tantum inest nervi, & roboris, ut pars quaeque auditorem vi teneat, & defigat sua. Quo fit, ut Oratoriae artis scientes non possint non modum laudare, atque erigimenter, & manus dare: rude autem vulgus, vel si ille sublimia tractet, & doceat a sensibus remota, omnia intelligit, perinde ac si de rebus obviis, & familiaribus ageret. Hoc illud est, quod Magnus Gregorius optabat in sacra Oratione, ut *nescientibus fieret cognita, nec tamen esset scientibus onerosa*.

CLIV. Quid multa? Apparet prorsus in Vergara nihil esse potentius verbo Dei, si sincere, & cum fide proponatur. Hæc erat una Vergaræ cura: atque in suo illo latino Enchiridio sensa, quibus animum imbuerat hac in re, clare depromit. Ibi meditationis quintæ ex iis, quæ sunt de officiis Sacerdotis, titulus est hic: *De quarto Sacerdotis ministerio, quod est prædicare verbum Dei*. Secundum autem caput, sive punctum, ut vocant, operæ erit pretium totidem verbis exscribere, ut constet, quid Vergara meditaretur, & ageret.

CLV. „ Considera, inquit, qua ratione sit uti-
 „ liter ministrandum Verbum Dei: si nimirum dispo-
 „ natur ut cibus animarum: quia *non in solo pane*
 „ *vivit homo, sed in omni verbo &c.* Cibus debet
 „ esse proportionatus comedenti; prius debet esse
 „ paratus, debet esse solidus, concoctus &c. ita con-
 „ cio debet esse proportionata audientibus, diligen-
 „ ter disposita, solida, concocta per Orationem &c.
 „ Gregorius: *debet prædicator perspicere, ne plus præ-*
 „ *dicet, quam ab audiente capi possit: ne dum*
 „ *parvis sublimia, & non profutura prædisat, se ma-*
 „ *gis curet ostendere, quam auditoribus prodesse.* Con-
 „ ciones subtiles sunt futes, & nullum pungunt,
 „ nisi conscientiam concionatoris præsertim in hora
 „ mortis. Imitare Apostolum, qui *non in persuasi-*
 „ *bilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione*
 „ *spiritus prædicabat.* Relege conciones Christi, quæ

„ ex-

„ extant in Evangeliiis : quam solidæ ! quam claræ !
 „ quam humiles ! quam sine affectatione verborum !
 „ Erubescere , quod infinita Dei sapientia sic se de-
 „ mittat , & superba ignorantia tua velit extolli „ .
 Hæc ille .

CLVI. Tertio autem capite : „ Considera , ait ,
 „ quod inter conciones debes potissimum æstimare
 „ eas , quæ dicuntur Catecheticæ , quæ nimirum di-
 „ riguntur ad explicanda mysteria fidei , & præcepta
 „ legis divinæ , aliaque rudimenta Religionis . Hu-
 „ iusmodi erant plerumque conciones Christi , &
 „ Apostolorum . Istæ sunt utiliores , & minus expo-
 „ sitæ vanæ gloriæ . „ Finis hujus tertii puncti est „
 „ Attende , quod vita , & doctrina sibi respondeant :
 „ Nam *lucere tantum , vanum est ; tantum ardere ,*
 „ *parum ; ardere , & lucere perfectum ;* ait D. Ber-
 „ nardus „ .

CLVII. Cum Vergara Catecheses isthic laudat ,
 justum nobis dolorem renovat . Catechistæ munere
 in Peruvium ivit , & tot in oppidis , & toties , Ca-
 techismo operam dedit , sed ne unam quidem reli-
 quam habemus ex ejus Catechesibus : uti nullam
 item e Divorum laudationibus , quæ plurimæ erant .
 Hæc omnia fortasse continebantur certis volumini-
 bus , quæ a familiari quodam Limæ compingî cura-
 vit , ut illorum usus ipsi facilius esset .

CLVIII. Jam in concionibus pro sectanda virtu-
 te , vitandisque vitiis , quattuor loca (aliter alibi ne
 unius omnes modi essent ,) fere semper tractat Ver-
 gara : urget videlicet propositum argumentum a divi-
 nis libris , a Sanctis Patribus , a ratione , ab usu , si
 res sit , quæ in usus cadat . Ad extremum , ne lon-
 gior sim , eam ajo in Vergara doctrinam fuisse , &
 dicendi artem , ut paratus , quam qui maxime , & in
 cathedrâ Academîæ , & in templi suggestum ve-
 nerit semper ; ingenio , & studio summo , graviorum
 disciplinarum professor , & Orator simul .

EMMANUEL QUERINI

SACERDOS

PATRIA QUERINI.

I. **E**MMANUEL QUERINI, domi nobilis, natus est IV. Kal. Jun. an. MDCXCIV. ZACYNTHI, quæ insula est in mari Jonio imperii Veneti. Jam aptus addiscendis litteris missus est a parentibus, piæ educationis filii sollicitis, in Collegium Illyricum urbis Lauretanæ. Extulit autem e patria ingentem animi angorem, qui subinde illum turbavit. Cum enim non tantum baptizatus Zacynthi, sed etiam unctus sit sacro Chrismate, incessit eum religio, verene donatus fuisset sacramento Confirmationis, atque hac de re præstantes Theologos alias atque alias consuluit. Anxii timoris causa erat, quod simplex Presbyter ritu Græco eum unxisset. Nostrum non est explicare, quid a sacris doctoribus responsum illi sit, aut fuerit respondendum (a). Ceterum hinc constat, qui Querino esset animus vel a teneris annis in fidei mysteria, & res ad pietatem spectantes, quarum semper studiosissimus fuit, vir vere spiritualis, vel inter plurima, & varii generis munera, quæ deinceps gessit; neque umquam, (ut ut occupatus esset) non oculos intendit in *regnum Dei*, & *justitiam ejus*, quæ ipsi perpetua fuit vitæ regula.

INGRESSUS IN SOCIETATEM, ET NAVIGATIO IN AMERICAM.

II. **P**Ræter ceteram institutionem hausit Querinus Laureti eximium in Virginem MARIAM, ex adita toties ejus æde, amorem, & singularem observantiam, quam

(a) De hac re vide Benedict. XIV. de Synod. tom. I. Bullar. pag. 167. & Dioces. lib. VII. c. IX. n. 4^o Et ejusdem Constit. LVII. Constit. CXXIX. pag. 513.

quam auxit in dies: atque ut una simul cum divina Matre divinum Filium impensius coleret, colique ab aliis curaret, in Societatem JESU nomen dedit. Quocirca Romam, monitis parentibus, profectus tirocinium, quod Jesuitæ habebant ad montem Quirinalem, subiit III. Idus Jan. an. MDCCXI. Incubuit illic sedulo in virtutes religioso dignas viro, nuncupatisque post biennium sacris votis, jussus est migrare e domo probationis in Collegium Romanum, ubi tum ingenii, & doctrinæ laude florebat acutis notus libris Joannes Ulloa.

III. Ut adolescentis disciplinarum studio appliciti officium est, pietati pariter & litteris vacare, utrique rei fecit Querinus satis. Accidit autem, ut cum jam ferme ad metas curriculi Philosophici devenisset, advenirent Romam Bartholomæus Ximenez, & Josephus Aguirre, provinciæ Paraguayæ procuratores, quibus visis, auditisque, exarsit Querinus vehementi cupiditate se se totum barbarorum hominum culturæ devovendi, ut Deum, quem ipse amabat enixe, cognoscerent alii, & amarent.

IV. Itaque exorato Præposito Generali Michaeli Angelo Tamburino, cum eisdem procuratoribus sub exitum an. MDCCXV. in Hispaniam lætus contendit. Dum autem illi supplementum in provinciam scribebant, opperiebanturque commodum navigandi tempus, Querinus Granatæ in Collegio illo, unde tot præstantes Theologi prodire, sacram disciplinam auspicatus est. Marcellinus de Silva ejusdem condiscipulus, & magnis post meritis clarus in Bætica, quem nos Faventiæ novimus, narrabat de Querino, insigni pietatis virtutumque exemplo præluxisse religiosis illis adolescentibus, qui ibi gravioribus studiis erudiebantur.

V. Exeunte an. MDCCXVI. profectus inde est Querinus Hispalim, quo jam convenerant trajecturi in Paraguayam Socii, quibuscum ille Gades per Oceani litus transvectus, majoris formæ navigium conscendit, solvitque in Americam. Parva classis trium navium, qua ibat supplementum, cursu satis commodo usæ est ad ipsa pæne ostia fluminis Argentei: ubi adeo sæva tempestas in illam coorta est, ut navis

vis una, fufis armamentis, maloque amiffo, vix regi poffet a magna hominum vi ftantium ad gubernaculum: altera, converfo retrorfum itinere, abrepta fuit longiffime: tertia, dum oppofitis ex arte velis procellæ obnititur, ita jactata eft favientis maris æftu, ut quinos nautas excuffèrit, quorum terni fubmerfi funt, bini reliqui, averfo fluctu reперcutiente, apprehenderunt rurfus navim, defuncti maximo mortis discrimine.

VI. Interea Sebastianus Smith, Germanus, quem advehebant fecum cum aliis Peruvici procuratores Francifcus Rotalde, & Firminus de Irifarri, clamare auditus eft: *percute, percute beftiam feram*. Quorfum hæc diceret, tum quidem intellexit nemo: verum poftea Smithus ipfe fido Socio narravit, vifum fibi dæmonem conantem totis viribus naves demergere, ex adverfo autem apparuiſſe Angelum, ſtriſto gladio conatus illius prohibentem, ad quem, ut coercere furentem pergeret, vociferatus eft (a). Procella biduum tenuit: treſque illæ naves tandem, alia alio tempore, ut diſtractæ plurimum fuerant, Bonarum-aurarum portui incolumes fuſceſſerunt.

VII. Ut propior periculo res fuerat, eo exſcendentium fuit majus gaudium, quod quidem crevit ſum-

(a) Sunt qui re ejulmodi difficulter credant. Sed incredulos philoſophos non moror: hoc ſcio, iſſe in ea claſſe viros ſanctitate eximios, a quibus dæmon multa ſibi timeret, & qui ex illius manibus Ethnicos quamplurimos deinde eripuerunt. Ibat illic Julianus Lizardi inter ſacra minifteria a barbaris poſtea occiſus: ibat Joſephus Pons, qui quanta egerit, & paſſus ſit pro fide amplificanda narrat liber viceſimus quintus, additus Hiſtoriz

Paraguayæ Petri Franc. Xaver. Charlevoix. edit. Venet. an. 1779. Ipſe Sebastianus Smith, vir magnatum virtutum, ſtrenue opus Domini urſit apud Moxos barbaros. Videſis litteras, quas operi ſuo *Chriſtianismi felicitis* part. 2. inſeruit Cl. V. Ludovicus Ant. Muratori. Petrus Lozanus, qui eadem illa claſſe navigavit, viſum iſtud Smithi reſert in Vita Juliani Lizardi, quæ dudum edita in lucem eſt.

summa gratulatione, qua excepti in urbe sunt. Constabat supplementum illud LXXII. Sociis, quanto prius numero nullus illuc ex Europa Jesuitarum delectus venerat. Quapropter conventus seniorum patrum, quos in comitia eo anno coegit Præpositus Provincialis Ludovicus de la Roca, communi consilio decrevit, ut duo millia Sacrificiorum pro Rege Cath. Philippo V. cujus beneficio recentes illæ copiæ submissæ fuerant, immolarentur, designata sua singulis Sacerdotibus parte.

VIII. Reficiendis ab Oceani traiectione attritis viribus commoratus est Querinus Bonisauris binos menses. Inde cum Sociis aliis itinere CXXX. leucarum venit Cordubam Tucumanorum, ubi studia Theologiæ magistris eximiis absolvit, ostenditque deinde quantos serâ discendi cura progressus fecisset, propositis publice thesibus sacræ disciplinæ.

IX. Post hæc an. MDCCXX. initiatus Sacerdotio est ab Il. D. Alphonso del Pozo, y Silva, Antistite tum Tucumanico, deinde Chilensi, & demum Archiepiscopo Chuquisacensi. Santissimus Præsul is fuit, qui Archiepiscopatu in primis opulento abdicavit se se, ut privatam vitam ageret, & per otium, assidua exercitatione virtutum, præciperet animo mortem, quæ cum repente obvenisset, repertus ille est a familiaribus, cubiculum intransibis, cum flagello, quo manu capto moriturum jam jam corpus diverberare parabat.

X. A tam sancto Episcopo Sacris Ordinibus donatus Querinus, juniores Jesuitas rhetoricam artem docuit, id ante alia cavens, ut purum latinæ linguæ gustum a puris auctoribus haurirent, neque eos attingerent, qui nitore verborum præstant quidem, sed parum pudici, verecundique sunt; idque maximopere curandum est amœniorum litterarum magistris, ne dulce venenum discipuli paulatim bibant.

XI. Rhetorica functus schola obiit Querinus Ministri munus in collegio Monserrateni, ubi nobiles adolescentes Tucumanici, & Bonaurense, & Paraguayci, alique aliarum regionum Americæ meridialis, grammatica arte, & Philosophica, Theologicaque disciplinis erudiebantur. Institutio autem morum tan-

ta

ta erat, & tam accurata, ut non dubitarit Il. D. Joannes de Sarricolea Seminarium istud appellare *Seminariorum Sanctuarium*, hoc enim ille verbo usus est in litteris (a), quibus ad Pontif. Max. Clementem XII. de rebus dioeceseos Tucumanicæ retulit. Dedit igitur Querinus operam, nequid detrimenti paterentur piæ institutiones, quibus ad virtutem informabantur alumni illi illustres, præiens ipse omnibus vitæ sanctitate. Inde vocatus est denuo in tirocinium, probandus tertium de more Societatis: qua in domo nactus tranquillius tempus vacandi sibi, qui fervidus semper fuerat *bonorum operum sectator*, multo ferventior evasit.

PROFITETUR PHILOSOPHIAM IN ACADEMIA CORDUBENSI

XII. **P** Aratus jam erat Querinus & a virtute, & a doctrina, ad omnia Societatis ministeria, quæ tot fuerunt, & tot ea in locis exercuit, ut de homine Græco possis illud dicere Græci poetæ: *qui mores hominum multorum vidit, & urbes*; nec vidit solum, sed ad religionem, pietatemque composuit, quo nihil a Sacerdote præstari dignius potest. Probatus jam tertio, jussus est Philosophiam profiteri in Cordubensi Academia, egregioque habuit discipulos. Extremo anno, quo urgebat hoc opus, jussus est simul Ministri Cordubensis curam gerere, quod munus plenum negotii erat, debebat enim Minister, tamquam censor morum, interdium noctuque omnia domi observare, nequid contra bonum ordinem, religiosæque leges peccaretur. Tametsi vero Magistri, & Ministri munera alterum alteri impedimento erant, abunde tamen, ope adjutus divina, utrumque Querinus tractavit.

E

XIII.

(a) Hæ litteræ scriptæ Sarricolea ad eundem Pontif. Max. 23. Novemb. an. 1730. Utraque epistola typis edita est.

XIII. Ceterum explicanti Philosophiam nihil illi fuit potius, quam ut æquitatem, moderationemque animi, & modestiam Philosopho dignam Christiano, discipulos doceret & verbis, & factis. Cum thesim impugnaret propositam ab alio, ut is nimium urgeri se sensit, id teli arripuit, quod homini pugnaci semper præsto est; argumentum sprexit non sine argumentantis injuria. Tacuit Querinus, nec verbum aliquod, quo pungentem repungeret, excidere sibi passus est, cunctis mirantibus altum ejus silentium; sed non silente Academiæ præside, qui suarum partium esse ratus est, contemptorem illum de officio admonere.

XIV. Alias cum discipulos exercebat, qui de jussa quæstione disputabat, coepit sensim aliorum abire. Monuit præceptor, ut debuit, non illud tum agi, frustra que eum vagari extra fines rei controversæ. Non tulit reprehensionem adolescens, atque id mihi, ait, quæsito diverticulo, obtruditur nequicquam, quod tanta argumento insit vis meo, ut solvi omnino non possit. Tacuit hic etiam Querinus: verum Rector collegii Monferratensis, ejus alumnus erat gloriosus ille certator, ubi quid factum esset Querino rescit, iusta poena juvenilem jactantiam coercuit.

MITTITUR AD INDOS GUARANIOS

XV. **A**bsoluto magisterio illo, & postea continuato per annum Ministri munere, missus est Querinus Bonasauras, urbem frequentissimam. Hic ad sacra ministeria strenue incubuit audiendis confessionibus, & concionibus habendis, adeundisque moribundis, quorum vix ullus erat, quin illum ad supremum animi subsidium vocaret, velletque sibi affidere, pro concepta opinione de ejus sanctitate. Quamvis autem operæ pretium constaret ibi Querino, tamen ad culturam Indorum, quorum maxime causa in Americam venerat, toto animo ferebatur, idque votum sæpe Præfectis aperuit.

XVI.

XVI. Commodum accidit, ut per id tempus renunciatus sit provinciae moderator Hieronymus Heran, qui ex Europa delectum Sociorum nuper advenerat. Hic audiit Querini preces, atque ad Guarayos cum recentis supplementi parte laetum dimisit. Eo cum venisset, protinus Indicæ linguæ studuit, nec diu post, ut ingenium acuebat adjuvandi neophytos ardor, vacare coepit catechismo, & concionibus, & ministerio confessionum, & curæ agrorum, quibus erat auxilio, & solatio. Rebus his adjumento fuit Curionibus ad an. MDCCXXXII., aliis atque aliis in oppidis. Anno autem MDCCXXXIII. designatus est ipse Curio Candelariæ, ubi Sociorum Guaranicorum Præfectus degebat, eratque ibi penus communis, unde operariis omnium oppidorum, jussu ipsius Præfecti, cui assignatæ a Rege Cath. pensiones annuæ pro Curionum alimentis numerabantur, necessaria ad victum mittebat procurator laicus.

XVII. Illud autem in Guaraniarum oppidis erat difficillimum, & plenum molestiæ, quod providere clientibus suis spiritus simul & corporis bona deberet Curio, alterum enim ibi sine altero constare non poterat, & fuit qui false diceret, repertum tandem esse hominum genus, quibus, antequam aures fide impleas, impleturus sis os cibo. Verum ut res hæc esset Querino facilius usu, fecerat diligentia eorum, qui mirum illum ordinem, longa docti experientia, instituerant, quorum repertis, & legibus accommodavit ille se se penitus, sive qua disciplinam religiosam, & munia Curionis, sive qua culturam, & comoda Indorum spectabant; quod enim vel detraheres, vel adderes, nihil erat: nec poterat non esse optimus Curio, qui decreta illa sancte servaret.

XVIII. Videbatur hic locus poscere, ut de administratione illa Guarantica, quam alii e recentium Philosophorum numero ad cælum miris laudibus extulerunt, alii contra deprefferunt præter modum, aliquid scriberem: sed præterquam quod abriperet id nos longius, melius puto nihil de ea, quam parum dicere, maxime cum tot sint libri, qui de hac re speciatim agunt. Et me quidem iudice, qui diu ibi fui, sive laudent auctores, quos legeris, Guarantica

instituta, siue vituperent, illud pro argumento stabiliti recte ordinis assumere tibi fas est, quod gens Guaraniorum magis & magis ibi aucta sit, idque certissimum est publicis testimoniis; quando alibi aliter habiti Indi, decreverunt in dies, & non nusquam pæne extincti sunt. Sed de his nihil amplius addo.

XIX. Quamvis magnus populus, qui Candelariæ erat, sat negotii binis sacrorum ministris pareret, tamen Querinus augeri clientes, quo Dei cultorum cresceret numerus, optabat vehementer, & curabat. Certo anni tempore mittebatur Indorum manipulus adverso amni Parana, ejus ad ripam Candelaria sita est, ad silvas *berbæ Paraguayæ*, magni ad potionem usus in America Meridiali. Navigabant lembo secundum oras fluvii, quas feræ accolunt gentes. Clientibus ergo suis, quandoquidem ipse ire non poterat distentus oppidi ministeriis, enixe commendabat, ut reduces, quotquot possent barbaros, bonis verbis munusculisque illectos, ad se deducerent. Nec missi votis Curionis deerant, & secum devehebant numerum illorum aliquem, alias minorem, majorem alias. Advenas hos humanissime excipiebat Querinus, & beneficiis delinitos docebat mytheria religionis, ac summa animi voluptate baptizabat.

XX. Priorum baptismus accendebat desiderium alios baptizandi: objicienti autem cuidam ex profelytorum accessione male consuli priscis oppidanis, quibus cum vix satis ad victum esset, multo iidem angustius victuri erant, si hospites quotidie crescerent, respondit Querinus, ut spirituali viro dignum erat, pretiosius anima barbarorum nihil esse, neque acceptius Christo, qui pro illorum singulis non dubitavit mori: proinde sibi certum esse, Deum, cujus causam agebat, & antiquis clientibus, & novis, affatim cibi, & vestis, & quidquid opus foret, suffecturum: neque hæc illum spes frustrata est: quippe Candelaria, ipso Curione, sat stetit, neque Indis necessaria defuerunt.

DESIGNATUR AD CONDENDUM OPPIDUM
PAMPIS INDIS

XXI. **C**eterum manebat Querinum durior provin-
cia. Tractum illum terrarum ingentem, qui Boni-
fauris protenditur ad juga ipsa Chilensia, quæ vo-
cant Andes, habitant barbari, in varias divisi tri-
bus. Optarant jamdudum hominum genus Instabile,
& grave Hispanis, mansuefacere, & Christo adjun-
gere tum Chilenses, tum Paraguayci Jesuitæ. Vo-
luit illuc penetrare acer vir Josephus Augustinus de
Arce, magnum inter Paraguaycos nomen, sed eum
e Chili occupavit, anno circiter MDCXC., Nico-
laus Mascardi, qui totam pæne regionem Patagoni-
cam lustravit, & jam sedem illic fixerat, cœperat-
que Indos instituere: verum ab impatientibus culturæ
occisus est, uti etiam Josephus Guillermus. Atque
id quidem alios non deterruit, quominus idem opus
aggrederentur; & a Chilensibus Sociis an. MDCCIII.
aditus est iterum idem ille cædis Mascardianæ locus,
nullo tamen successu.

XXII. Anno autem MDCCXXXIX. dynastæ
barbarorum quattuor ultro Bonasauras venerunt, atque
interprete nobili viro Joanne de San Martin, petie-
runt a Prætoris Michaelis de Salcedo Sacerdotes e So-
cietate, qui ipsos & civiles mores, & Religionis my-
steria docerent. Prætor insperata re admodum lætus,
negotium retulit ad Præpositum Jesuitarum Antonium
Machonium, ut genti illi cultores daret. E dyna-
stis bini erant. Puelches, bini Tuelches: nam qui
australem plagam habitant Indi, ut locis, ita & no-
mine differunt. Quæ pars vicinior Bonisauris est,
Puelches dicuntur: qui vero juga Chilensia tenent,
appellantur Tuelches. Præter hos aliæ sunt tribus
duæ, Aucaes, & Peguénches (a).

XXIII.

(a) Thomas Falkner, ta Londini an. 1774. gen-
tium Australes Indos ali-
quandiu excoluit, notat in
Descriptione Patagoniæ edi-
gentem universæ significat;

XXIII. Igitur Præfectus Machonius a Præatore Bonaurensi monitus de votis, postulatisque Pamparum (sic generatim vocant Hispani Australes Indos, quo nos nomine, utpote notiore, deinceps utemur) vidit statim de re plane ardua agi, ad eamque opus esse viris virtute, & viribus firmis, tractandorumque Indorum expertis. Tales autem esse norat Emmannuelem Querinum (is forte ab oppido Candelariæ missus fuerat in urbem Assumptionis Paraguayæ, ut pro Rectore collegium administraret) & Matthiam Strobel, curantem tum maxime vicum S. Josephi Guaraniarum. Ambo, acceptis a Provinciali mandatis, Bonauras longissimo itinere venerunt, parati vel vitam pro Deo ponere, vel Dei ipsius cognitione, & legis Christianæ præceptis, barbaros illos imbuere, quorum alterutrum in lucro uterque positurus erat.

XXIV. Ubi a Præatore Salcedo quid fieri vellet præsentibus audierunt, demandatam sibi provinciam magno animo aggressi sunt. Quot vero ærumnæ devorandæ ipsis essent inter initia, incredibile dictu est. Via ad Pampas longinqua, & inavia: vasta omnia, & deserta, domus nulla, nullus agri cultus, cibus malignus; ideoque & miserrime toleranda erat vita, & pro tecto utendum pellibus. Tamen ut nihil non vincit Dei amor, & alienæ salutis studium, quæ alios terruissent, eos stimularunt, alacrioresque reddidere.

XXV. Præiit Strobelius, ut sedem recognosceret, quam pro oppido condendo dynastæ ipsi elegerant. Is locus est prope fluvium salsum (Hispane Saladillo) in campo silvulis, & dumis septo, qui binis leucis distat a mari Magallanico citra promontorium S. Antonii, quo ostia amnis Argentei ad occidentem

pars autem illa, quæ huic
 particulæ præponitur, lo-
 cum indicat, quem gens in-
 colit: ideoque apud eos
Moluche, Pegueneche, Tuel-

*che &c. tantumdem valet
 ac gens borealis, gens oc-
 cidentalis, gens australis
 &c.*

dentem clauduntur (a). Querinus Strobilium secutus est cum Pamparum grege. Coeptum iter est pridie Non. Maj. an. MDCCXL. ipsoque in itinere dedit Deus Querino certum pignus proventuri in posterum fructus. Dynastæ unius uxor correpta morbo enixe baptismum poposcit, edoctaque propere mysteria fidei, ac sacro abluta fonte, inter vera religionis sensa pie obiit. Puerulus autem quidam lustralibus item aquis regeneratus, vivere desiit, parentibus non fletu, sed gaudio faustam filii cœlo jam potiti sortem prosequentibus.

XXVI. Die ascendenti in cœlum Domino sacra, qui dies erat VII. Kalend. Jun. ad designatam sedem perventum est. Erecta ibi Cruce, positoque plicatili altari, Patres sacrificarunt. Post hæc, templo struendo, excitandisque tuguriis, ubi & Sacerdotes ipsi, & Pampe habitarent, acriter institerunt Guarani aliqui, quos volentes secum Strobilius adduxerat. Et ædes quidem sacra, piorum civium Bonaurensium donis, satis eleganter ornata est. Pro civili ordine, dynasta idem ille, cujus conjux in itinere occubuit, auctoritate Prætoris Bonaurensis, Indis præficitur, addito etiam minore magistratu. Oppido in Præsidentem patronamque advocata est Virgo Dei mater, titulo intemeratæ Conceptionis.

XXVII. Coepta porro est neophytorum institutio tam alacri omnium studio, ut ultro ipsi ad Catechismum accurrerent: nec diurna contenti mysteriorum explicatione, intempestive Socios e somno excitabant, ut nova traderent doctrinæ capita, & traditorum rationem reposcerent, num ea bene memoriæ mandassent. Unum erat grave impedimentum lingua peregrina, cui illi non assueverant: sed dum melius eam sacri cultores addicerent, compendium indicarunt neophyti ipsi: satis videlicet se, ob commercium pristinum cum Bonaurensibus, hispane loquentes intelligere, tametsi non possent vicissim hispane loqui: ea interim lingua Sacerdotes uterentur.

XXVIII.

(a) Situs is jacet ad & 322. m. 20. long. grad. 36. m. 20. lat. Aust.

XXVIII. Sancta, ut ita dicam, fundamenta surgentis oppidi fuerunt septuaginta parvuli ætate, baptisimi Sacramento donati, quorum quini non diu post terris erepti in cœleste regnum evolarunt: & fuit præter hos quinquennis alius, qui *renatus denuo ex aqua, & Spiritu Sancto*, tenere pronuncians JESU, & MARIÆ nomina ad illorum adspectum, obita morte, admissus est. Illud quoque dignum memoratu. Enixa puerpera est foetum mortuo similem. Tugurium casu ingressus Querinus a fiente matre, satim salvæ? quæsit. Illa illacrimans depositum humi, & opertum partum ostendit. Allevat Querinus, & certa deprehendens, ex accepto redditoque spiritu, vitæ signa, baptizat semimortuum, qui post baptismum mortuus est.

XXIX. Haud absimilis res Strobelio accidit. Femina primaria foetum eniti non poterat, & præ dolore animam agebat. Accitus ille parturienti persuadet D. Ignatio commendet se, & meliora speret; simul tradit sacras ejus reliquias. Aduit vocatus Divus. Foetus, incolumi matre, prodit, sed ita caput obtritum, ut celebrum appareret: fletus vivum indicat; nova illi vita datur sacris aquis; & brevi mors corporis consecuta est. Adolescentula autem non ita pridem nupta, & catechumena, cum non recte valeret, nec tamen desperate agrotaret, iterum atque iterum initiari baptismo petiit. Perseverantia in rogando digniorem fecerat: donatur Sacramento: & jam voti compos, cum aliquamdiu veluti a sensibus alienata persistisset, mira dein tranquillitate naturæ cessit. Facta hæc non modo neophytos confirmabant, sed etiam ipsorum cultores singulari lætitia implebant, præsertim cum novorum adventu Pamparum, qui rerum fama commoti illuc accedebant, oppidum sensim cresceret.

XXX. At pariter augebantur sacris operariis curæ, & molestiæ e procuratione victus in tot capita. Quippe inter initia parcendum fuit labori neophytorum, ne calcitrarent, utendumque fida opera Guaraniarum advenarum, qua factum est, ut & Pampæ ipsi paulatim assuescerent cultui agri. Verumtamen eum subveniendum esset plurimis, non solum tota
messis

messis eo anno exhausta est, sed absumpti etiam ducenti nummi argentei, quos Regis nomine Prætor Bonaurensis pro condendo oppido dederat, præter septingentos alios ab aliis in stipem corrogatos cum pecore, bobusque, & seminibus frugum. Secunda vero messis, arente solo, interiit, ac summa fuit annonæ caritas, qua (mirum) nihil labefactata est oppidanorum constantia, & fides. Ceterum major fuit aliunde sollicitudo ab armorum metu.

XXXI. Jam inde ab an. MDCCXXXIV., quo præturam iniit Michael de Salcedo, bellum erat inter Hispanos, & Pampas Montanos (Serranos vocant.) Multa utrimque & illata, & accepta damna: neutrisque licebat alteros contemnere. Verum an. MDCCXL. multo insignior Hispanorum clades fuit. Dynasta Cangapol, dictus Bonaurensibus *el Cacique Bravo*, forma corporis, & animi magnitudine, & clientium numero longe aliis Montanorum dynastis antecellebat. Is infensus erat admodum Hispanis, quod de malefactis privatorum (ut ipse agebat) a tota incolente juga montium gente poenas repeterent. Exarsit autem ira tum maxime cum ejus nepos, & alii quinquageni prælio ceciderunt. Hos ulturus copias contrahit, ducitque silentio in pagum Magdalensæ ab Hispanis habitatum. Imparatos offendit, ducentos interficit, plurimos caput, & prædam, & abactum armentum, & captivos in montes cum præsidio mittit, iturus ipse expedito agmine in oppidum Conceptionis, cui stragem minitabatur, quod inde ad suos dati fuissent viarum duces. Sed Prætor Bonaurensis consilium ejus antevertit, misso illuc propere auxilio cum bellicis tormentis, qua re Cangapol vim vi propulsuros aggredi ausus non est.

XXXII. Expeditione illa everfi pagi Magdalensici crevit Montanis animus. Ob id Prætor Dominicus Ortiz de Rozas, qui Salcedo successit, optans foedus pangi cum barbaris, scripsit ad Querinum, ut Cangapoli remitteret sororem, quæ in oppido retinebatur, siquo modo illa fratris molliret iras, & ab inferendis maleficiis furem averteret. Neque ea id officii recusavit. Ortizius autem, ut simul arma ostenderet, ire ad montes jubet Christophorum de Cabral

Cabral cum CCCC. militum manu, ut ad iustas pacis conditiones Cangapolem æquo pacto alliciat; sin minus, vi cogat. Cabrali duci datus est socius, & comes P. Strobilius, qui Hispanorum partes ageret. Is ubi ad colloquium est ventum, dynastæ proposuit quanti & sua, & suorum interesset Prætoris amicitia, & pax gentis bello fortis; tum ad illius expostulationes contra Hispanos respondit: nec apud Cangapolem non valuit fororis obtestatio affirmantis de sincero fœdere agi.

XXXIII. Composita tandem pax est, quattuorque dynastæ descenderunt Bonasauras, quos Prætor humanissime exceptos multis ornavit donis. Actum de reddendis captivis, neque de Hispanis illi quidem recusabant, sed petebant simul ipsis restitui feminas bello captas, quæ in oppidum Conceptionis ablegatæ fuerant. Conditionem hanc vel illæ ipsæ, quarum de libertate cautio erat, volebant admittere, Christiana enim susceperant sacra, timebantque versari cum barbaris. Movit id prætorem, neque invitæ abire sustinuit. Cedentibus autem dynastis postulato illo, feminæ in oppido lætæ permanserunt, quod quidem argumento est, quanti fidem facerent, & quam amarent civile vitæ genus, quod illic Querinus cum Strobilio instituerat.

XXXIV. Et quoniam, quæ deinde consecuta sunt, commendant quodammodo ipsum illum ordinem, quo oppidani Conceptionis, sorte contenti sua, pie urbaneque informabantur, dicam de hac rem nonnihil. Post ictum fœdus Montani quidam, iisque permisti aliqui Patagones, ad Pampas subinde visendi causâ commeabant. Ii Patrum allecti beneficiis, miratique modum, quo oppidum administrabatur, optarunt sibi etiam sacros cultores dari. Res nulla optatior & civibus Bonaurensibus, & Jesuitis esse poterat. Quapropter, ubi maturum negotium fuit, ad eorum culturam destinati sunt Josephus Cardiel, & Thomas Falkner (a), quos plenius promissis de fovendo oppido,

(a) Hispani accommodatio- hunc vocabant *Thomam Fal-*
re ad eorum linguam sono *coner*. Anglus erat e nu-

pido, sublevandisque futuris oppidanis, illuc misit Prætor Bonarumaurarum an. MDCCXLVI. Difficile erat in primis reperire sedem aptam, in quam Indi convenirent, alibi enim aqua ad potum, alibi ligura cædua, alibi alia ad usus necessarios deerant.

XXXV. Cum omnia circumspexissent novi Sacerdotes, locum illum ceteris prætulerunt, quem Hispani appellant *El Volcan* (id est mons Vulcanius, sive ignivomus,) qui locus jacet grad. XXXVII. min. XL. lat. aust. Huc se se receperunt pro condendo oppido Montani Caciqui Marike, & Tschuan Tuya, germani fratres cum viginti quattuor suorum contuberniis. Nomen oppido factum est *VIRGO A COLUMNA* (Cæsaraugustana nimirum.) Sub idem tempus ad Patagones instituendos missi sunt Laurentius Balda, Pampelonensis, Divi Ignatii Loyolæ propinquus, & Augustinus Vilert. Pro Patagonum statione electus est locus, qui a *VIRGINIS COLUMNATÆ* sede quattuor distat leucis. Conditores hujus oppidi, cui nomen *VIRGO MATER DESTITUTORUM* (*De los desamparados* Hispanice,) fuerunt Caciqui tres Chanal, Sacachu, & Taychoco cum octoginta clientium contuberniis. Horum omnium culturam per summas ærumnas, laboresque aggressi sunt magno animo Balda, & Vilertius, neque eos susceptæ operæ poenitebat: Patagones enim præ aliis, qui ad Austrum habitant, dociles sunt, aptique ad institutionem. Locus ille distat Bonisaurensi ab urbe centenis amplius leucis.

XXXVI.

mero eorum, qui ad Afrorum hominum triste mangonium permissi fuerant a Philippo V. Bonisauris degere. Ille autem a commercio cum Hispanis hæresim abjuravit, & Societatem ingressus est, atque medicæ, quam olim a Cl. V. Richardo Mead didicerat, & qua erat præstantissimus, siquis alius,

addidit Cordubæ studia theologica, eaque pro acri, & culto ingenio facile arripuit. Initiatus deinde Sacerdotio est. Ise Paraguya, lege exilii, deportatus in Europam, edidit Londini Anglice *Descriptionem Patagonie*, cujus supra meminimus.

XXXVI. Quod ad Querinum attinet, quamdiu in Conceptionis oppido fuit, coaluit optime religio: Indorum primores omnes, puerique, atque ex maioribus natu biscentum baptizati sunt, ac reliqui ad idem sacrum munus parabantur. Plurima autem erat neophytorum ad catechismum assiduitas, singularisque in cultores suos amor, & reverentia, & tanta morum commutatio, ut non iidem, qui paulo ante fuerant, barbari exlegesque, sed prisci probatique Christiani viderentur. (4).

XXXVII.

(4) De tribus oppidis, rit, cujus culpa tria illa quæ hic diximus, scito jamdudum nullum extare. Cur deserint, causâ reddit Martinus Dobrizhoffius (Hist. Abiponum tom. I.) turbulentum, & ambitiosum Cangapolis dynastæ ingenium, qui quietcere etiam post fœdus nec voluit, nec potuit. Verum Dobrizhoffius ipse melius originem ruinæ aperuit, cum generatim dixit. „ Illud ausum affirmare alias atque quotidie molestias Patribus illis ab Indis allatas, sed multo plures acerbioresque ab Hispanorum vulgo, a vini cremati, aliarumque reularum nundinatoribus, a quibus, cum arcerentur, tricæ, fabulæ, calumniæ non raro profluxere. Quanta hoc loco scribi possent, quæ ad celebrandam Patientiam patientiam momenti plurimum haberent. Quisquis autem auctor fuerit, cujus culpa tria illa oppida deserta sunt, quas ille Deo pœnas dabit ob impeditam tot Australium gentium institutionem, & fidem? Neque id solum, sed etiam quam dignus supplicio ob infinita mala, quæ iidem illi Indi, cum jam frenis nullis retinerentur, Hispanis intulerunt? De cultoribus vero, qui oppida illa coacti sunt deferere, sic exclamat Dobrizhoffius: „ Equis non deploret Sociorum nostrorum, his qui populis operam navarunt annos complures, extremas miseras, vitæ quotidianæ discrimina, tantosque labores, qui omni prope caruerunt fructu, præterquamquod infantes sacro latice a se tinctos plurimos, qui occubuerunt, & adultos non paucos in cœlum transfulerint? Primis, antequam boves, ovesque ad eos alendos mitterentur, tem-

RENUNCIATUR PRÆFECTUS PROVINCIÆ.

XXXVII. **C**ollegium Assumptionis Paraguayæ semel Querinus pro Rectore administrarat illuc missus ab oppido Candelariæ (ut supra diximus,) bis autem pro Rectore item præpositus fuit Collegio Bonaurensi, a Pamparum nova statione eo evocatus: alternis enim jubebatur ab Indis ad Socios ire, ab Sociis redire ad Indos: neque ille vices istas, nihil sanctius ducens obedientiæ imperio, invitus subibat.

XXXVIII. Rectorem autem cum ageret, id ei perpetuum fuit, ut virtutis studium omnibus inspiraret, curaretque diligenter id a singulis præstari, quod religiosæ vitæ ratio poscit, & siquid a quoquam secus fieret, vel admonebat privatim, vel reprehendebat publice. Etsi vero ipse in cibo amictuque, & aliarum rerum usu, nihil nisi facile, & parabile admittebat, tamen quæ aut ferebat consuetudo, aut exigebat necessitas, suppeditari aliis jubebat, habitæ præsertim ægrorum cura, quos frequenter adibat.

Invi-

„ poribus Patres equina car-
 „ ne, quotidiana Indorum
 „ illorum dape, reficieban-
 „ tur. P. Thomas Falco-
 „ ner campos omnes cum
 „ Indis pervagatus, equi-
 „ næ carni scindendæ, cum
 „ orbem e stanno, vel li-
 „ gno, non haberet, orbis
 „ loco semper pileum sup-
 „ posuit suum, qui demum
 „ pinguedine infectus est
 „ tanta, ut, illo dormien-
 „ te, a canibus silvestribus,
 „ queis campus scatet, de-
 „ voraretur. Me in Bo-
 „ niaeris urbe agente ali-
 „ um sibi mitti pileum per

„ litteras petiit, canum ac-
 „ cusans voracitatem. Pa-
 „ tris Matthiæ Strobl tu-
 „ gurium, nescio quis, ne-
 „ bulo succendit. Strami-
 „ neum tectum conflagave-
 „ rat jam, ipse quoque al-
 „ tum dormiens haud du-
 „ bie flammis erat interi-
 „ turus, nisi a fido homine
 „ expergescens incendio se
 „ se subduxisset. „ Hæc
 Dobrizhossius, quo auctore,
 ab oppido Conceptionis
 (post relicta bina illa Mon-
 tana) quotidianis hostium
 incursionibus vexato disces-
 sum est 13. Febr. an. 1753.

Invisibat præterea eos, qui opere aliquo distinebantur, circumibatque interdum domum, ut rectus ubi-vis ordo servaretur, qui cum positus sit, ut viri Deo dicati modestam, & pacificam vitam vivant, ad eas virtutes, aliasque, domesticos & per se ipse, & per seniores patres, statis diebus exhortabatur.

XXXIX. Hoc sancte regendi Socios cum jam dedisset specimen, ecce tibi allatis a Præposito Generali litteris an. MDCCXLVII. mense Augusto, renunciatus est totius provinciæ moderator. Igitur, inito magistratu, Bonisauris, ubi tum erat, Cordubam profectus est, ut ab eo Collegio, quod ceterorum erat caput, lustrationem Sociorum inciperet, lustraturus deinceps domicilia alia, & oppida Indorum Societatis curæ credita: neque ut mandatæ sibi præfecturæ satisfaceret, territus est ærumnis incommodisque viarum, quæ plurima perferenda erant.

XL. Scripsit olim quidam Provinciali Paraguayco pro obeundis omnibus provinciæ sedibus, bis mille & quingentarum leucarum iter agendum esse (a). Sed id tum scriptum est, cum pauciora erant loca a Sociis Paraguaycis culta: creverat vero jam viæ labor, auctis Indorum stationibus, ubi iidem sacra curabant, adeo ut Præposito provinciæ, si domicilia omnia adire vellet, tria minimum leucarum millia conficienda essent. In tanto autem locorum intervallo non una est coeli temperies, sed alibi summus æstus, summum alibi frigus, neque eadem viarum conditio, cum loca quædam sint, ubi aqua nulla est ne ad bibendum quidem; quædam ita lutulenta, ut vix moliri e terra pedem possis. Ad hæc, sæpe trananda impatientia pontis flumina, & quæ vel monoxylis scaphis, vel composito bovis corio, cujus extrema sursum complicantur, ut aqua extent, a viatoribus (usis ministerio Indi alicujus, qui natans bubulam illam cymbam trahit secum) superantur (b).

XLI.

(a) Litt. ædific. & curios. Rec. XXV.

(b) De temperie provin-

ciæ Paraguaycæ vide quæ diximus in Prologo.

XLI. Hæc, atque alia, Querinus pro publico provinciæ bono libenter aggressus est. Et quidem cum equo per loca aspera veheretur, haud raro humi decedit, nullo tamen umquam vel corporis damno, vel perturbati animi sensu: sed tranquille erigens se se gratias, agebat, Deo; casus faustus fuit innoxiusque. Alias iter agens Saltam, a qua urbe longe adhuc distabat, correptus est improvise malo. Medicus nullus aderat, nec arceri, cum locus desertus esset, poterat. Medicinam fecit, insciens omnino artis medendi, Joannes Escandon, qui comes ibat, ut in hujus vita dicemus.

XLII. Ubi porro ad collegia seu oppida Indorum venerat, nihil ille prætermittebat, quod ad firmandam disciplinam faceret. Audiebat singulos benigne, & comiter, & siquid cui querelarum erat, sedare ejus animum studebat. Exquirebat simul, an sua quisque munia rite obiret. Tum hortabatur, ut primum perfectioni omnes suæ, deinde alienæ salutis pro virili parte consulerent, interque se arcte, & sancte amarent, nisi enim pax stabilis, & vera concordia dicatis Deo coetibus sit, omnia retro labantur necesse est.

XLIII. Functus jam supremo provinciæ magistratu, bis præfuit Rector collegio maximo Cordubensi, semel autem magisterium egit tironum. Hos ita instituebat, ut præcipuam ipsorum curam ponendam esse diceret in domandis impotentibus animi motibus, ut purgato quasi in solo, virtutes post fererent, humilitatem, rerum humanarum contemptionem, mansuetudinem, modestiam, divinæ gloriæ studium, ardens Christum imitandi desiderium, quo charismata meliora in dies æmularentur, parati semper ad sancte exequendum imperium Superiorum, Dei voluntatis interpretum. Hæc ad disciplinæ suæ alumnos monita; sed monitis potiora erant vitæ exempla, & visæ in Magistro virtutes, de quibus nonnulla sigillatim dicemus.

DE

DE FIDE, SPE, ET CARITATE QUERINI.

XLIV. **U**T Christiani hominis principes virtutes sunt Fides, & Spes, & Caritas, quales hæ in Querino fuerint primum explicabimus. Fide ille sic viva fuit, ut ejus arcana mysteria pæne oculis intueri videretur. Hinc vehemens ardor religionis amplificandæ, quo ad barbaros homines penetravit, ut Dei, & sacrarum rerum cognitione eos imbueret. Hinc zelus assiduus excitandi Hispanos ad pietatem, & studium instituendi eorumdem mores: neque enim vel tot aspera passus fuisset, vel tot ardua aggressus, nisi impellente fide, quam ducem, quoquo vocaret, sequebatur.

XLV. Cernere item fidei vim in loquente Querino licebat. Vix umquam ab alio adibatur, aut alium ipse adibat, quin (expedito, quod rei præsentis erat, vel inter rem ipsam expediendam) aliquid de Deo, aut de virtutum officiis insereret. Ivi-mus Cordubam recentes ab Europa adolescentes aliquot. Rector Querinus deduxit, ut par erat, nos ad salutandum Joannem Franciscum Pestaña, Tucumanizæ Prætorem. Is comis in primis, urbanusque, excepit adeuntes benignissime. Peracta salutatione, ubi ille a nobis, tanto defunctis itinere terra marique, quæ nosse voluit, interrogavit; deductor noster Querinus, nescio quid præfatus, aut ne præfatus quidem, coepit de Deo, & divinis rebus loqui. Id mihi hæsit tum alte in animo, & mente adhuc retineo tot jam post annos. Fuisset fortasse qui illo & tempore, & loco, alienum putasset, spiritualia miscere: sed Querino nullus non locus, non tempus, non personarum conditio opportuna videbatur, quin *de regno Dei, & justitia ejus loqueretur*.

XLVI. In quotidiana recreatione, si qui aderant, de virtute, & cultu spiritus sermonem induxerant, audiebat avide, & symbolam conferebat: sin autem ad alia minoris momenti reciderat sermo, demisso capite, facillime somnum capiebat, non eum abrupturus,

pturus, nisi ad strepitum tintinnabuli, alio colloquentes (indicto silentio) evocantis.

XLVII. Ex fide etiam ortum est studium illud assiduum Evangelicæ perfectionis, una cum odio sui, & contempnitione rerum mortalium, quas ut stercus arbitrabatur, ut Christum lucrifaceret; inde etiam vitæ asperitas, qua semper usus est, & circumspecta sensuum custodia.

XLVIII. Fidei par Spes. Sui curam Deo commiserat, confidens nihil sibi defuturum vel corpori necessarium, vel pertinens ad salutem animæ. Monitus quondam, ne tam vitæ victusque negligens esset, respondit monenti, quid tu? nescis Deum nostri satagere? Hominis est in aperta pericula non ruere: ceterum (ubi sine anxia sollicitudine tibi consulueris, & cæcum, præcipitemque in agendo modum vitaris) fidendum Deo, qui Angelis suis mandavit de nobis.

XLIX. Quædam tamen ipse nonnumquam moliebatur, quæ aliis plena temeritatis viderentur. Diderat a Christo Domino *date, & dabitur vobis*, atque hac fretus sponione dum Rector fuit, præter ea, quæ summa liberalitate in templa impendit, ut postea dicemus, liberalissimus erat in pauperes. Ad januam collegii Cordubensis quotidie septuaginta minimum panes egenis dividebantur, & obsonia præterea aliquot honestis, & inopibus familiis, omnibusque detentis in carcere. Hæc jam ab aliis Rectoribus instituta retinuit Querinus, aliaque clam dabat, prout erat postulantium conditio, numquam veritus, ne collegii bona detereret. Et contraxit ille quidem his suis largitionibus grande æs alienum; sed (ut spes non confundit) cum magistratu abibat, non modo æs illud redemerat, sed successori redditus, & fortunatas domus optime constitutas relinquebat.

L. Caritati, utpote omnium virtutum maximæ, ante alias Querinus studuit. Atque ut nemo est, qui non audiat libenter, quæ dicuntur de eo, quem amat; sic ille, ubi injectus fuerat sermo de Deo, ejusque summis bonis, emicabat statim, atque ex vultu ipso nosse, quam ei id gratum esset. Quos instituebat tirores, cum magistri sensa longo didicissent usu,

usu, quando jam tempus aderat a prandio permissæ recreationis, condicebant sic inter se: eamus, & ad lacrimas magistrum provocemus: neque errabant: illacrimabatur enim, ubi ab illis coeptum erat agi de Deo, divinisque perfectionibus.

LI. At amor is non erat iners, sed actuosus, & in proximos redundans, quorum singulos, quibus poterat rebus, juvabat. Mitti solita diximus paulo ante e collegio Cordubensi opsonia cum panibus ad detentos carcere. Ea meridie ad illos ferebant bini adolescentes scholastici, qui & corporis pariter cibum, & animi monitis salutaribus impertirent custodiis. Studens ego tum Theologiæ, designatus in id munus sum (per vices enim alii atque alii ibant). Hominem illic reperi, qui me librum poposcit, quo triste illud otium minus gravare ferret. Rem ad Querinum Rectorem retuli, qui illico aureum illum librum a Carolo Gregorio Rosignolio Italice editum, & optime in sermonem hispanum ab alio conversum, cui titulus est *VERITATES ÆTERNÆ*, protulit, quem postridie rediturus in carcerem poscenti redderem.

LII. Neque vero exilium hac sua in alios caritate eum exiit. Leniit nimirum consolando miseram Sociorum sortem; & si quis illius uti opera voluit, hanc detulit sedulo enixeque. Piis idem donis, aliis enim non poterat, ostendit, quam ipsi essent cordi veteres contubernales. Misit ad hos ex urbe Divorum reliquias, sacrasque icunculas, & libros agentes de immenso erga homines amore JESU CHRISTI, ut inde, divinum cor adorantes, tamquam inexhaustum totius consolationis fontem, haurirent in tantis malis solidi causas solatii.

LIII. Aliud etiam fuit in Querino vere Deum amantis argumentum. Ut nulla post mortem mora retineretur, ne statim facie ad faciem cerneret summum bonum, proposuit sibi (ut ipse quondam explicuit P. Maximiliano Cajetani, quo conscientiae moderatore utebatur) ita statum animi componere, dum viveret, ut solutus corpore in coelum, vitatis si fieri posset, flammis purgatoriis, extemplo ascenderet, coram fruiturus dilecto suo. Hac causa studiose cavebat

cavebat vel leves noxas admittere, & admissas Sacramento poenitentiae, & voluntariis suppliciis expiabat. Tum assiduam dabat operam, ut remissiones poenarum a CHRISTI Vicario concessas per iussa virtutum opera adipisceretur.

LIV. Ad hæc omnia commodius procuranda aptissimus erat locus, ubi extremo tempore vixit, tirocinium Quirinale S. Andreae, veræ pietatis asceterium. Neque aliter de illo domicilio sentiebat Querinus, qui Faventiam scribens ad Sacerdotem XI. kal. Nov. an. MDCCLXVIII. ego, ait, *dego in hac sancta domo, & prope sacellum, ubi mortuus fuit S. Stanislaus. Utinam hoc uti scirem grandi beneficio, quo me Deus afficit.*

QUERINI HUMILITAS ET PAUPERTAS.

LV. **C**UM religiosus status iis maxime innitatur, e quibus constat, nempe paupertate, castitate, & obedientia, virtutibus his eminebat plurimum Querinus, nec minus humilitate, quæ illarum fundamentum est, ob idque de ea primo dicendum loco. In hanc jam inde a tirone ita incubuit, ut testatus sit P. Sebastianus Durante ætate jam gravis, qui juvenis plus anno in tirocinio cum eo vixit, alta sibi mente reposta esse adhuc humilitatis exempla, quæ in Querino tum vidit. Atqui hæc in illo virtus semper crevit. Jam senex, & supremis provinciae functus muneribus, interrogabat sæpe quædam de morum disciplina a novis Sacerdotibus, quibus tanto ipse exercitior erat. Instituebat, postquam magistratu Rectoris abiit, tirones simul & eos, qui, absoluto studiorum curriculo, more Societatis tertium probabantur. Hi ad eum retulerunt, opportunum fore, & utile, si singulis hebdomadis in secessu illo suo quaestiones de officiis, seu casus conscientiae, ut vocant, quibus ipsi ad obeunda melius ministeria exercerentur, discuteret aliquis, aliis audientibus, & siquid contra visum fuisset, objicientibus. Consilium probavit Querinus, addidit tamen imparatum se se a

doctrina esse, ut quæstionibus ejusmodi præsideret: quod responsum movit vehementer juniores illos Sacerdotes, qui rem moralem tractabant.

LVI. Bonisauris olim agens sacrum operarium, designatus fuit a Rectore ad cineralium jejuniorum historiam sacram. Sic appellabantur conciones, quas singulis diebus Dominicis sacrați illius temporis post meridiem habebat unus e Sociis, proposita e divinis libris historia aliqua, unde Orator pro re nata ad fugienda vitia, sectandasve virtutes auditores, qui maxima frequentia confluebant, hortabatur. Instabat jam tempus, & domestici norant in id munus delatum pridem Querinum. Accidit autem, ut Bonisauras tum veniret Jesuita alius magni nominis concionator. Hinc plurimum excitatum studium est audiendi ab eo sacram historiam. Non fugiebant Rectorem istorum vota: nolebat tamen ille novi quid fieri, ne despexisse videretur Querinum, hospite anteposito. Interea suboluit Querino desiderium istud novi Oratoris. Nec mora: præfectum adit ultro, & velut ipse auctor consilii esset, petit ab eo, ut concionatorem illum, qui multo libentius audiendus esset ab omnibus, sibi præferret. Annuit tum Rector, & habitæ sunt conciones a novo Oratore.

LVII. Rector jam Querinus, & Provincialis, si quis domesticorum adierat, caput operire, & sibi illum assidere jubebat: deinde audiebat benigne, quæcumque vel fari, vel petere vellet. Ubi finem fecerat, concessa, si posset, aut, si non posset, comiter negata, detracto sibi pileolo, ad cubiculi ostium deducens, eum urbane dimittebat. Indictis longioribus ab schola feriis, ibant rusticatum dies XV. in prædium collegii studiosi litterarum adolescentes. Pridie omnes simul Rectorem noctu conveniebant. Querinus amanter exceptos brevi commonebat, ne paterentur eam, quæ corpori contentione studendi fesso concedebatur, justam remissionem in torporem verti teporemve animi: in urbe, & ruri religiosæ vitæ, & decori rationem habendam esse: proinde patri Ministro, qui comes iturus erat, dicto audientes essent omnibus in rebus: ipsi fore curæ, ne severitas disciplinæ, recreationi; neu recreatio severitati vicissim disci-

disciplinæ officeret. Sic hortatus prodibat aperto capite, & pro cubiculi stans janua, abituros postridie valere jubebat.

LVIII. Mos illi perpetuus fuit singulis hebdomadis, alio quidem die cibos inferre Sociis prandentibus, alio autem catinos, scutellasque a mensa lavare, instar lixæ ad labrum culinæ. Deinde vescentium pedes osculabatur. Sæpe subtus mensam prandebat, & frequenter sternebat se se ad triclinii ostium, ut ab egredientibus calcaretur, quod illi altiore passu vitabant. Cum toti præesset domui nullius ministerium ad verrendum cubiculum admittebat, aliosque usus. Sabbatis, ubi vespere signum dabatur, ut Socii irent ad templum, & illud verrerent, aderat ipse primus, vel inter primos, cum scopis.

LIX. Nemo autem ab eo quicquam audiit propriæ laudis, vel de gente, qua erat illustris (a), vel de nobili patria; cui pater præfuerat, vel de rebus ab ipso in Societate gestis; cum e contrario liberalissimus esset in laudandis aliis, siquis quid recte gesserat. De se humillime sentiebat, tametsi & domesticis, & externis venerationi esset ob notam sanctitatem. Femina quædam credita suis est olim vexari a dæmone, isque dicebatur respondisse, non illinc abiturum se nisi jussu Querini. Vocatus is, me, inquit, dæmon appellat! Ah! indicio id est, nihil illum mali a me timere; neque enim nominaret, quem sibi adversari posse intelligeret. Ivit tamen, ne feminæ consanguineos contristaret. Quid deinde factum sit, quamvis tum essem Cordubæ Tucumano-
rum, ubi id accidit, aut rescire non curavi, aut omnino non memini. Est qui dicat, nihil illud aliud fuisse, quam (ut sæpe assolet) mulieris turbatam mentem.

LX. Jàm paupertas in Querino tanta fuit, ut e veste, totoque corporis habitu reputasses extremum e laicorum numero. Gerenti totius provinciæ magistratum femoralia erant e panno illo rudissimo, quem

(a) De genere Querini vide, quæ dicam sub finem hujus vitæ.

quem vocant *Cordellate*, mancipiorum reservato usus; tibialia autem e corio macerato. In cubiculo nihil habebat pretiosi, non cultiorem sellam, non imaginem piā, quæ paulo esset elegantior. Pendens ante oculos Christus e lignea Cruce scribentem, vel legentem Querinum docebat rigidam paupertatem. Erant illi quidem Rectori, & Provinciali quædam munuscula, ut sacræ icones, orbesque filo inserti pro numerandis Virginis Matris laudibus, & alia id genus, quæ comparabat, ut studentium litteris alacritatem acueret, aut industriam remuneraretur, atque etiam ut daret sacris operariis, qui ea dividerent, inter obeunda ruri ministeria, agricolis, & servis; magna enim inopia rerum istarum est in locis illis infrequentibus. Quin & ipse Querinus Indis, & colonis ad se iter agentem accedentibus ultro impertiebatur acus, cultellos, aliaque, quæ a rusticis magni fiunt, nec facile ipsis est ea aliunde conquirere. Verum siquid istorum supererat, cum magistratu abdicabat se se, reddebat illico procuratori domus, monens sistenda illa, quæ retinuerat muneris sui causa, successor, aut cui is juberet.

LXI. Gaditanus civis, qui Querinum advectum ex America convenit in portu S. Mariæ, ei se, & sua prolixè obtulit, ratus e trita veste, situque corporis, multis illum egere. Gratias egit Querinus, & nulla sibi re opus esse respondit. Cum civis ille iterum atque iterum adiret, urgeretque, ut aliquid saltem indicaret, quod si minus necessarium, esset ipsi utile; Querinus ægre eum videns repulsam ferre, ne immerentem diutius tristitia afficeret, modeste significavit gratum sibi fore, si aliquid triti tabaci ad se mitteret. Ille protinus magnam ejus generis vim, & optimæ naturæ curavit, misitque, additis (quod ne innuerat quidem Querinus) ducentis argenteis stipis nomine.

LXII. Accepto munere nihil pæne Querinus usus est: nam argenteos Sociis, quos se indigentiores existimavit, divisit: atque illa medicata narium irritamenta aliis etiam paulatim largitus est, nihil perpendens animo ea ipsa, quæ dabat, navigaturo sibi propediem in Italiam necessaria futura pro affecta ætate

etate caducaque. Antonius Schola, qui illius inutilis jam membris curam in se receperat, cum in navigationem mediterranei maris nonnulla providisset, ubi ea deinde reddidit Querino, is, ut antea fecerat, in illorum communionem alios vocavit. Atque hunc paupertatis amorem ad finem usque vitæ retinuit.

CASTITAS ET OBEDIENTIA.

LXII. **C**astitas in eo eximia fuit tum corpore, tum spiritu. Et quoniam virtus hæc cautis dumtaxat, & omnia timentibus, stabilis est, cautissimus fuit nequod in periculum incurreret. A feminarum vultu oculos perpetuo abstinuit, eaque & domi, & foris modestia incedebat, ut intuentes componeret. Siquis eum adibat, cujusvis conditionis, & ætatis esset, obtutu humi defixo loquentem audiebat. Consuetudine autem deorsum adspiciendi, aut deprimente cilicio, de quo postea dicemus, aut alia omnino causa, ita incurvus erat ab humeris, ut nihil nisi difficulter præter terram posset cernere. Sollicitus idem erat magnopere, ut honestatem morum omnibus inspiraret. Guaraniorum Curio, ac deinde inter Pampas, enixe egit, ut obscœni vitii ingentem horrorem clientibus incuteret, quo longius eos a culpa averteret; repertusque aliquando est ingemiscens, & lacrimans, quod unius fidei commissi suæ delatum esset nomen de admissa impudicitia.

LXIV. Obedientia in Querino tanta fuit, quantum esse oportuit in religioso viro, qui jam inde a tirocinio totus e superiorum nutu pependit. Hac de causa sive ab Indorum cura ad gubernandos Socios evocaretur, sive a Sociorum gubernatione ad Indica ministeria remitteretur, præsto præfectis aderat, cum neutrum alteri præferret, contentus Deo imperanti per suos interpretes obedire. Præpositus autem aliis, nequaquam se se liberum ab imperio arbitrabatur; quæ enim in Societatis legibus constituta, & quæ a majoribus olim pro provinciæ, & collegiorum administratione provide ordinata fuerant, observabat penitus.

LXV.

LXV. Quapropter ubi signum editum fuerat rei cuiuspiam faciendæ, statim aderat; ac sæpe, cum recreationi post prandium cum aliis vacabat, ubi tintinnabulum insonuerat pro silentio, institutum sermonem illico abrumpebat. Si inclusus cubiculo arceſebatur alio, vix nolæ audito pulſu, poſitis omnibus, extemplo properabat, quo tum eundum erat. Deſignatus Provincialis Cordubam, ut dictum eſt, Bonifauris venit: quo autem die urbem ingreſſus eſt, adierunt eum ſalutandi ergo equites, Senatoresque Cordubenſes, atque Antiſtes ipſe, qua erat dignatione; iis autem excipiendis matutinum tempus exactum eſt. Datur interea ſignum pro diſcutienda conſcientia de more ante prandium. Quid ageret Querinus? Breviter comiterque urbanis viris, qui tum aderant, dimiſſis, ut ſolus fuit, inniſus genibus ab ſe rationem factorum, dictorumque eo die repoſcere coepit: quod quidem obſervatum eſt per fenestram, quæ ſub infima contignatione lumen ab horto excipiebat, ab adoleſcentibus quibuſdam, non ſine ipſorum pio ſenſu, & admiratione.

LXVI. Tardius quondam paruit Præpoſiti Provincialis opinione, & voluntate. Res ſic accidit. Pavimentum ſacri veſtiarii depreſſius erat Cordubæ principe parte templi, ſeu Presbyterio. Joſephus Barreda, qui toti provinciæ præerat, præcepit, ut illud attolleretur, æquareturque ſolo templi, quo lenior eſſet exitus. Id juſſit, & abiit. Querinus Rector ratus eſt Provinciali ipſi gratum fore, ſi, abſoluto ædificio alio, magis neceſſario, cui tum maxime architectus laicus, & ſtructores operam dabant, illud veſtiarii fieret. Redit haud multo poſt Barreda, & nihildum pavimento illi factum fuerat. Tum converſus ad Querinum, ſiccine, inquit, Rector, juſſa facis? Querinus cauſam premens, cur rem diſtulerat, procidit ad genua Provincialis, & veniam dilatæ operæ petiit. Hac erat ille humilitate, & ſubmiſſione animi erga Barredam, cui in regenda provincia deceſſor fuerat. Provincialis autem ipſe conſilium Querini prudens fuiſſe poſtea deprehendit, miratuſque eſt tantam boni ſenis modeſtiam, cum ſe ſe poſſet juſte defendere.

LXVII.

LXVII. Ut vero præfectis morem gereret, ne illa quidem detrectabat, quæ erant plena invidiæ. Quidam magistri collegii Romani, defuncti jam scholis vespertino tempore, conveniebant in vestibulum tirocinii S. Andreæ, ubi honeste inter se colloquerentur, fessumque studiis animum recrearent. Id murmuris fieri eo in loco displicuit tirocinii Magistro, ac Præposito etiam Generali, ubi rem rescit, iussitque is edici patribus illis, ne isthic in posterum sermones miscerent. Electus est Querinus, qui post reditum ex America eo missus fuerat, parum grati nuncii gestor, nec renuit. Ergo cum illi, inscii quid negotii pararetur, denuo convenissent, lætique inter se agerent, adest Querinus, pileolumque manu tenens, voluntas, ait, Patris nostri est, ut hic ab omnibus silentium servetur: qui velint, in hortum (licet) ingrediantur, ibique colloquantur; qui id nolint, alio deambulatum eant. His auditis, pro reverentia Præpositi Generalis obmutuerunt omnes, & partim ingressi sunt hortum, partim aliorum abierunt, nullusque postea colloquii causa in vestibulo restitit.

LXVIII. Cum igitur Querinus tribus illis virtutibus, quæ religiosum virum efficiunt, adeo excelleret, easdem merito reposcebat a sibi subjectis, nec sine successu, vigilando enim admonendoque, id assecutus est, ut Socii, quibus præerat, pergerent reddere fideliter, quæ Deo voverant. Collegium quidem Cordubensè, quod bis administravit, assiduus exemplis solidæ pietatis vigit; studiosique litterarum adolescentes (ut de aliis taceam) qui magno illic numero disciplinis liberalibus erudiebantur, non minus contentione discendi, quam modestia, silentio, & temperantia emicuere. Hæc autem, & cetera, sine quibus vita vere religiosa consistere non potest, fovebant crebræ ad perfectionem hortationes, & pia lectio, & quotidiana rerum cœlestium meditatio, & annuæ D. Ignatii commentationes, maxime vero frequentia Sacramentorum Poenitentiae, & Eucharistiae, quibus Doctor Eximius educatæ juventutis in Sociorum domibus honestatem morum attribuit (a).

QUE-

(a) Tom. IV. de Relig. tract. X. lib. IV. c. III.

QUERINI MORTIFICATIO ET ZELUS ANIMARUM.

LXIX. H Abuit hoc ille & adolescens, & senex, ut animum obfirmaret in dura quæque, & adversa, mortificationem JESU in corpore suo semper circumferens. Numquam extra jussu capienti alimenti tempus quicquam cibi gustavit. Gustavit autem? sumpsit, debui dicere: erat enim constans inter Querini contubernales opinio, gustatum ab eo perditum. Quidquid apponebatur sive sapidum esset, sive insulsum arridebat illi æque, vel etiam cum alii illata fercula refugerent, quod coquus (ut fit in magna domo, qualis erat Cordubensis centum circiter capitum) aut escas parasset malas, aut bonas negligentia corrumpisset. Querinus nihil quærebat aliud quam corpus sustentare securus ceterorum.

LXX. Accedebant huc voluntaria jejunia, eaque rigida, siquis proximus esset dies sacer Christo, & Mariæ Virgini, & Divis e Societate, aliisque, quos singulari cultu prosequabatur. Ubi viribus atteri cœpit jussus est uti potione illa, quam ibi *Mate* vocant, fitque instar *The* ex infusis aquæ calidæ foliis arboris cujusdam Paraguaycæ: misceri autem solet aliquid sacari, quod frondium illarum amaritiam temperet. Querinus vero feria IV., & VI., & Sabbatis nihil addebat; ex quo apparet, cum hac in re blandiri palato nollet, dulcedinis, quamvis alia cibi conditione non afficeretur, sensum retinuisse.

LXXI. Cum extrema ætate in Romana JESU domo habitaret, apposita est prandentibus puls quædam, cui congruebat apte sacarum, neque hoc coquus addiderat. Quidam, qui affidebat Querino, extulerat secum e cubiculo condimentum istud, ratusque gratum illi fore, affudit inopinato in pulsem ei oblatam sacari nonnihil. Erat dies esurialis, quo die averfabatur Querinus delicias ejusmodi. Itaque cum injectum sacarum infecisset dumtaxat partem pultis, ille cochlear circumducens, quod restiterat purum, hausit paulatim, donec condimentum subsidit totum

totum fundo. Tum famulo transeunti catinum reddidit. Id omne obliquis oculis observavit comis conviva, qui prope erat, miratusque est hominis temperantiam, quam etiam nunc prædicat.

LXXII. Quod ad lectum attinet, narrabat qui cum Querino diu egit, nullo eum usum totis triginta annis, quousque, urgente senio, melius cubare iussus est. Cavebat autem diligenter, nequis reducto velo, quod ante stratum erat, intro aspiceret; latebant enim illic horrida cruciandi corporis instrumenta, flagra videlicet, quibus se se asperime verberabat, & cilicia, quorum uno, texto in zonæ modum, lumbos quotidie fere constringebat.

LXXIII. Ad hæc: factum est contemptu sui, ut cum degeret in tirocinio S. Andreæ, cimicum examina non culcitram modo, & fulcra lectuli, sed & parietes, & cubiculi loca alia occuparint: quod cum quidam animadvertisset, monuit Rectorem: isque, immisissis illuc laicis, cuncta purgari iussit: hoc tamen præstitum est, cum grave istud tormenti genus, pestemque somni perturbatricem, tolerarat jamdiu Querinus, toleraturus deinceps, si permissus sibi fuisset.

LXXIV. De reliquo, illud in Querino laudabilius est, ita ab eo compressos esse animi motus, ut ne instigati quidem aliunde tumultuarentur. Designatus Rectoris Minister in tirocinio, repuerascere coactus est, & linguam discere, quam cum Hispana dum commutarat: id vero jam seni molestum erat in primis. Cum aliquid domestici in triclinio monendi erant, schedulam monita continentem lectori tradebat. In ea minus propriis verbis siqua efferebantur, ridebant tirones scilicet, neque errata illa dissimulabant. Querinus intelligens cur riderent, ridebat & ipse, palamque profitebatur oblitum se Italici sermonis.

LXXV. Quod leve malum in majus eorundem tironum cedebat bonum, mirabantur enim in senē venerabili, & tot in Societate muneribus functo, insignem animi æquitatem, compositosque ad omnem suscepti Instituti perfectionem mores, ut spirans quædam disciplinæ religiosæ forma videretur, quod quidem

dem pluris faciendum est, quam linguæ elegantia, & verborum proprietas. Quippe illa fuit Querino præcipua semper cura, nequid contra majorum decreta, & leges peccaret: ac proinde studio litterarum vacans, studentium se regulis accomodabat: Sacerdos vero, & Magister, ea servabat, quæ pro Sacerdotibus, & Magistris sapienter perscripta erant: & demum Rector, & Provincialis nihil omittebat eorum, quæ pro recte gerendis præfecturis istis statuta fuerant. Marcellinus Silva, cujus supra meminimus, numquam aiebat a se visum Querinum, dum Granatæ navabat operam Theologiæ, violare latine loquendi regulam, quæ Scholasticorum erat. Quid ille in rebus majoris momenti faceret?

LXXVI. Omittendum hic illud non est, quod patientiam ejus commendat. Narrabat olim nescio quid coram multis: audientium quidam, cui res illa vel levis, vel non vero similis visa est, & nutu, & gestu significavit, quam nihili faceret totam illam narrationem. Displicuit modus ridiculus, & inurbanus, adstantium aliis pro reverentia debita gravi feni. Unus Querinus perstitit sedato animo, tranquilloque vultu pertulit contemni se.

LXXVII. Qui porro fuit in Querino zelus animarum? In America nusquam libentius vixit, quam inter Indos, quorum causa illuc venerat: & summo tum ille exiliit gaudio, cum ad Pampas missus est: agebatur enim non de retinendis, excolendisque Christianis jam populis, ut inter Guarianos egerat; sed de erudiendis barbaris, qui humanæ vitæ cultu simul & religione instituendi erant, incommodis, & laboribus innumerabilibus. Vivendum erat inter illos non parce modo, sed miserrime, cum nec tectum esset, quo reciperetur, nec cibus nisi vilis, quo corpus aleret, & vix vestis, qua se indueret. Cum e contrario illarum gentium ea sit indoles inter oppidi condendi initia, ut a cultore suo, utpote qui carent omnibus, omnia petant, cibaria, cultros, indumenta, secures, aratra, rastros, sementem, & cetera. Quamobrem corroganda est a piis viris istarum rerum magna vis, ut animos neophytorum novi Sacerdotes sibi concilient, possintque sensim mitius
eis

eis vitæ genus inspirare , & ad templum allicere , ubi fidei myſteria doceantur , & bonos mores (a).

LXXVIII. Omnino anxia eſt , & laborioſa ſacrorum operariorum ſors in ponendis Indorum oppidis. Atqui ſors iſta per ſe graviffima , jucundiſſima Querino erat: ideoque cum a Pampis amotus fuiſſet Collegii Bonaurenſis adminiſtrandi cauſa , abdicato magiſtratu , petiit Pampis ſuis reſtitui , eoſque voti compoſ reviſit. Etenim reddebant ipſi dulcem curam illam præſens fructus , & ſpes futuri: præſens quidem fructus ; cum tot transmitteret Coelo infantes , & lactentes , qui a ſuſcepto baptiſmo ad beatas ſedes evolabant : futuri autem ſpes ; confidebat enim adultorum animos culturam recepturos paulatim , atque *ex naturali exciſos oleaſtro contra naturam inſertum iri in bonam olivam*.

LXXIX. Neque minus Querino ſtudioſum fuit juvandi cives in urbibus Hiſpanis. Cum collegio Cordubeni præerat , etſi curæ domeſticæ vix otii quicquam darent , tamen a ſacris miniſteriis pro animarum ſalute minime abſtinuit. Concionabatur , & frequens ibat ad audiendas conſuetudinem in templum conſeſſiones. Primus Cordubæ Tucumanorum piâ illam functionem habuit , quam vocant a **BONA MORTE** , ad hanc enim procurandam recte , & ſancte vivendo , atque ex Chriſti præceptis vigilando , excitantur auditores. Id faciebat Querinus Dominiſ diebus magno populi concurſu.

LXXX. Pergebat Querini zelus ultra. Siquis impeditus erat , quominus civium institutioni vacaret , ſubibat ipſe illius vicem. Vicentius Sans , inſignis Theologiæ profeſſor , ſodalitatem adoleſcentium , ut cum litteris , quibus in Academia ſtudebant , pios mores conjungerent , maxime promoverat. Is cum ad binos propemodum meſes iſſet alio , Reſtor Querinus abſentis curam ſupplevit , quantumvis ad Sodales iſtos , quorum plurimæ erant ſacræ exercitationes , ſæpe verba facturus eſſet , eorumque conventibus præſuturus , & ad interrogata de rebus animi reſpon-

(a) De hac re agemus ſuſius in Vita Petri Joannis Andren.

responsurus. Idem certo anni tempore Divi Ignatii meditationes coeuntibus civibus in domum huic rei destinatam proponebat magno spiritus ardore, atque ingenti se se exercentium fructu, totosque dies, quibus illi in asceterio continebantur, cum eis degebat.

LXXXI. Feria autem sexta majoris hebdomadis, tribus continenter horis a meridie, tum suis, tum audientium lacrimis reddidit agonizanti Domino officium illud plenum gravitate, & sanctitate, quod Lima principe in urbe P. Alphonsus Messia, divino plane instinctu primus exhibuit, ac deinde per Americam propagatum est, & jam num in urbibus Italicis fieri coepit, editis etiam libris, qui modum explicant, quo actio illa dignissima, & debita morienti pro nobis Christo, exhibenda est.

QUERINUS IN EUROPAM DEPORTATUR ET ROMAM VENIT.

LXXXII. **U**ltimus Vitæ Querini restat actus, quo ego complector quidquid ab iusto Cordubæ Tucumanorum exilio ad extremum tempus, quo Romæ mortem obiit, continetur. Anno MDCCLXVII. quarto Idus Julias, inopinantibus nobis, occupatum est noctu a militibus collegium Cordubense. Jussis surgere, inque triclinium convenire, regia lex nobis lecta est. Res adeo tristis neminem non perculit. Prima Querini vox fuit: *justus es, Domine, & rectum judicium tuum*: neque deinde impatientis animi signum dedit ullum: & vero observabatur ejus menti oculisque innumerabilis ærumnarum series.

LXXXIII. Decem dies in triclinio, tamquam carcere, detenti, ne ad necessaria quidem naturæ permitti sumus foras egredi. Summis in angustiis, cum plures centum essemus, illic commorandum fuit. Patuit tamen tum, quam vere a vate dictum est, *levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas*: repentina enim mutatio rerum omnium minus gravis visa est, firmatis ad adversa animis.

LXXXIV.

LXXXIV. Illud unum dolebat Querino, quod neque ipsi, neque aliis sacrificare, neque sacris interesse, nec templum adire per rigidum nimis militum tribunal licebat. Per tribunal, inquam, qui nos illuc incluserat, nimis rigidum; id enim contra manifestam, testatamque Regis voluntatem erat, qui caverat diserte in monitis pro exequenda lege exilii ad minores magistratus datis, ut Jesuitæ liberaliter, urbaneque haberentur, quam in rem ne extraordinariis quidem impensis parci jubebat.

LXXXV. Ceterum post arctam illam custodiam iter tandem ingressis mitior nobis conditio (quamvis evocati milites comitarentur) fuit. Tertius decimus dies ab indicta exilii lege summum Querino gaudium attulit, litavit videlicet ille in campestri templo, stratis circum aras centum viginti novem Sociis (a). Tum præsentī Jesu obtulit in divina propitiationis hostia sacrificium cordis contriti, & humiliati, sperans a benigno Domino suppeditatum sibi iri vires ad futuros labores, eosque plurimos terra marique.

LXXXVI. Peracta jam via CCCCL. mill. pass. conscendimus navim, quæ ultra Bonasauras stabat in sinu fluminis Argentei, quem vocant *Barragan*. Hic longa nobis fuit mora, dum commeatus in navigationem, quæ trium mensium, & aliquando etiam plurimum est, imponebantur. Mense demum Octobri, superatis ostiis vasti illius amnis, commisimus nos Atlantico Oceano. Querinus, qui præsens Numen auxiliari sibi usu ipso sentiebat, sub initium aditi maris divinæ providentiæ novum argumentum habuit, ab eminente enim naufragii discrimine erepti sumus. Ingruit in nos procella sævissima, quæ biduum tenuit: sed misertus Dominus imperavit ventis, & imperium secuta est tumentium fluctuum tranquillitas.

LXXXVII. Toto illo tempore, quo navigatum est, valuit Querinus (etiam in medio zonæ torridæ æstu maximo,) & Sociis exemplo constantiæ fuit. Regius Navarchus Gabriel de Guerra, vir optimus, illius

(a) Tot erant, quia qui curabant seminarium aggregati nobis fuerant ii, Monsepratense.

illius virtutem miratus, quo minus malis, quæ plurima secum fert trajectio Oceani, frangeretur ob senium, erat enim septuaginta natus annos, adhibuit eum semper, cum senibus aliis Sacerdotibus, suæ, & primorum navis mensæ, quæ multo paratior erat, quam quæ nobis ætate minoribus instruebatur. Inter autem navigandum, cum fors illi obtigit in tanto Sacerdotum numero, sacrificavit, quo nihil ei gratius esse poterat: hauriebat enim e cœlesti cibo majus in dies robur animi.

LXXXVIII. Ineunte an. MDCCLXVIII. Gades appulimus, deductique sumus in portum S. MARIE, qui ex adverso Gadibus est. Erat ibi olim Jesuitarum hospitium, ampla domus, ubi trajecturi in Americam & navim, qua irent, & tempus eundi opperiebantur. Hac nos æde inclusi sumus. Verum cum alii atque alii Jesuitæ ex America subinde deportarentur, locus jam omnibus non erat, & ne ambulacra quidem vacabant stratis. Hac causa Querinus cum quibusdam Sociis iussus est mense Februario in coenobium PP. Sancti Francisci de Paula emigrare.

LXXXIX. Illic multo benignius actum cum eo est, quam nobiscum, qui posito ad ostium præsidio militum continebamur. Principio coenobii Præfectus egit, nequi custodes darentur, qui commissos sibi Jesuitas observarent, vadem se sistens pro omnibus. Hospitibus autem suis permisit, ut libere per domum vagarentur, inque hortum descenderent, cum velent. Et quoniam regii ministri curatoribus Jesuitarum numerabant certam nummorum summam, satis bonam, Præfectus idem noluit sibi quicquam certi assignari, professus, quidquid in hospites suos expendisset, in tabulas ex fide relaturum, ut ipsi postea rependeretur, quod erogasset. Itaque splendide ad mensam Socios habuit, & cum rationes postea reddidit, multo minus exegit in singulos, quam quantum in capita præbebatur coconimis illis, quibus procuratio ista lucrosa erat.

XC. Laxior habitatio, & liberalis victus, labe factatas Querini vires restaurarunt: longe tamen illi gratius fuit, quod & quietius spiritualibus functionibus in religiosa domo se se posset dedere, & commodius

modius quotidie sacrificare. Visa vero ejusdem gravitas, & modestia, & æquitas animi vehementer movit Coenobitas illos, utique Præfectum, qui illum magni fecit. Tertio Idus Junias conscensurus iterum navim, qua in Italiam deveheretur, venerabilibus illis patribus cum aliorum, tum suo nomine gratias egit maximas ob tot accepta beneficia; ante omnes vero eximiis grati animi, & amoris signis profecutus est Præpositum domui pro tam benigno hospitio, cuncta ei & fausta, & prospera optans, & poscens a summo bonorum remuneratore Deo.

XCI. E freto Herculeo in mare internum transvectus est Querinus prætoria navi S. Elisabethæ, bellicis tormentis, & magno propugnatorum numero instructa, ut si forte obvii venirent Afri piratæ, tutaretur classem, qua mille, & ducenti circiter Jesuitæ Americani navigabamus. Postquam autem Corsicam tenuimus, relictis ibi Hispanis Sociis inter belli, quo insula flagrabat, tumultus, prætoria Gades revertit. Tum Querinus, cui, utpote extero, alia quam nobis conditio erat, conscensa celoce trajecit in continentem Italiam; appulsusque in Spediæ portum, conducto ibi phaselo Liburnum venit, atque hinc Florentiam, Florentia autem vocatus Romam est.

XCII. Sanctam urbem ingressò illud præter alia ingenti voluptati fuit, quod coram cernere, & venerari licuerit Pontif. Max. Clementem XIII., qui condiscipulus olim ejus fuerat, quique nunc tanto post annorum intervallo venientem ex alio Orbe benignissime excepit. Ceterum Querinus habitare jussus est in tirocinio S. Andreæ, ubi religiosæ vitæ fundamenta posuerat. Quantum lætitiæ pepererint novo hospitali & locus, & commorantium ibi præsentia, dici vix potest. Brachia ille quidem senilia extendit plenus gaudio ad innocentes eos juvenes, quibus vitæ sanctissimæ exemplo futurus erat.

XCIII. Quo autem contubernalibus utilior esset, in linguæ Italiæ studium incubuit; neque erubuit id ætatis vir tironum se se judicio, & censuræ subicere, ut monerent, quidquid vel delectu verborum, vel pronuntiatione peccaret. Abierat vixdum annus, cum domus Minister designatus est: eoque sollicitior
 G fuit

fuit in fingendis alumnis illis ad leges Societatis : quam ad rem plus valuit vita ipsa expers reprehensionis , quam monita , cum nullus eorum non suspiceret hominem , qui nihil aliud sapere , & spirare videbatur quam Deum , & divina .

QUERINI RELIGIO ET ORATIONIS STUDIUM.

XCIV. **V**irtus Religionis , quæ Querini vitæ velut anima fuit , se ubicumque prodebat . In templo summa reverentia , summum semper silentium : atque ex ipso corporis habitu apparebat , quanto ille divinæ majestatis timore , & tremore corriperebatur . Ita autem frequenter se se illuc recipiebat , ut habitasse in æde sacra quodammodo dici possit . Augustior quo esset domus Dei , majoremque introeuntibus reverentiam ac pietatem inspiraret , nullis pepercit impendiis ubi ubi fuit : plurimaque aureorum millia tum Prorektor Bonisauris , tum Rector Cordubæ , vel in ipsis angustiis rei familiaris erogavit , ut sacra suppellex cresceret , aræque magnificentius ornarentur , emptis telis pretiosissimis ad Sacerdotum vestes , curatisque vasis sacris , & pluteis pro libris Missæ , aliisque ornamentis ex argento .

XCV. Magnanimus profecto hac in re Querinus erat , & siquid aptum augendo templi cultui innuerat ædituus Cordubensis , ingeniosus admodum ad ornatus novos excogitandos , annuebat ipse illico , & fieri jubebat . Nec coercebatur ardor hic urbis mœnibus . Ipso Rectore condita sunt in binis collegii prædiis bina templa pulcherrima , quæ magno erant utui colonis Hispanis eo confluentibus (cum e paræcia longe distarent) ut sacris , & catechismo interessent festis diebus . Ferebatur præterea pia Querini liberalitas in novas Indorum stationes , senserat enim per se ipse , quanta illic inopia esse soleat , ut digne staret ædes sacra . Favisse eum oppidis Vilelarum , & Mocoviorum , ex ipsis didici codicillis Sacerdotum , qui
ibi

ibi ruerunt : nec dubito , quin subvenerit etiam aliis , sed cum auctores hujus rei non habeam , nihil possum certi ponere .

XCVI. Numquam vero Querini religio magis emicabat , quam inter sacrificandum , cui divino operi plus semihora immorabatur , erantque lacrimæ indices æstus intimi . A suscepto Sacerdotio ad aram non accessit nisi expiatus Sacramento poenitentiae . Nullo autem die sacrificium omittebat , ne in desertis quidem locis , utebatur enim altari plicatili , quando inhospitalis omnino erat regio : quod si spes erat ad templum aliquod perveniendi , insistebat alacer viæ . Postquam litarat , alteri aderat Sacerdoti sacrificanti , submissis genibus sine ullo scamni fulcro : neque minus horæ dimidio in agendis gratiis cœlesti hospiti impendebat .

XCVII. Jam oratio ejus fuit ferme perpetua . Præter communem aliis matutinam horam meditandi , addebat ipse alias , unam certe noctu ante aram latentis Numinis , & tum se se ad sacram confessionem parabat . Cum Minister erat in tirocinio S. Andreae , petiit a Rectore , liceret sibi post æris pulsum , quo ire cubitum alii jubebantur , vigiliam producere . Facta venia , ascendebat ipse ad templi forulos (tribunas dicunt) unde pro orantium commodo prospectus est in altaria : atque ibi longæ , binis aliquando horis , meditationi indulgebat .

XCVIII. Æstivo tempore , cum domestici pomeridianæ quieti se se dabant , orabat ipse , idque sic explicat P. Maximilianus Caetani . „ His horis , quibus post prandium alii ad quietem , ardente cœlo , se se componebant , ipse per eam domus partem , ubi Querini cubiculum erat , deambulans , audiebam eum & gemere , & suspirare , & clamare binas circiter horas , experiebarque haud mediocri me tangi sensu pietatis , afficique reverentia in Querinum ipsum , quem noram (fuit illi a confessionibus) Dei beneficiis , & donis ornari . „ Id Romæ ; in America autem , cum depositas noctu apud eum Rectorem claves ostii repetitum ibat janitor (quod vocaretur ad ægrum aliquem Sacerdos , quem

quem ipse cum Socio designaret) plerumque orantem reperiebat.

XCIX. Meditabatur autem alternis, & ore precabatur; & preces quidem erant plurimæ. Harum cum pensum Sacerdotale præcipuum sit, illud & pie, & attente admodum reddebat, erumpente altius voce, interioris affectionis indice, quam ferebat locus. Quotidie quindecim decadas, quibus mysteria Rosarii continentur, decurrebat, addens compositam a D. Bonaventura supplicandi Beatæ Virgini formulam, qua illam sibi magis ac magis demereretur. Ad celebriores dies Christi Domini, & Deiparæ, & Divorum, quorum majori amore tenebatur, novendiales preces præmittebat. Sæpissime etiam, dum aliquid agebat, pia suspiria ejaculabatur, quibus præfens Numen salutaret, ab eoque opem posceret. Romæ, quando jam nullis Societatis ministeriis distinebatur, sic totum diem partitus fuit, ut nulla illius pars expers esset religiosi alicujus operis; alias enim spirituali lectioni vacabat, alias meditationi, aliis alias officiis pietatis: quocirca siquis eum adiret rei minus necessariæ causâ, gravis interpellator accidebat, cum esset loco movendum illi diei particulæ attributum opus, cui repetendo vix ulla reliqui temporis, rebus aliis occupati, pars vacua supererat.

PIE MORITUR.

C. **S**uppressa Societate, migrandum Querino fuit e tirocinio in domum JESU, quam attribuit Clemens XIV. P. Max. contubernio Sociorum. Itaque diversum Romæ Querino domicilium fuit, sed vita eadem, id est, devota penitus spiritualibus actionibus. Et quamvis nihil illi gravius potuit accidere, quam casus Societatis, tamen divinæ se se voluntati ea animi æquitate, atque humilitate subjecit, ut omnibus exemplo fuerit moderationis, & constantiæ. Æde in illa unicum ipsi negotium fuit ad mortem se se comparare: neque pro quibusdam commodis uti voluit senii privilegio, quod ei facile concessisset prudens ille, & pius

pius Sacerdos, qui toti domui præpositus fuit. Præter pia opera, quibus totum diem occupabat, multa de nocte ad partem templi superiorem secedebat, ibique diu, more suo, meditationi rerum coelestium insistebat.

CI. Ecce autem tibi VI. kalendas Jun. an. MDCCCLXXVI. post immolatum ad aram sacrificium apoplexia correptus est. Adhibita propere medicina mentis illi usum reddidit. Tum monitus de periculo, expiavit se se Sacramento poenitentiae, & deinde divinum viaticum accepit. Paulo post, cum nescio quid P. Philippo Timothei, qui ad res animi ei aderat, vellet dicere, destitutus iterum sensibus est, totosque dies octo dormienti similis, immotus perstitit. Qui olim in Paraguayæ focii illius fuerant, frequentes jacentem adierunt, & siquidem affari non poterant, strati circa lectum pro optimo sene orabant moesti, conversique deinde ad eos, quibus cura decumbentis erat, res gestas Querini, & præclara vitæ exempla narrabant. Cum autem jam lentius micarent venæ, inunctus est sacro oleo, tandemque III. Non. Jun. post solis occasum placidissime expiravit natus an. LXXXII., dies septem. Persolutis justis funebribus, illatus est sepulcro, quod pro Jesuitis Sacerdotibus effossum fuerat (a).

CII.

(a) Postquam Querini vitam absolveram, legi apud Cl. V. Martinum Dobrizhofsium breve illius elogium, quod reddendum hic propterea existimaui, quod sit veluti epilogus quidam eorum, quæ nos fusius diximus. Agens ille (tom. I. Histor. de Abiponibus) de oppidis ad australem partem provinciae Paraguayæ positis, meminit illorum, qui ante alios Pampas instituerunt. „ Pri-

„ mum, ait (*oppidum*) ab
„ immaculato ejus (*Virginis*
„ *Maria*) conceptu appel-
„ latum, Pampas, gentium
„ Australium colluviem,
„ habitatores accepit, ac
„ colonis Boniaeris adver-
„ sus barbarorum incurso-
„ nes præsidio fuit. Recen-
„ ti oppido moderatores
„ præerant viri religione,
„ prudentia, & excelsa ad
„ ferenda ardua animo in-
„ signes, Pater Matthias

CII. Ad extremum quædam de Querino commemorantur vel dictu, vel factu mira: sed illa ego scribenda non duxi, tum quod satis mihi explorata non sint, tum quia præstantium virorum sanctitas non vaticiniis, & miraculis, sed caritate in Deum, hominesque, atque assidua virtutum exercitatione, & innocentia vitæ continetur.

PE-

„ Strobl (*) ex Austr. prov.
 „ & P. Emmanuel Querini
 „ ex Rom., clarissimo apud
 „ Venetos genere in græca
 „ insula Zacyntho, cui il-
 „ lius pater serenissimæ Rei.
 „ publicæ nomine tum præ-
 „ fuit, natus, in Acade-
 „ mia Cordubensi philoso-
 „ phiæ magisterio, colle-
 „ giorum præcipuorum, &
 „ provinciæ totius guber-
 „ natione apud nos conde-
 „ coratus, virtutis eximie
 „ opinione apud omne ge-
 „ nus hominum conspicuus,
 „ ac dum ex America do-
 „ mum rediret cum reliquis
 „ Sociis, Clementi tertio
 „ decimo, populari suo, &
 „ quondam condiscipulo,
 „ percharus Romæ, ubi pau-
 „ cos ante annos vivere de-
 „ fuit. Ambo patres apud
 „ Guaranos diu versati e-
 „ gregia Indorum animos
 „ tractandi dexteritate va-
 „ lebant, qua impetratum
 „ est, ut Pamparum non

„ pauci Christianis sacris
 „ denique initiarentur. „
 „ Hæc ille an. 1784., quo
 „ Viennæ Austriæ opus suum
 „ edidit. Ego autem, ut quæ
 „ de genere Querini dicuntur,
 „ ab ipso fonte repeterem, Ve-
 „ netias scripsi, unde doceret,
 „ quæ humile illius silentium
 „ studiose texit. Verum dili-
 „ gentiæ meæ fructum alium
 „ non retuli, quam quod e
 „ Græcis pauca admodum re-
 „ nunciata fuerint: Zacynthi
 „ videlicet Querini familiam
 „ nobilem esse, eamque ab Se-
 „ natu Veneto, cum grassan-
 „ te peste plura in publicum
 „ pro civium bono erogasset,
 „ ornatam COMITIS titulo:
 „ Comitem vero Petrum Que-
 „ rino (sic cognomen hoc il-
 „ lic efferunt) Venetiis bien-
 „ nio pro patria functum esse
 „ legatione suis impendiis.
 „ Demum ex ea familia Jesui-
 „ tam Romæ mortuum fuisse.
 „ Nihil præter id rescire potui.

(*) Sic cognomen istud scribunt Germani: sed Hispani pronunciabant *Estrobel*.

PETRUS JOANNES ANDREU

SACERDOS.

I. **P**ALMA Regum olim sedes, atque etiamnum insularum BALEARIUM caput, cum præcipuis continentis Hispaniæ urbibus merito conferri potest vel tectorum frequentia, vel præstanti mole templi magnificentissimi. Coelum ei salubre, ac ferax solum; cives & ad pacis, & ad belli, & ad maris munia sollertes; ordo autem equestris in primis clarus, ex eoque haud semel adlectus est Melitenium procerum Magnus Magister. Neque alia commorare opus est, ut constet, quam illustri patria, & quanto majorum splendore fuerit PETRUS JOANNES ANDREU, cujus domus e primariis est illic, vel (ut verius dicam) foret, nisi ille, relictis omnibus, spem posteritatis, & stirpem extinxisset suam, unoque secum tumultu sepelisset avitum decus, in ultimum profectus Occidentem, ut eductos e silvis Indos DEI cognitione, & humanis artibus imbueret, quæ quidem maxima laus est illius vitæ; & jure ob præclara gesta eum Cl. V. Martinus Dobrizhoffius adnumerat (a) primis provinciæ Paraguayæ heroibus V. P. Rocho Gonzalio, Alphonso Barcenæ, Didaco Boroæ, & reliquis, qui plurima egerunt, & passi sunt pro barbaris instituendis.

PETRI JOANNIS ADOLESCENTIA ET INGRESSUS IN SOCIETATEM.

II. **N**atum extremo Novembri an. MDCXCVII. educarunt parentes non modo ut dignum erat nobilitate

(a) *Histor. de Abiponibus &c.* Edit. Vien. Austriæ an. 1784. tom. 3. pag. 415.

tate sanguinis, sed etiam ut decebat familiam, quam Sanctorum cives appellabant. Matthæus natu major frater, patrimonii heres, aliorum (ut mos est illustrioribus in Hispania domibus) curam suscepit. Sorores erant binæ, quarum altera singulari vitæ pietate domi se se coelebs continuit: altera nomine Maria Catharina, duodecimo ætatis anno, in Capuccinarum parthenion secessit, cui parthenio maxima sanctitatis & prudentiæ laude totos quattuor & viginti continenter annos præfuit: de qua illud inter ceteras virtutis eximie exercitationes memoriæ proditum est, ab ipso matutini Officii tempore, quod media ibi nocte redditur, in odæo orantem quotidie perstitisse (quamdiu id per valetudinem ei licuit) usque ad horam diei octavam, qua hora Sacrum Missæ fiebat. Illius deinde vita ad sacrarum Virginum exemplum atque incitamentum scripta est.

III. Petrus Joannes aliam institit viam, qua sibi urbanos honores pararet, augeretque, aut saltem conservaret, decus suorum pristinum. In studia litterarum incubuit, atque ut valebat ingenio, primarum artium posito fundamento, Sacræ Theologiæ, atque juris utriusque lauream, & præmia meruit in Palmenfi Academia. Neque virtutis ille minus, quam doctrinæ amans, compositis moribus præluxit nobilibus adolescentibus, quorum sic familiaritate utebatur, ut nihil in amicitia honestum non esset. Delectabatur, vacuis ab studio & negotio horis, aucupio & venatione, qua nulla est dignior, laudabiliorque animi remissio in generoso juvene, si modum teneat. Certo item anni tempore, inita cum æqualibus societate, fictas actiones, quas haud pudor abhorreret, in primorum virorum æde aliqua reddebat, admissis tantum probis spectatoribus, neque assumpta ulla ad agendum femina. Quæ si cautio adhiberetur in spectaculis, exercitatio ista in privatis tectis utilis esset adolescentibus & ad pronunciationem recte addiscendam, & ad decoros gestus, sene aliquo experto, & gravi rem omnem moderante, nequid lascivi sit.

IV. His rebus ad annum jam sextum & tricesimum devenerat Petrus Joannes, pendens animi, utrum præferret vitæ genus, sacrum an profanum.

Incli-

Inclinabat ille ad Sacerdotium; sed cum Matthæus frater prolem e matrimonio non sustulisset, nec sublaturus esse videretur, id reliquum erat, ut pro fervanda familia, aliter interitura, ipse uxorem duceret, quo in paterna domo & stirps, & opes remanerent. Ancipiti hac distractus cura cum viveret, contigit ut domum adiret amici nobilis. Is vel quod abesset, vel quod re intus aliqua distineretur, cum sui copiam illico non fecisset, Petrus Joannes, moræ & otii impatiens, visum forte super mensa librum in manum accipit, evolvitque. Liber erat bonus, atque ex genere eorum, quos in nobilium penetralibus frequentiores esse oporteret, quam sunt. Dum legit attente, incidit in exemplum, quo honestus adolescens Divi Philippi Nerii opera multo evasit melior, quam fuerat. Studebat Romæ civili juri optimæ spei juvenis Franciscus Zazzara. Vocatus hic quondam a Philippo, ut coram venit, præ reverentia sancti viri accidit ad ejus genua. Allevat jacentem Divus summa comitate, ac singularis benevolentia signis acceptum affari sic cœpit. O te beatum Zazzara! Legum disciplinæ vacas, & propediem docti hominis clarus insignibus, atque a patrocinio causarum opibus auctus, domum quoque & familiam augebis: deinde vero clientelis potens in principum civitatis collegium cooptabere. O te beatum Zazzara! Mox alios aliosque honorum gradus addidit, & dignitatum titulos, quos Romæ ingeniosus adolescens & industrius sperare potest, & quidem Zazzara eos jam spe præceperat. Ad singula autem exclamationem illam suam adjiciebat Philippus: O te beatum! o te beatum! Ingenuus adolescens ratus est rem serio agi, atque ea vaticinando, ut sæpe alias, dici ab optimo patre. Verum is apprehensum denique adolescentis caput sinui suo leniter admovit, insusuravitque in aurem: *ET POSTEA?* Interrogationem hanc ita profunde in Zazzaræ animo infixit Nerius, ut ille domum regressus revolvere aliud mente non posset: secumque ita ratiocinari cœpit: operam studiis do, ut crescam: *ET POSTEA?* Gradus adipiscar summos: *ET POSTEA?* Quid multa? in hanc Zazzara cogitationem adeo demersus est, ut demum quasi

ab

ab alto somno experrectus, speratis opibus, & rebus mortalibus renunciare decreverit, ac se se totum Deo dedere. Nec mora: adito rursus Philippo, in ejus contubernium admitti supplex petiit, in eoque propositi tenax singulari sanctitatis opinione vixit, & mortem obiit (a). Hæc sunt Christianæ philosophiæ, & illius Spiritus, qui ubi vult spirat, miracula, numquam profanorum Philosophorum arte, & præceptis edenda.

V. Ea cum legisset Petrus Joannes pares Zazzaræ sensus induit. Pendeo, ajebat, incertus animi, arisne me dedam, an urbi? Labitur interea ætas: **ET POSTEA?** Frater sine liberis est: secundus ego heres avitis fruar bonis, & fungar patriæ honoribus: **ET POSTEA?** Quo lætior mihi obvenerit fortuna, eo ne graviora stringent pericula, & impedimenta virtutum. At enim nisi domum legitimis fulciam nuptiis, ruet illa, & stirps extinguetur nostra. Satius est stirpem extinguere, quam meliora suadentem Deum non sequi. Ah! disce tandem, quid illud divini Magistri sit: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Hæc diu multumque meditatus, coepit severius vitæ genus ducere, rebusque antepone omnibus curam animi, & rarius apparere coetibus nobilium, a quibus ob festivum ingenium avide expetebatur; frequentius autem templa adire, & studio vacare rerum cœlestium. Ad extremum statuit, contempta spe omni, Societatem JESU petere, ubi suæ aliorumque salutis consulere: & quo longius *de terra sua, & de cognatione sua egrederetur*, nomen dedit in provinciam Paraguaycam, quantumvis eum nonnulli in Europa retinere conati sint, propositis opimis Sacerdotiis, quæ eum, si sacris initiari vellet, certo manebant. Mater tamen extingui genus prospiceret (ut re ipsa extinctum est) & nullam in posterum revisendi filii potestatem fore, tamen, ut pia erat, annuit veniam

(a) Vita S. Philip. Ner. Congregat. Orat. lib. II. c. a P. Petro Jacobo Bacci e 15. n. 15. pag. 150.

niam poscenti, maxime cum a Deo esse consilium istud affirmaret Maria Catharina e suo illo Capuccinarum secessu.

ADMITTITUR IN SOCIETATEM ET NAVIGAT IN AMERICAM.

VI. **S**cribebat eo tempore supplementum Sociorum in Paraguayam Antonius Machonius: cum hoc per litteras ubi de admissione transegit Petrus Joannes, Hispalin venit, atque in tirocinio S. Ludovici vestem Societatis induit mense Februario an. MDCCXXXIII. Positis illic aliquot mensibus, missus est Gades, instabat enim tempus navigationis. Solvit autem in Americam cum eodem Machonio, Sociisque, quos is legerat, medio Decembri. Transmisso Oceano appulerunt Bonasauras VIII. kal. April. an. MDCCXXXIV. qui dies sacer est salutariæ ab Angelo DEI matri MARIÆ. Post captam ea in urbe quietem, resectasque vires ab obitis in mari ærumnis, quæ semper maximæ sunt, iussus est Petrus Joannes ire Cordubam Tucumanorum, ut absolveret tirocinium, quo ita tandem defunctus est, ut dignum erat matura ejus ætate, & vera vocatione. Atque ille quidem probavit se se maxime præfectis provinciæ, carusque in primis fuit Machonio ipsi viro gravi, qui jam inde ab initio animadverterat in Petro Joanne operosum animum, & factum ad ardua quæque.

VII. Emisissis, biennio expleto e more Societatis, religiosi votis, rediit Bonasauras, ut sacris ordinibus initiaretur, Corduba enim longe aberat pro lustranda latissima dioecesi Il. D. Josephus Cevallos Antistes. Jam Sacerdos fuit ille procurator novæ Bonaurensis stationis Jesuitarum, cui a Bethleemo nomen erat. Omittendum hic non est quod subeundi munus istud procuratorium accidisse illi dicitur. Offendit tristem Rectorem domus per se non divitis; postridie enim a Consulibus urbis ferenda erat sententia de gravi summa, quam collegium solveret. Agitata res fuerat in judicio. Petrus Joannes ostendi sibi rogavit argumenta, & acta causæ. Ea nocte to-

tus

tus in legendo fuit, atque ut legum peritus erat, in caput ab adversario propositum incidit, cui stari e jure non poterat. Ergo codicillum ille scribit secundum fori formulam, qui mane Consulibus exhiberetur, ut nodum eum pro rei æquitate dirimerent. Judices nihil tale cogitarant, & objecta fatio erat talis, ut satius duxerint jure dicundo superfedere, nec quicquam in Rectorem decernere. Ita collegium absolutum est (a). Ceterum Petrus Joannes malebat in instituendis Indis operam suam locare, quam in frequentibus agere urbibus Hispanorum: quapropter an. MDCCXXXVII. designatus est ad Lulium neophytorum oppidum.

ADDICITUR MINISTERIO INDORUM LULIUM.

VIII. **D**Urior in provincia fors nulla tum erat, nec gravius negotium ministerio isto. Id ut melius constet, præfanda nobis quædam sunt. Prima e Chacensibus gens, quæ sub initium vergentis sæculi se se Hispanis dedit certis conditionibus, fuerunt Lules. Hi quidem principio detectæ Tucumanix in patronorum, quos Commendatarios vocant, clientelam concesserant: sed tantum eos cepit odium servitii, cui factum nomen personalis, ut se se in loca Chaci Hispanis inaccessa clam proripuerint. Quid, illis fieret ignoratum penitus est, donec a turma Jacobopolitarum, qui armati in Chacum penetrarant, deprehensi sunt, blandisque verbis invitati ad pacem, quam cum Hispanis denuo sanxerunt opera optimi Prætoris Tucumanici Stephani de Urizar Cantabri, qui, Fabii cunctatoris instar, turbatissimæ tum provincix,

(a) Acciderat quiddam Marchionatu suorum agebatur, usus ille e consilio Petri Joannis provocatione, vicit adversarium.
huic rei simile olim Palmæ. Nam cum familia nobilissima Francisci Dameto bis causa cecidisset, qua de

vinciæ, periclitantique propter frequentes barbarorum incurſiones, conſilio, manu, vigilantia, & armis tranquillitatem reſtituit.

IX. Actum ſimul cum ſœdere de Religione, haud invitis ipſis Lulibus, proſitentibus ſponte ſua viſam ſibi Crucem ſublime ſplendentem ibi, ubi la-tuerant. Primus illis datus eſt ſacer miniſter Antonius Machonius, quem paulo ante diximus advexiſſe ſecum in Americam Petrum Joannem. Erat annus MDCCXI. Vir acris & fervidi ingenii linguam Lulium, facilem per ſe & ſimplicem, brevi didicit, inque artem redegit, quam in lucem deinde edidit (a), eſſi primum auctorem (ut ſit) nonnulla fugerunt, quæ illius ſucceſſores docuit tempus, & longius ſtudium. Verum incredibile dictu eſt, quantum Machonius inter Lules laborarit, & paſſus ſit. Oppidum poſitum eſt prope præſidium Hiſpanorum in VALLE BONA (ſic vocant) appellatumque a S. Stephano. Inde vero juſtas ob cauſas an. MDCCXIV. translatum eſt ad ſedem aliam, quam Urizar Prætor attribuit Lulibus, *Miraſtores* nomine, quo loco nullus in ea regione commodior eſt.

X. Iſthic Machonius ædem ſacram condidit, & caſas Indorum, ipſis adnitentibus, quos paulatim laboris patientes fecit, adeo ut cultis agris ſibi jam victum quærerent, quem antea liberalis Prætor benigne illis elargitus fuerat. Ædificium vero ſpirituale (quæ prima cura) creſcebat etiam in dies; erat enim Machonius in tradendo catechiſmo, fingendiſque clientium ſuorum moribus, aſſiduus. Novem illic annos poſuit, donec ad præcipua munia provinciæ, cui deinde toti præfuit, evocatus Cordubam eſt. Ei in Lulium cultura ſucceſſit Joachimus Yegros, qui parta diligenter retinuit ad an. uſque MDCCXXVIII, quo tempore (mortuo jam Prætor Urizare) Chacenses

(a) Edidit Machonius, *neum*, id eſt de præſtandis præter *Artem Lulicam*, *Inſtitutiones Superiorum*; *viſas ſeptem operariorum Paraguayeorum*; *Diem Virgi-* *neum*, id eſt de præſtandis Virgini obſequiis die Sab-bato; *Vestibulum eloquentiæ*. Obijt plenus dierum Cordubæ Tucumanorum an. 1753.

censes barbari facto impetu oppidum everterunt, ac vix vivus Joachimus evasit. Lules autem in silvas, unde olim venerant, malis attriti refugerunt, præter paucos, quos a metu confirmatos posuit Joachimus ipse primum in *Rosario* (loci nomen est) post in *Chucha*, ut dicunt incolæ, qui terræ tractus distat XXXV. leucis ab urbe S. Michaelis. At barbari allecti præda, successuque insolentes, prædia Hispanorum vastare pergebant occisis armentariis, atque armento abacto. Hac causa Joachimus infelices clientes admovit propius urbem S. Michaelis, abdiditque in fundum Jesuitarum. Ibi benigne acceptos domus Tucumanicæ Rector Lucas Zavala fovit, jussitque miseræ genti dividi in singulas hebdomadas certum e boum armento numerum capitum in alimenta.

XI. Respiratum illic aliquamdiu est. Joachimus autem cum audisset aliquot familias Lulium partim in *Condo*, partim in loco, qui dicitur *Palomar*, confedis, Socium misit Bonaventuram Castellium, qui eos secum educeret. Neque irritum iter fuit. Degebat ad *Palomar* Indus Camal. Huic filius erat sexennis, æger, qui pridie quam Castellius adveniret, denunciavit patri velle se Christianum fieri, propterea quod vidisset noctu Sacerdotem quemdam id sibi suadentem. Nondum illuc venturi sacri operarii fama, aut nuncius penetrarat. Postridie advenit Castellius, quo viso, puer rursus ad patrem: en tibi, hic ille est, quem vidi. Castellius volentem baptizavit: & jam Dei filius manus composuit in formam Crucis, quam crebro osculabatur. Obiit paulo post. Castellius retinentem usque illum Crucis figuram terræ, ritu Christiano, mandavit. Ea res patrem Camal sic movit, ut illico Castellium secutus sit in oppidum, ubi pie vixit, & præ aliis, qui tum etiam egressi illinc sunt, utilis gentilibus suis fuit.

XII. Agebat altiores radices in dies apud Lules fides, quam miris modis confirmabat Deus. Castellius idem foetum recens natum, qui jam jam expiraturus videbatur, propere in matris domo sacris undis abluit. Absoluto baptismo moribundus ille corporis salutem simul cum animæ gratia divinitus hausit. Alias cum ingens locustarum examen in hortum vicinum

num irrupisset, linteatus Castellius Ecclesiæ precibus abutum imperavit. Constitit sacrae comminationi vis sua. Illæ longe alio avolarunt, relicto horto, quem, ut solent, funditus corrosissent. Hæc autem valebant plurimum, ut sacros ritus, & Romanas carimonias revererentur Indi.

XIII. Talis erat Lulium status, cum eo venit Petrus Joannes. Discedendum autem illinc fuerat Joachimo Yegros, jussu pro Rectore præesse collegio S. Jacobi. Idcirco tota neophytorum cura reciderat in Castellium, cui datus est collega Petrus Joannes. Hunc & gaudium ingens simul & vehemens cepit dolor, ubi illuc pedem intulit. Gaudēbat se jam inter Indos, quod maxime optarat, versari: doluit vero, cum tam exiguum eorum repererit gregem, qui paucis familiis constabat. Ergo illud ante alia in animum induxit, ut, nactus linguæ usum, undique numerum clientium augeret. Audiit interea procul inde aliquot dierum itinere commorari Omoampas, docili & miti gentem ingenio. Hos statuit qua posset cumque ratione oppidulo aggregare.

OMOAMPAS INDOS QUÆRIT.

XIV. **C**onsilium approbavit Antonius Machonius, qui jam tum universæ provinciæ moderabatur. Itaque profectus ille an. MDCCXXXIX. Chæum versus sexto die incidit inopinato in quasdam familias Yoconoamparum, qui invitati, ut ad oppidum migrarent, spei bonæ eum impleverunt. Hic quidam e comitatu cum incaute imprudenterque interrogasset puellam nubilem, an filios haberet, illa indignabunda respondit: dixi jam tibi antea me solutam viro: filios autem ante matrimonium suscipere, nefas: quod argumento est, quam lumen naturæ insitum homini de honestate vitæ vel barbaros ipsos admoneat (a).

XV.

(a) Non possum non hic servavit, naturalis dumta-
meminisse verecundæ pieta- xat ductu luminis, adole-
tis, qua sororem suam ob- scens Guaranius. In silvis

XV. Tridui inde via ad Omoampas ventum est. Visis illi exteris hominibus, processere obviam armati. Sed cum propius facti virum sibi pridem cognitum probatumque, inter comites Petri Joannis con-

Tarumensibus ultra flumen, cui *Empalado* nomen est, reperit Martinus Dobrizhofsus, Socius Paraguaycus adhuc superstes; quærendorum barbarorum sacro tum intentus ministerio, tugoriculum solitarium, ubi agebat anus quædam cum filio, viginti jam nato annos, & filia, quæ quinquennio tantum minor erat fratre. Interrogata anus, essentne Indi aliqui circum? respondit, nullos omnino, ex quo pestis pustularum (variolas vocant medici) omnes late pagos depopulata fuerat, ne marito quidem relicto, neque ullo alio indigenarum, præter suum illum filium, & filiam. Id verum esse deinde compertum est. Itaque vivebat familia illa, perinde ac si nulli jam hominum reliqui essent. Adolefcens desiderio naturæ in remotas silvas idemtidem penetrarat, ut uxorem sibi quæreret: sed frustra. Dejectus jam spe omni, tamen sororem suam nubilem attingit numquam, nedum de ea ducenda cogitavit. Miræ huic continentiar ceteri respondebant mores, simplices,

innocentesque. Victum e silva petebant, & vitam tolerabant, ut poterant. Hortante autem Martino, & necessaria ad iter suppeditante, migravit anus cum filio filiaque in oppidum S. Joachimi Tarumensis. Ibi fidei mysteria edocti, baptizati sunt, nec diu post obita morte, in Cælum, ut fas est credere, evolarunt. Rem omnem dignissimam lectu narrat sigillatim Martinus ipse (tom. I. Histor. Abipon. a pag. 97. ad pag. 105.) Ecce hic tibi, quam Deus per naturæ lumen reverentiam in consanguineos inspirat etiam barbaris. At, dicet aliquis, Ingæ in Peruvio sorores ducebant. Scio: sed incestas illas nuptias suadebat effrons ambitio magis magisque firmandi regni intra familiæ capita. Ambitionem autem neque Deum, neque naturæ lumen sæpe revereri, quantumvis pugnet conscientia, monstrosus nos exemplis historia veterum docet. Aliis in rebus laudabiles Ingæ sunt: in hac non sunt,

conspicati fuissent, positis armis, benigne comiterque adventantes exceperunt. Petrus Joannes explorata illorum voluntate ingentem Crucem erigit, quæ foret aditi Chaci signum, & trophæum. Posito mox ad illius pedem altari plicatili sacrificavit, silentibus, & attonitis rei novitate barbaris. Actum deinde toto die de bonis corporis, & animi, quæ, si quidem in oppidum concederent, ipsos manebant. Responsum ab illis præcise est: non se Christianorum sacra recusare; propius tamen Hispanorum, quos timebant, urbes non accessuros: neque aliud ab eis, ut ut multa dixerit, egeritque Petrus Joannes, exprimi potuit: permissum dumtaxat est communi consilio, ut bini in oppidum irent probandi causa. Antequam remearet Petrus Joannes, indicarunt Omoampæ, paucis illinc leucis Lulium turmam stativa habere. Ille lætus nuncio advolat eo alacer: sed temulentos pæne omnes, cantantesque reperit. Invitat nihilo minus ad oppidum suorum consanguineorum. Ibimus, inquit, cum huc iterum nostri causa redieris: atque id quidem satis urbane, prout vix sui compotes erant.

XVI. His rebus factum est, ut expeditio illa magnorum ferax laborum fuerit, optati fructus non fuerit. Tamen crevit Petro Joanni desiderium Omoamparum Christo adjungendorum; quippe tales re ipsa expertus est, quales esse audierat, mites scilicet ac bonæ frugis. Duo reddam hic probæ eorum indolis argumenta. Caciuius gentis nomine Yanatacpa virili erat ætate, & coelebs. Cur non duceret uxorem, hanc afferebat causam probabilem. Sunt mihi pater senex, & binæ sorores: hos alere necesse est: quod si conjux accesserit, ex eaque nova familia, tot simul honeste nutriendis curandisque impar ero: neque enim regio hæc nostra nimium abundat. Atque istud quidem ad pietatem pertinet; ad fidelitatem vero & temperantiam hoc. Dictum a viatore est Petro Joanni, priusquam illuc perveniret, Omoampas summa (ut est tractus ille Chaci in primis aridus) laborare aquæ inopia. Ille gravem se sentiens hospitem futurum, si ex maligno puteo & sibi, & jumentis, quibus ibat, potus peteretur, in media

H

via,

via, & sine custode omnia reliquit. Sarcinas ibi depositas offenderunt casu Omoampæ quidam vagi, qui eas rati Hispanorum esse, nihil omnino attigere, cum prohiberet nemo: & vero onera jumentorum erant earum rerum, quibus illi maxime indigent, ciborum videlicet, & vestium, quas ad deliniendos Indorum animos Petrus Joannes secum advexerat. Neque moderatio hæc Omoamparum nova tum fuit, sed viget apud eos virtus ista alieno abstinendi (a). Eant nunc vani, ac impii ætatis nostræ Philosophi, & dicant nulla inter Americanos Indos apparere pietatis, & justitiæ vestigia. Non illis semina æqui rectiquæ desunt; & mens, & ratio; sed cultura: altiora nec norunt, nec curant, filvis (ubi nati, educatique sunt) deicientibus humi ipsorum animos: haud secus quam in Europa tot olim sæculis ante inventas paulatim artes populi feris, quam hominibus similiores fuerunt.

XVII. Regresso in oppidum Petro Joanni Machonius, præfectus provinciæ, collegam dedit (abeunte • Lulibus primum Tarixam, dein in Chiquitos Bonaventura Castellio) an. MDCCXL. Petrum Antonium Artigues, virum strenuum, atque eximie virtutis. Ubi is edoctus linguam curare per se neophytos potuit, Petrus Joannes ad Omoampas revertitur. Præmiserat ex binis illis exploratoribus, quos supra diximus datos ad experiundum, alterum (alter enim e via ad suos refugerat) cum donis ad Caciquium. Secutus ipse invenit Omoampas flentes ululantesque ob mortem Caciquii senis, cui tum maxime parentabant. Ubi commodum fuit, egit cum filio Yanatacpa, parentis ob funus moestissimo, de contrahendis in oppidum clientibus. Ille (ut olim) respondit, nullam fore moram, si Petrus Joannes illic inter suos stationem figeret: neque aliud ab eo arte ulla extorqueri

(a) Idem narrat de Indis Californicis Cl. V. Fran. Xav. Clavigerus (tom. I. histor. Califor. pag. 114.) Numquam, ait, furantur inter se, neque altercantur, qui ejusdem sunt tribus. Odium, & iram reservant in hostes.

queri potuit. Doluit Petrus Joannes dura denuncia-
tione. Memor autem eorum, qui ipsum secuturos se
se quondam sponponderant, si rediret, misit illuc Ora-
tores e gente Lulica, qui erant in comitatu. Barbari
(mirum dictu) quantumvis temulenti id polliciti
fuerant, steterunt dictis, & cum Petro Joanne ad op-
pidum profecti sunt. Erant inter illos senes aliqui,
qui benigne licet liberaliterque habiti, post primos
hospitii dies desiderio nativi soli (adeo patria sedes
vel si miserrima homines movet) tabescere coepe-
runt, appositosque cibos lacrimis irrigabant, neque
attingebant. Prohibiti saepe a fuga, quam molie-
bantur, capta velum occasione, clam abiire: omnes-
que deinceps vel morbo, vel ab hostibus brevi subla-
ti sunt, & (quod dolendum magis) baptismi exper-
tes, salvis interea adolescentibus, quorum major in
oppido constantia fuit.

XVIII. Vivebat in pectore Petri Joannis cura
fervens Omoamparum, quos cum ab statione sua ab-
strahere non posset, id consilii iniit, ut sedem illic
poneret aliquo tempore, quousque sibi eos sensim de-
vinciret, & ad migrandum propelleret. Tertio igi-
tur eos invisit, ac communicata cum primoribus viae
causa, latum sevit campum, pollicitus reditum in
mensē, quo jam maturuisset frumentum illud Indi-
cum (*Maiz* dicunt) ad alendam turbam. Sed ecce
tibi post Petri Joannis discessum Tobæ barbari, qui
abusi equis, quorum eis copia, per Chacum volita-
bant, nascentia semina corruperunt, occisis septem
Omoampis: reliqui autem in abstrusiores silvas metu
grassatorum induerunt se se. Monitus de hac re Pe-
trus Joannes, ratusque in Omoamparum bonum con-
servatam sibi fuisse vitam divinitus, denuo ad eos
penetrat, plenus spe, strage a Tobis territos in Lu-
lium coloniam, tamquam ad asylum, ultro concessu-
ros. At nihilo illi secius terrori mortis, & precibus,
& donis natale solum (ineptum ceteroqui oppido
condendo) prætulērunt.

XIX. Post tot conatus abjecerat jam ferme cogi-
tationem omnem de Omoampis Petrus Joannes.
Per id tempus Omoampæ ipsi, nescio qua causa, in-
ter se rixati sunt. Pars debilior cedens potentiori

H 2

ad

ad Ifistinesios Indos, magno illinc intervalla positos, fugit. Ad tribum porro illam Petrus Joannes, cum per se ipse ire non poterat, mittere solitus erat fidum aliquem internuncium ex iis, quos ejusdem stirpis secum habebat. Fuit autem cum illuc missus præter Ifistinesios aliquot, quos petebat, Omoampam unum Covil nomine ad oppidum deduxerit. Advena is admiratus quam omnia ibi abundarent, & quam rectus constaret ordo, petita a Petro Joanne venia, ad suos regressus est, narrandoque quæ viderat, dynastam impulit, ut secum ad oppidum veniret. Dynasta comiter benigneque exceptus, expertusque vera esse, quæ Covil prædicarat, clientes suos, propositis vitæ civilis commodis, ad iter movit, stititque volentes Petro Joanni: ita quod per se is tot curis, impensisque non fecerat, effecit Deus per Indum ignobilem, *ut non gloriatur, omnis caro in conspectu Domini*. Acciderunt interea nonnulla, quorum explicatio nos longius abduceret: satis dixisse sit, Omoampas Lulium genti tandem aggregatos, & docilitate, & rerum tractandarum dexteritate Lulibus ipsis superiores fuisse, neque eisdem inferiores studio religionis, & probatis moribus: atque ex eis demum, positus seorsim, novum oppidum constitit ad oram fluminis Salsi titulo B. Virginis *Boni Consilii*. Ceterum has in Omoampas expeditiones, ac lentum ex eis fructum, eo minutatim retulimus, ut gens una exemplo sit, quantum in aliis evocandis laborarit Petrus Joannes.

MODUS QUO PETRUS JOANNES INDOS EVOCABAT E SILVIS.

XX. **M**OS barbaros adeundi hic illi erat. Ferebat secum aliquot jumenta onusta cibis, & vestibus, & ferramentis. Cum jam pagum aliquem Indorum accesserat propius, sedem ponebat propter aquam ex imbri collectam in scobre aliqua, ut esset confluentibus eo Indis unde biberent, cum (ut dictum est) loca illa Chaci arida sint admodum, nec fons ullus, & ne nomen quidem fontis, quem numquam regione

gione in sua viderant, fuit Iſtineſiis neophytis, utis olim ſemper aqua pluſiali, eaque modica (a). Poſita jam ſtatione, vulgabatur illico ab iis, qui forte viderant, adeſſe Sacerdotem: quo nuncio, quotquot erant circum Indi ad eum accurrebant, viri, feminæque, pueri, & puellæ. Nec vero conveniebant, ut nomen & manus darent, conſentirentque deducendæ coloniæ, quam cauſam eſſe legationis illius ſat norant, ſed ut munuſcula acciperent, quæ ſolitus erat iſtis dividere Petrus Joannes, tolām goſſipinam, acus, forſices, cultros, cuneos e ferro, ſiccatam ſole carnem, atque alia id genus. Hæc non approbarit fortaſſe moroſus aliquis, objicietque: non igitur divinæ gratiæ, cœleſtisque vocationis opus illud erat, quo ad fidem Indi alliciebantur, ſed naturæ & cupidinis. Eſto: lucrum barbari reſpectabant: occaſio tamen id erat, ut aures dein faciles rebus fidei darent: veluti Chananzæ illa ob medicinam filiæ Chriſtum adiit, eadēque poſt ſectatrix veritatis, atque eximia Domini cultrix facta eſt. Quin & Chriſtus ipſe in deſerto haud ſemel turbas aluit, ſaturisque illud deinde exprobravit: *quæritis me, non quia vidiftis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis*. Verum ab alimento corporis ad alimentum animæ, Evangeliiſque ſanctitatem avocabat: *operamini, ajebat, non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam*.

XXI. Ergo delinitos donis Indos admonebat Petrus Joannes de bonis temporariis, æternisque, quæ iſtis parata erant, ſi, infelici ſolo relicto, in uberius aliud, & beatius ſecum contenderent. Averſabantur plerique dicentem ob amorem ſedis avitæ, & ſummi erat operis quemquam inde avellere: tamen, adjuvan-

te

(a) Tanta penuria illic aquæ eſt, ut matres, cum ſiti æſtuant pueri, eos in umbroſum aliquem terræ hiatum deportent, quo minus ſitiant, nec potum, qui vix dari poteſt, petant. Con-

trarius huic mos eſt Indis Californicis ad gradum circiter 31. cum enim proles friget, eam abdunt collo tenus in calefactam abs ſe prius arenam. (Hiſtor. Calif. tom. 1. pag. 134.)

te Deo , numquam ferme sine aliquo suscepti itineris fructu ille in oppidum revertebatur . Duodenis alias , alias quinisdenis , alias tricenis , alias quadragenis , alias alio numero , atque omnium maximo quondam , nonagenis barbaris , ut se sequerentur persuasit . Quæ messis per se exigua haud exiguis ei stabat impendiis , laboribusque , quos unice Dei gloria , & pretium summum vel unius animæ , divino redemptæ sanguine , dulces redderet .

XXII. Maximum omnium incommodum erat aquæ inopia . Parva illa fossa receptrix pluvialis aquæ , cloaca potius dicenda erat , quam lacus . Ibi Indi lavabant se se , eoque accurrebant jumenta sitibunda , ac proinde fæcibus omnia & cœno plena graviter olebant . Atqui necesse erat hinc potum petere , atque animum , & labra affirmare contra nauseam . Bibebat limosam aquam Petrus Joannes compressis manu naribus ob foetorem , perinde ac solet æger haurire ingratam potionem , & pharmacum , quod medicus præscripsit . Ad hæc , in reditu opus erat accomodare se se tardis Indorum passibus , qui lentissime , reculis suis onusti , viam conficiunt . Ipse ibat eques , atque ut sequentes matres aliqua laboris parte levaret , puerulos gestabat applicitos sinui , usu manuum relicto pro regendis habenis .

XXIII. In his autem excursionibus evenere interdum quædam relatu digna , utpote quæ *benignitatem Dei* in alios , in alios *iram & indignationem* ostendunt . Cum stetisset olim Petrus Joannes ad puteum (sic ibi vocant receptacula aquæ pluvialis) *Amovat* nomine , senex ethnicus , Una gentilibus suis dictus , ad eum venit , rogavitque , ut iret baptismi causa ad filiam ægotantem . Distabat Indi hujus mapale quindecim circiter passuum millibus . Ibi Petrus Joannes puellulam invenit paralyticam , & macie torridam : ideoque statim sacro abluit fonte . Tum lætus Una genitor , vel moriatur , inquit , nunc , licet : jam animæ ejus satis consultum est . Bene ais , subjicit Petrus Joannes : at tu , si ad animæ salutem putas necessarium esse baptismum , cur me ad oppidum non sequeris , ut mysteria fidei docearis , & baptizeris ? Non persuasit tum quidem homini : sed cum deinde
ad

ad *Vallembonam* positum est oppidum *Isistinesiorum*, cujus gentis ipse erat, eo venit cum familia, & puella illa paralytica, quæ plures post baptismum, tametsi incommoda semper valetudine, annos vixit, & vivebat adhuc, cum *Jesuitis* indicta est lex exilii.

XXIV. Erat vidua quædam, cujus vir olim oppidum *Miraflores* incoluerat. Postquam vero illud (ut supra docuimus) hostium causa desertum est, secesserant ambo cum natis in silvam. Mortuo patre adhærebant matri bini filii, qui uxores duxerant, & filia jam *Christiana*, quæ nupsit *Indo Totele* (hoc illi nomen) ethnico, e quo quattuor filios sustulerat. Reditum persuasit *Petrus Joannes* toti familiæ, exceptis *Totele* viro, & uxore, quæ, viri victa amore, sustinuit matrem fratresque abs se divelli. Digresso cum vidua & aliis *Petro Joanne*, irruerunt eo loci feroces *Tobæ*, occideruntque pervicacem illam *Christianam*, quæ restare voluit, cum infausta prole. Vir autem *Totele* uxore felicior cladem evasit.

XXV. Alio tempore centenos circiter barbaros ad iter pararat, profecturique erant postridie. Ea nocte *Indus* quidam apostata, *Sebastianus* nomine, qui matre in oppido relicta, & legitima uxore, pellices duas ethnicas domi alebat, turmam illam iniquis querimoniis a sequendo deterruit. Cognita secessione, *Petrus Joannes* comites appellans, quos secum ab oppido adduxerat, si vobis, inquit, stat animi est, fugitivum ego istum vel nolentem cogam ad iter. Spondent illi operam. Venit ad *Sebastianum*, graviterque increpat ejus arte, ac nequitia factum esse, ut gens illa salutis cupida a proposito discesserit. Atqui tu, addit, *Christianus* es, & *Christiano* judicio, sententiæque deberis. Vide quid agas? poenitentia, ac venia adhuc locus est. Quod si sponte tua nos sequi nolis, stat te vi in oppidum abripere, ubi ex lege vivas. Interea bini comites, quorum unus erat *Camal* (hic ille est, quem visa pia filii a *Castellio* baptizati morte in *Lulium* coloniam concessisse diximus) circumfistunt *Sebastianum*, qui lingua promptior, quam manu, imparque resistendo, amovere ab se coepit rei gestæ culpam, promisitque reditum ad suos.

XXVI.

XXVI. His actis, Petrus Joannes cum quadragenis, quos iterum sibi conciliavit, iter ingreditur, sequente Sebastiano, qui postridie, elusis comitibus, dilapsus clam est. At non potuit miser Numinis poenam fugere. Cum enim inter ethnicos insolenter se se jactaret, & Totele Indum, cujus paulo ante meminimus, pulsare vellet, is indignatus arcum illi in guttur adegit, occisoque caput resecuit. Sic apostata periit, & ethnicus Totele, post necem istam aggregatus Lulium oppido, Christianus factus est, & Christiano ritu uxorem duxit.

XXVII. Egit quondam modis omnibus Petrus Joannes cum Indo, Lecu suis dicto, ut relicta silva in oppidum se se reciperet. Huic erat filius natus annos circiter viginti, qui clam patre secutus est Petrum Joannem. Ut abiisse filium animadvertit Lecu, longo triginta leucarum itinere ad eum revocandum accurrit: frustra tamen: quamvis enim multa fecerit, & plurima precatus sit, retinere abeuntem non potuit. Proxima autem excursione adolescens is optimæ spei comes ire voluit Petro Joanni, siquo modo patrem matremque, & suos ad fidem, & oppidum pelliceret. Verum cum propius jam recessus Chaci subirent, nunciatum est a quibusdam, paulo post expeditionem illam superiorem irruisse vagos Tobas in pagum Lecu, ipsumque interemisse, atque abducta ejus filia, uxorem etiam abducere conatos fuisse, sed occidi illam maluisse, quam, occiso viro, vivere, & servitutem servire: præclara enimvero fides! quam in maritum siqua e Græcis Romanisve matronis ostendisset, quantis illa scriptorum laudibus efferretur in coelum tamquam altera vel Penelope, vel Lucretia? Fecit id Indica femina, neque facti publica extaret memoria, nisi nos hoc loco in lucem illud prodere-mus. Redeo ad filium Lecu, cui Joanni nomen erat. Hic patris, matrisque audita nece, & sororis captivitate, in magnum erupit planctum. Consolatus illum est Petrus Joannes, hortatusque, ut singulares Deo grates ageret, qui, præterquam quod fide eum donarat, a tanto etiam vitæ discrimine exemptisset.

XXVIII.

XXVIII. Comparanda adolescenti isti est puella quædam non minore constantia. Venit hæc ultro ad Petrum Joannem, cum in Chacum more suo quondam introisset. Erat illi pater Zala, cui e binis uxoribus susceptus fuerat grex undenum filiorum. Puella igitur institutionis sacræ appetens, insciente genitore, turmæ se se abeuntium immiscuit. Ut id advertit Zala, confestim secutus eam est clamans, quo abis, filia, quo abis? Excitus strepitu Petrus Joannes, qui præerat, subdidit equo calcaria, atque ad extremum agmen advolavit. Zala vociferari non cessabat, quo abis? Filia demissis humi oculis nihil responderebat. Respondit vero Petrus Joannes, & majore quidem, quam Zala, clamore: abit in oppidum, abit ut Deum quærat, abit ut Christiana fiat: neque istud tibi fas est prohibere, aut impedire. Cum diu ambo, jam rauci a contentione jurgandi, altercati fuissent, Zala fractus constantia Petri Joannis, & filiæ silentio, dixit tandem: abi: quod illa vix audiit, cum ad turmam, quæ præcesserat, effuso se cursu proripuit. Zala substitit, atque ingemiscens repetebat sæpe: væ mihi misero! filia me mea deserit, & abit.

XXIX. Ceterum satius & patri, & familiæ toti fuerat puellam piam sequi. Quippe cum postea desiderio absentis filiæ Zala, binis uxoribus, & reliquis decem liberis comitantibus, in oppidum contenderet, prope urbem S. Michaelis Tucumanici transfossus telo est a barbaris ei dormienti insidiatis. Altera ex uxoribus, graviter percussa, biduo post expiravit: alii quoque pessime mulctati sunt. Tristis omnino miseræ, infelicitique familiæ nox illa fuit. Postridie evocati sollicitè ab urbe Jesuitæ, præcipua fidei mysteria moribundos docuerunt propere, & baptizarunt. Ex eorum numero fuit filius natu grandis, qui abeunti pridem cum sorore Petro Joanni suspirans, ac veluti præsciens futuri dixerat: *tu quidem cum Deo abis, nos autem hic remanemus cum diabolo*. Superstites e clade deducti in oppidum Lulium sunt, ubi læta vivebat, honestisque moribus erat omnibus exemplo, Angelina nomine, filia illa Zalæ, qui neglectæ vocationis acerbum nimis supplicium luit. Atque hæc sa-
tis

tis sunt in specimen excursionum sacrarum Petri Joannis. Aliam idem animo præceperat, intentaratque multo longiorem in Pilcomayum flumen, quod incolit barbararum nationum examen ingens. Sed cum Præfectus provincialis rem hanc in consultationem Chacensium operariorum rejecisset, illi sine evidenti vitæ periculo iter istud suscipi tum non posse responderunt. Acquievit eorum sententiæ Petrus Joannes. Sed ut erat candidus in primis, atque ingenuus, opposuit consultorum judicio: evidens in via ista vitæ discrimen est: quasi vero sine aperto, ac manifesto periculo ejusmodi, totis viginti annis in citerius Chacum ingressus sim: & tamen, providente Numine, capillus de capite meo non perivit.

PETRUS JOANNES MIGRAT IN ALIA ATQUE ALIA LOCA CUM LULIBUS NEOPHYTIS.

XXX. **N**ON summus tantum erat labor in evocandis Indis, sed, eisdem jam in oppidum coactis, succedebat cura molestissima, quod ad Lules attinet. Quippe cum aliquando gens hæc in antiqua colonia vixisset, longo intervallo temporis factum erat, ut ignoraretur, qui olim baptismo donati fuerant, quique legitimis ritu Ecclesiastico contraxerant nuptias. Impedita admodum res hæc fuit, ac pæne inextricabilis. Negotium in se suscepit, ut Petrum Joannem aliqua levaret parte, ejus collega Petrus Antonius Artigues. Is singulari diligentia, partim interrogando, partim evolvendo veteres templi libros, pleraque liquido deprehendit: & de quorum baptismo nullis indiciis comperiri quid certi potuit, sub conditione eos baptizavit, similisque adhibita pro matrimoniis cautio est.

XXXI. Jam qui certo fuerant Christiani, hoc nomine dignos mores, & doctrinam mysteriorum desuetudine dedidicerant, ideoque haud minus instituendi erant, ac si numquam res fidei audissent. Huc etiam incubuit mira alacritate vir animorum salutis studiosissimus Artigues, quo Petrus Joannes vacare posset

posset novis expeditionibus, quæ sive in evocandis Indis, sive in quærendo pro evocatis victu, tot fuerunt, ut qui aliquamdiu cum eo fuit Antonius Ripolius non dubitet dicere, ne ipsum quidem Petrum Joannem, si viveret (vel si maxime vellet) sua omnia itinera certo definiturum numero, quot fuerint. Atque illud dolendum erat præcipue, cum infestas eunti per vias mors passim ab immanitate latrocinantium barbarorum ante oculos obversaretur, in ipso oppido par malum ei, & neophytis imminere. Nihil ibi tutum securumque ab Indis Tobis, atque Abiponibus, qui urbem S. Michaelis Tucumanici, cujus veluti sub umbra Lules latebant, eo redegerant, ut jam de illa deferenda cives deliberarent. An. MDCCXL. V. Nonas Majas, in prædio collegii Jesuitarum XIV. colonos occiderunt, aliosque secum abripuerunt. Lulium autem oppidum a cædis loco tribus dumtaxat passuum millibus distabat.

XXXII. Et vero tantum creverat barbaris audacia, ut non jam furtivis (ut olim) incursionibus, verum aperta vi, ac de die, & in aciem eductos Hispanos invaderent. Magister equitum Nicolaus Roman trecentos milites e finibus Tucumanicis in eos scripsit, duxitque. Steterunt ex adverso hostes Indi minore longe numero, eoque in Hispanum agmen impetu irruerunt, ut hi relictis ordinibus terga vertent, nec fugientes retinere dux potuit, qui tandem a suis desertus pernici equo sibi consuluit, contra quam alii plures triginta, qui a sequentibus Indis interfecti sunt. Biduo post venit illuc P. Raphael Castañares, ibique Christiano sepulcro cæsos composuit. Amissi tum mille amplius equi, quos secum victores abduxerunt. Anno autem MDCCXXXV. mille circiter barbari adorti sunt ultro Saltenfes fines, & tribus dumtaxat ab urbe leucis quadringentos colonos ceciderunt. Nusquam pax & quies Hispanis erat. In urbe Sanctæ fidei, quæ in extremo Chaco est austrum versus, nemo domo pedem efferre tuto poterat, & cives, jussu magistratus, cum scoplo ad templum ibant, siqua inimica vis (carent illac Hispanorum coloniæ muris) repente ingrueret. Adeo terrorem quaquaversus sparserant equestres Tobæ, Abiponesque,

nesque, & Mocovii, qui modo hunc, modo alium Hispanæ gentis pagum aggressi, omnia rapinis, & cruore, & cædibus inestabant.

XXXIII. Huic malo patebat maxime locus ille, ubi Petrus Joannes curabat Lules: animadversumque, aliquando est, circumiri jam noctu oppidum ab exploratoribus barbarorum, quod proximæ aggressionis indicium est. At quo irent miseri, relicta infida statione? Numquam Deus suis non providet. Per hæc tempora Cl. V. Petrus Bazan, cum angustias Lulium e propinquo nosset, prædium, cui nomen *Jalla*, quator amplum leucis, & optimum sationi, materiaque abundans, testamento eis reliquit, ut illuc migrarent ex ora amnis colorati (*Colorado Hispanis*) ubi erant. Attribuit præterea eisdem uberrima pascua cum armento, quæ in excelsio monte *Anconquixa* habebat. Hæc legavit an. MDCCXLII., instititque, cum diuturno morbo sensim absumeretur, ut se superstitute migratio fieret. Quapropter impigre arripuere iter Lules quindecim leucarum a sede pristina ad radices montis illius *Anconquixæ*. At hinc iterum brevi abeundum fuit, nam, stato annuorum imbrium tempore, solum illud ita exundabat aquarum (a monte fortasse clam præcipitantium) scaturigine, ut nullus consistendi locus esset: discessum proinde est in sedem, quam neophyti optarunt, binis illinc leucis.

XXXIV. Sed & hic novum extitit, atque inopinatum infortunium. Aqua amnis, juxta quem oppidum positum est, ita erat crassa, ac pituitosa, ut omnibus propemodum Indis subnatæ sint ad collum strumæ de tonsillarum genere: puerique ab ipso matrum utero eas extrahebant, interque pariendum suffocabantur. Execrato igitur inhospitali solo demigratum est an. MDCCXLIV. ad locum, cui Hispani *Conventillo* fecere nomen. Hic mora octo solum annorum fuit. Etenim cum Lules desiderio flagrant præcæ regionis, ejusdemque optimæ, ad *Miraflores*, ubi olim (vis hostilis dum affuit) avi eorum vixerant, visum est Petro Joanni totum neophitorum gregem eo transferre: idque factum est ann. MDCCCLII. Atque hæc demum fuit extrema, & stabilis Lulicæ gentis sedes.

XXXV.

XXXV. Jam vero migrationes istæ, quot molestiis laboribusque constarent sacris operariis, quivis per se ipse satis intelliget. Siquidem priusquam vetus oppidum defereretur, paranda erant in designata novæ coloniæ sede templum, & tecta, quæ Indos solum vertentes exciperent. Tum arandus seminandusque circum ager, ut illuc transvectis alimenta suppeterent, ac propius silvam excitandum vallum, muniendæque sepes, quibus armentum contineretur. Præterea convehenda illuc suppellex omnis, & quidquid erat utensilium. Exemplo discite rem hanc. Pro deducendis neophytis in tractum terræ illum, quem vocari diximus *Conventillo*, ædificatæ prius sunt ab Artiguio septem supra centum casæ, structumque templum e cocto latere cum tegulis.

LABOR ET INDUSTRIA PETRI JOANNIS IN ALENDIS NEOPHYTIS.

XXXVI. **H**æc tamen levia erant quodammodo præ aliis, quæ Petrum Joannem, ejusque collegam angebant. Gens erat pauperrima, deerantque ipsi & ad cibum, & ad vestes necessaria. Quamvis enim generosus Bazan, ut antea docuimus, prædium, & armentum Lulibus dederat, hæc integro populo haud erant satis, liberalitatisque eximie optimi viri addenda fuit sacrorum operariorum indefessa industria. Hic fuit profecto, ubi magnitudo animi, & sollertia Petri Joannis emicuit. Principio Lules in oppidum coactos aluerat Prætor Urizar, cui parem prætura Tucumanica non vidit, & cujus mortem provinciæ vastitas consecuta est. Illos deinde, ad urbem S. Michaelis compulsos metu hostium, cibabant Jesuitæ de suo. Verum succrescente multitudine, & oppido longius translato, externa subsidia speranda non erant: oportuitque agere cum neophytis ex Pauli Apostoli lege: *siquis non vult operari, nec manducet*. At hic labor erat, hoc opus, Lules otio assuetos ad operandum adigere. Sane sub exordia positi olim oppidi cum Antonius Machonius subacto luto lateres fingeret, hortareturque præsentem Indum tradito ty-

po,

po, ut cœpta urgeret, ille, perge tu, dixit, pater: strenuus vere faber, & figulus es. Multa tamen Machonius idem perseverando urgendoque ex ipsis elicuit; sed multo plura deinde Petrus Joannes.

XXXVII. Allexit paulatim ad agri cultum, utilesque artes. Seminabatur communiter campus ingens; hinc frumentum Indicum, & fruges redibant: curabatur diligenter armentum; hinc bubula viritim dividebatur. Accessit gossipii cultura; hinc vestes petebantur, positæ in oppido textrinis officinis. Ceterum hæc nondum templi, domorum, & populi expensas omnes æquabant. Emenda nimirum erant feramenta, atque alia necessaria pro bono publico. In hos usus illud excogitavit Petrus Joannes. Montes Tucumanici abundant optima materia variarum arborum, quarum aliæ durissimæ sunt, ut quas vocant *Quebrachos* (*rumpisecures* dixeris, si sic loqui licet: secures enim ipsas, nisi dexter faber est, retundunt: id suo illo nomine significant Hispani) unde quodvis efficias opus ad feros nepotes duraturum. Aliæ sunt ad domestica arma, & ædium ornatus, aptæ maxime, atque omnis artificii capaces, ut cedri altissimæ, & proceræ nuces. Ergo cum turma Indorum ad cæduas has silvas ibat Petrus Joannes, omnisque generis truncos sternebat. Ex his autem in oppidum devectis assères ferrabantur, quorum pars ibi in rem communem remanebat, pars alio mittebatur. Nam cum illac iter ageret frequenter honestissimus Hispanus Petrus Pino, qui vi magna plaustrorum merces transportabat a Bonis auris Xujuium, & a Xujui vicissim Bonasauras, non intermisso cursu, is pro amicitia, quæ illi erat cum Petro Joanne, aliquot vehicula ferratis illis tabulis onusta per conductos effedarios portari jubebat ad Bonaureses, quibus materiæ inopia est. Deinde pretium adsportatorum cum fide, & sine ullo scœnore, totum Petro Joanni reddebat pro bono neophytorum. Quo viri munifici beneficio fortunæ Lulium ingens incrementum acceperet.

XXXVII. Quid multa? Assiduo labore, acrique sedulitate perfecit Petrus Joannes, ut commode suis esset clientibus, addita præsertim œconomia, quam usu

usu doctus putabat summe necessariam in stabiliendis
coloniis. Qua de re in vita Francisci Ugualde,
quam edidit, ita ille sapienter præcipit. „ Fervor
„ aliquorum gentis Indicæ operariorum aliquando ma-
„gis obest novis oppidis, quam prodest: studio enim
„ ut profelytis silvarum oblitis fors recens, & ci-
„vilis vita placeat, negligunt illi quodammodo pru-
„dentem rei temporariæ administrationem. Si ad
„catechismum, si ad publicum laborem Indos vo-
„cant, eos initio vacuos ire non sustinent, dividunt-
„que singulis aliquid e paucis illis bonis, quæ ad
„condendum oppidum secum adduxerunt: quo fit,
„ut, assueti assiduæ largitioni, numquam deinceps
„ne vocati quidem veniant neophyti, non viso, aut
„sperato præmio. Eadem de alimentis ratio est.
„Largum cibum novis clientibus dispensat curator
„inexpertus: nec diu post haud satis est paratum ar-
„mentum pro dividenda bubula. Ad hæc, nihil pe-
„tentibus negat, brevique deest penitus quod det,
„aut saltem refecandum multum est de prima illa
„liberalitate; idque magno ipsorum neophytorum
„malo; tumultuantur enim, vel etiam cultorem mi-
„nus jam largum deserunt. Quodd si is conveniente
„moderatione usus esset initio, eo angustiarum re-
„ductus dein non fuisset. Liberalis quidem sit,
„oportet, sacer minister, non sordidus, & iusto par-
„cior: sed liberalitas cum prudentia conjungenda
„est, & cum modo, & cum affabilitate qua deliniti
„clientes (cum quid petunt, nec datur ob iustam
„causam) pacato discedant animo. Ut vero tracta-
„biliore numquam & faciliore Indi sunt, quam
„cum Sacerdotem poscunt, aut e silvis præeuntem
„sequuntur, antequam de porrendo oppido agatur,
„explicandum ipsis est, quæ coacti jam in unum lo-
„cum præstare debebunt; nihil enim tum ferme re-
„cusant, quamvis non stent postea promissis: tamen
„eo utilis est denunciatio illa, ut cum quid impera-
„tur, inopinum & novum eis non accidat, possit-
„que obijcere curator, si onus detrectent, mista
„cum amore severitate, nihil se ab illis reposcere,
„quod polliciti non fuerint. Illud quoque in primis
„cavendum, ut initis rationibus eorum bonorum,
„quæ

„ quæ habet , eorumque quæ prudenter sperat , ad-
 „ moneat Sacerdos Indos in oppidum conventuros ,
 „ quid cibi in singulos dies præberi poterit : atque
 „ eadem cautio de veste esto . His rebus obviam
 „ itur futurorum neophytorum querelis , curatorque
 „ infinitis se se molestiis eximit . „ Hæc ille : neque
 aliter administrabat ipse oppidum *Miraflores* .

XXXVIII. Ceterum ut temporaria res parabatur
 ad promovenda spiritualia , horum illic major cura .
 Quotidie matutino tempore , & vespere , convenien-
 tibus in templum pueris puellisque catechismus exer-
 cebatur , tentabanturque aliquot nominatim , ut pa-
 lam constaret , an recte traditam doctrinam intelle-
 xissent : Diebus autem festis a concionante alterutro
 e Sociis docebatur populus intentiore cura mysteria
 fidei , & officia virtutum ante Sacrificium Missæ .
 Huic etiam profectis diebus intererant omnes , mo-
 rum censoribus , viris probis , oppidum circumeunti-
 bus , nequis vir , feminave , sine causa legitima deses
 domi remaneret . Idem fiebat sub noctem ut ad Ro-
 sarii preces , & Virginis litanias cuncti accurrerent .

XXXIX. Ut vero facile fit , quod sit consuetudi-
 ne ; vel sine monitore , & sponte sua , quibus assue-
 verant domi , ea etiam foris , & ruri præstabant Lu-
 les . Evocati in auxilium Hispanorum contra barba-
 ros , ubi , positis signis , metati jam castra fuerant ,
 illico ante captam itineris quietem ad preces de mo-
 re recitandas , magna ducis & militum admiratione ,
 secedebant . Quam neophytorum religionem sibi ac-
 ceptam esse ostendit Deus . Anno MDCCLXIV. in-
 gressa in medium Chacum est manus Lulium cum
 Hispanorum agmine , quod ducebat magister equitum
 Michael Arratcaeta . Via longa fuit , & ductor , qui
 terrendi grassatores , non pugnandi causa eo venerat ,
 timuit , ne barbari visis Lulibus , quibuscum inimici-
 tias olim gesserant , irritarentur : quare dato comme-
 atu regredi subsidiarios suos iussit . Illi compendio
 nisi , semitam ingressi sunt , ubi nulla ; cum processis-
 sent longe , reperta aqua est . Tum memores scro-
 bium imbris conservatricium , quas quondam frequen-
 tarant , eo iter reflectunt : at scrobes istæ , sive lacus ,
 aruerant etiam . Horror ingens omnes cepit , peri-
 bant

bant enim siti. Desperatis rebus eorum unus, cur, inquit, non facimus, quod docet nos Curator noster, ut pressi necessitate Dei opem imploremus? Confidite: non ille orantes spernet. Ergo Rosarii precibus, MARIE, & per eam JESU auxilium poscunt. Ea ipsa nocte contractæ nubes magnam vim pluviz effuderunt, qua repletæ fossæ sunt: Lulesque, sedata siti, læti alacresque in oppidum reverterunt.

XL. Hæc piæ gentis fides, & virtus tanto erat firmior, quanto lentius radices egerat. Res una fuit, quæ in colendis neophytis diu multumque Petrum Joannem, & collegam Artigium exercuit, intemperantia scilicet, cui in silvis, suo se illi zytho, sive vino, quod *Chicha* vocant, sine modo dederant; princeps hoc barbarorum vitium est. Sed & istud paulatim extinctum est, penitusque tandem abolitum, posita jam stabili sede ad *Miraflores*, qua monitis salutaribus, qua minis poenisque. Victo autem eliminatoque hoc omnis frugis bonæ obice, mira morum conversio secuta est. Frequentari tum coepta Ecclesiæ Sacramenta, ac tanta erat multorum innocentia, & vitæ Christianæ amor, ut, post accuratam factorum dictorumque recognitionem, vix quicquam ad tribunal poenitentiz deferrent, in quod absolutio judicis caderet. Adeo vigilis operarii cura, jugisque institutio valet, utique si corporis, & animi necessitatibus simul consulat suorum clientium, ut fiebat inter Lules. Ægri mature Ecclesiæ Sacramentis muniti congruo virtutum usu ad mbrtem parabantur. Singulis autem decumbentium afferebatur quotidie e Sociorum domo panis dimidium, & ferculum coctæ carnis: quæ sollicitudo conciliabat magnopere Sacerdoti suo neophytorum voluntates.

XLI. Cultus autem templi crevit an. MDCCLVI. adventu P. Joannis Fechæ, arte præstantis musica. Hic (præter ludum, qui jam pridem positus erat pueris ut legere, ac scribere, & sacro Missæ ministrare discerent) musicorum scholam aperuit, ubi delectos Indulos & canere fidibus, & tibiis lituisque sonare, & modulari ad numeros compositasque notas docuit. Magistri vero diligentia, & discipulorum alacritate factum brevi est, ut quotidie ad sacrificium

symphonia adhiberetur, quæ res (ut amantes admodum sunt musices, & cantus, Indi omnes) oppidanos in templo volentes libentesque detinebat.)

XLII. Quæ dicta hucusque sunt de laboribus obiri solitis a Petro Joanne, & Artiguio, aliisque deinceps Sociis pro Institutione Chacensium, nullo illustriori testimonio confirmari possunt, quam Ill. D. D. Emmanuelis Abad Illana, Episcopi Tucumanici, evecti postea ad cathedram Arequipensem anno MDCCLXXI. Et vero quam non esset Antistes Illana amicus Jesuitarum, e rebus ab ipso gestis norunt illic Hispani omnes. Ergo pro munere lustravit an. MDCCLXV. oppida Chacensia, & in eorum maximum, quod *Miraflores* dicitur, misit hoc testimonium Chirographo obsignatum suo IV. Idus Decembris (a). „ Cum per me ipse lustrarim Reductiones, quas ad oram fluminis Salsi curant RR. PP. „ Jesuitæ, non potui non mirari viros ita cultos, „ quales Patres Doctrinarii sunt, obscuris tenebris „ gentis barbaræ, silvestrisque, obtegere magnarum „ ipsorum dotium clarum lumen & purum... Deum „ laudavimus, eique gratias egimus pro donis coelestibus, quæ imperit dictis Patribus, qui cum civiliter educati sint, nullusque non eorum inter mediocria minimum commoda domi olim suæ bene habuerit, incluserunt se, ut in multis Reductionibus vidimus, tectis e palea, quæ nihil ferme a coeli intemperie eos defendunt: ac vitam iidem tolerant in extrema propemodum inopia rerum: quodque satis commendari non potest, cum capitis discrimine objiciunt se se volubili animo barbarorum,

(a) Hoc testimonium cum longum sit, totum descripsit Antistes Illana Salte in urbe prætoria omnium proxima Chaci oppidis, ad quam post lustrationem ivit: atque illud inde transmisit ad præfectum Sociorum Chacensium Josephum Sanchez. Neceffe haud est exemplar,

cum longum sit, totum describere. Extremo loco gratias agit illis Indorum cultoribus, singulosque ad constantiam hortatur Chriftomi verbis: *opus suscepiſti; id considera, perſice, labora, & te certaminibus expone.*

„ rerum, qui, Doctrinario occiso, in silvas refu-
 „ giunt.... Aspeximus hæc oculis nostris, auribus
 „ hausimus, & manibus contrectavimus. Speramus
 „ &c. „ Sic Episcopus Illana in instrumento publico.

PETRI JOANNIS MINISTERIA IN HISPANOS
 QUI CIRCA OPPIDUM LULIUM DEGEbant.

XLIII. **H**abitant in prætura Tucumanica Hispanæ
 gentis plurimi in agris, & procul a parœciis. Hi
 desiderio sacrificii Missæ, & audiendæ concionis, ac-
 cipiendorumque Sacramentorum causa, in templum
 oppidi confluebant, Clericis Curionibus non modo
 approbantibus, sed etiam gratulantibus, quod imma-
 ni labore & gravi onere liberarentur in adeundis,
 multarum leucarum spatio, dispersis clientibus. Jeju-
 niorum præsertim cineralium tempore tantus erat il-
 lorum concursus, ut nonnumquam Petrus Joannes,
 & collega Artiguius ultra mediam noctem confessio-
 nes adventantium exciperent, egressisque sacro tri-
 bunalis nihil cibi potionisque capere licebat, ne se
 ejus diei sacrificio privarent. Hæc autem abstin-
 entia minimo malo stomachi fiebat, responsura enim
 coenula foret prandio, quod erat vilissimum. Doctor
 Theologus Josephus de Olmedo venit olim illuc post
 meridiem. Artiguius abdiderat se se jam in cubicu-
 lum; Petrus Joannes aberat. Erat dies S. Ignatio
 sacra. Ergo pro familiaritate, quæ Olmedo erat cum
 Patribus, evocat Indum a culina, & da mihi, in-
 quit, aliquid de reliquiis lauti hodierni prandii. Id
 quidem libenter, ait Indus: it ad culinam, affertque
 ollam semiplenam *Api* (est puls quædam e frumento
 Indico, & fit sine sale, sine condimento ullo.)
 Apponit igitur istud pultis Olmedo Doctori: atque en-
 tibi, totum hodie Artiguii prandium, hoc uno ille
 cibo, ait, usus est, nullo vino, nulla carne, nullis
 secundis mensis. Mira hæc, sed non nova, Olme-
 do visa est parsimonia Artiguii, quem jam norat &
 frugalissimum, & negligentissimum sui. Sed de hoc
 satis.

XLIV. Multis diebus duæ habebantur conciones altera Lulice pro Indis, altera pro Hispanis lingua vernacula. Id in templo; foras autem frequentissime vocabantur ad ægrotoꝝ confessiones: atque universe, quod a ministerio Lulium vacabat tempus, totum rusticanis longe lateque accolentibus dabant. Quibus rebus tantus constabat fructus animorum, ut, cum ageretur de transferendis Lulibus a *Conventillo* in avitum solum, Petrus Artiguius intercesserit, ne Hispani tanto fraudarentur bono, quantum in eos inde redundabat, censebatque sic dividi rem posse, ut pars Lulium cum Sacerdote uno inibi remaneret, pars altera cum alio iret ad *Miraflores*. Verum Petrus Joannes respondit, Indorum sibi commissorum ab se potius causam promoveri oportere: Hispanis vero a Clericis Curionibus, quibus ipsi gratis vicariam hætenus operam præstiterant, pro munere suo consulendum esse: neque Præfecto provinciali tot præsto esse Socios, ut, multiplicatis stationibus, singulos Sacerdotes in singulas stationes submitteret.

XLV. De reliquo, tam Petro Joanni Hispanorum cultura cordi erat, quam cui maxime. Docuimus supra a Cl. V. Petro Bazan legata fuisse Lulibus pacifera, & armentum in monte *Anconquixa*. Huc e *Conventillo* sæpe veniendum erat Petro Joanni, ne bene parta bubulcorum incuria male dilaberentur. Distabat is locus ab oppido sedecim leucis. Ne vero, quos ibi morabatur dies, a sacrificando abstineret, aliarum duodecim leucarum via descendebat ad pagum *Andargala*, ubi templum erat trans montem. Gens, quæ ibi magno degit numero, spectabat ad Curionem Clericum, cui habitatio erat, ad *Bethleem* (loci nomen est) triginta illinc distans leucarum spatio (a): & (quod pejus erat) toto in itinere

(a) Mirabantur rerum cas continebat: & summa Americanarum ignari attributa fuisse uni Curioni sexaginta leucarum erat. Reste de hac re, & accurate, pro usu, qui ei fuit Atqui eadem illa parœcia illius regionis, doctus & aliorum triginta alias leu- eruditus Cyriacus Morelli

itinere nulla erat ad bibendum aqua. His causis, semel quotannis tempore Quadragesimæ clientes illos suos adibat sacer minister: ac tum admissis ad confessionem, quos audire poterat, reliquos, instante jam reditu, jubebat ad se in *Bethleem* venire, ut Paschali præcepto satisfacerent. Plerique autem sine Sacramentis moriebantur, quod vel Curionem ob nimium intervallum, viæque difficultatem, ægri familia non vocabat, vel quod ille vocatus dum ibat, jam expirarat æger ipse.

XLVI. Itaque cum illuc descendens sacrificabat Petrus Joannes, omnes certatim in ædem sacram accurrebant. Ille *misertus super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem*, aliquot ultro subsistens ibi dies, dabat operam Catechismo, cujus quam essent indigentes hinc conjice. Explicuit aliquando pro concione res credendas necessitate medii, & modum eliciendi actum Contritionis, quo & amissam Dei gratiam recuperarent, & uterentur, si periculum mortis urgeret, neque adesset Confessarius. Ubi peroravit,

(<i>verum nomen, Dominicus Muriel Paraguaycus Socius, & Antecessor olim Theologia in Cordubensi Academia apud Tucumanos</i>) narrat (In fastis Novi Orbis, & Ordinationum Apostolicarum &c. Edit. Venet. an. 1776. pag. 423.)	„ frequentibus oppidis, sed „ refertum mapalibus ruri- „ colarum pagatim diffitis, „ quibus eo difficilius assi- „ stitur, eoque magis sen- „ titur parochorum defectus, „ quo magis dispersa sunt. „ Et parochia de <i>Casavindo</i>, & <i>Cochinoca</i> in ea- „ dem Diœcesi, priusquam „ paucis abhinc annis di- „ videretur, ad quinquaginta leucas, aut biscentum milliaria protendebatur similiter. Et post „ divisionem Diœcesis quatuor centum circiter leucas quadratas lata tota „ subest 34. Parochis. „
„ Sunt, „ ait, in America loca „ plurima, in quibus est „ defectus parochorum sum- „ ptus pro inopia vel rari- „ tate: nam in valle <i>Calchaqui</i> Tucumanensis Diœcesis uni Parocho (<i>is est, de quo nos supra diximus, Berbleemicus</i>) subest „ spatium sexaginta leucarum, destitutum quidem	

roravit, auditorum unus, isque e primariis, ingentes ei grates egit, quod eos illa docuisset, quæ numquam alias audierant. Edoctos jam hæc, atque alia, ad confessionem admittebat. Quod si quis detentus morbo venire ad templum non poterat, eum adibat, & consolabatur, & siquid gravius imminebat, instruebat sacris auxiliis ad piam mortem. Longius hac in re deinde itum est. Quippe cum rescisset Bernardus Nufdorfer, provinciæ Paraguayæ præfectus (occasione lustrati oppidi Lulium an. MDCCXLIII.) tristem Andargalicæ vallis sortem, atque utiliter illic gesta, jussit Petrum Joannem ad Hispanos illos sæpius excurrere. Quin & ex urbe Catamarcæ ad eosdem instituendos excolendosque venit eximius concionator, seu Missionarius, ut vocant, Thomas Figueroa, assumpto comite, & adjutore sacri ministerii ipso Petro Joanne.

XLVII. Atque is quidem cum & sponte sua, & mandato præfecti provincialis, sæpe eo contenderet, optavit certum sibi hospitium esse, quo diverteret, ac præterea agri pinguis copiam fieri, ubi gossipium, quod in valle illa optime provenit, pro suis Lulibus feri posset. Vide hic quam pios conatus adjuvet Deus operariorum suæ vineæ. Erat illic tum Cl. V. Ludovicus Diaz dives in primis, & cœlebs, qui opes suas in religiosa opera, quorum jam aliqua instituerat, vivens valenique impendere decreverat. Hic hospitio exceptum Petrum Joannem sic quondam inter cœnandum adlocutus est: audiivi velle te domum, & agrum habere in pago isto pro tuis Indis. Id cogito, respondit ille, & utile esset. Rursum Ludovicus: nihil empto, ait, opus est. Amplum en prædium meum: huius tibi dimidium do: & crede mihi, plus tu hinc efferes, quam ex legato fundo illo Petri Bazan. Dictum factum. Tabulas conficit, dimidium prædii attribuit, cautumque scripto est; fructus illinc collectos non uni, & certo oppido Indorum destinandos, sed addicendos procurandæ generatim Infidelium conversioni, ponendisque novis barbarorum oppidis. Id tabulis exprimi voluit Petrus Joannes, qui jam totum Chacum mente, & animo complexus erat.

XLVIII.

XLVIII. Nec voluntati nobilis largitoris non est factum satis. Prædium illud, cui *Guazan* nomen, industria, & diligentia Petri Joannis cum fructiferum maxime evasisset, quæ reddebat, impendebantur fovendis ad ethnicos sacris excursionibus, instruendisque Sacerdotibus, qui in Chacum penetrabant. Magnum quoque bonum inde in Andargalenses derivatum est. Positæ domui pro Socio, qui culturam agri urgeret, accessit templum, quod bini tuebantur operarii. Hi non modo cultores prædii in officio continebant, sed etiam habendis concionibus, excipientis confessionibus, adeundis ægris toti illi pago nulla in re deerant, & quo ad Hispanorum ministeria instructiones essent, amplissimam ipsis facultatem detulit Curio Bethleemicus, qui præterea Vicarium addidit, cui propior foret sollicitudo gentis illius. Ita tot Sacerdotum accessione multo fuit melior in posterum Andargalensium conditio.

FRUCTUS LABORUM PETRI JOANNIS IN CURANDIS INDIS.

XLIX. **P**ræmium curarum, & tot itinerum, discriminumque vitæ Petri Joannis illud est, quod, cum Tucumanicos ingrediens fines an. MDCCXXXVIII. tantum repererit Lulium oppidulum, seu potius umbram oppiduli male consistentis, indefessa ejus constantia factum sit, ut sex deinceps steterint gentis Chacensium oppida, quorum postea nomina reddemus; explicabimusque quo anno, & quibus proselytis posita fuerint. Quantorum autem incommodorum, impendiorumque sit vel unicam coloniam deducere, & deductam tueri, exemplo sunt Vilelæ Indi. Horum pars pedestris, & mitis (alia erat equestris, immanisque, quæ foedere inito cum Tobis, & Mocoviis contra Hispanos bellum gerebat) an. MDCCXXXV. ab Episcopo Tucumánico Il. D. Josepho Cevallos sacrum cultorem petiit. Dedit Antistes: electusque est locus condendo oppido prope *Matara* ad flumen Salsum. Cevallius ipse, profectus Corduba longissimo itinere, interesse voluit struendis primis ædificiis, interque

terque Indos aliquot vertatus menses est. Cura commissa fuit Sacerdoti optimo, zeliq̃ pleno Josepho Bravo de Zamora, Doct̃ori Theologo, qui & patri-
monium suum profudit pro alendis neophytis, & Potosium, ac Chuquisacam usque contendit, stipemque corrogavit quattuor millium aureorum; quæ tamen summa, cum ille ante reditum morte correptus sit, integra tum ad Vilelas non pervenit. Bravo superstite, res successit prospere. Demandata postea fuit aliis atque aliis oppidi procuratio: statufque ille primus paulatim in pejus ruit adeo, ut dissipatis Indis, non nisi quinæ, senæve familiæ stabili domicilio datam ipsis sedem incolerent. Cevallius Antistes aberat jam, cujus studium illud juvandorum Vilelarum, & suscepta incommoda in condendo novo municipio, ita grata fuerunt Catholico Regi, ut is illum Sum. Pontifici commendarit, designaritque ad Limanum Archiepiscopatum.

L. Ultimus e Clericis Vilelarum Curio Clemens Xerez, a quo altera simul parœcia, *Salabina* nomine, triginta illinc distans leucis, administrabatur, tradere voluit Jesuitis labens oppidum, quod ipse aliquoties tantum adibat per annum, causâ longi itineris, aliarumque sibi commendatarum ovium urgente cura. Recusabat moderator provinciæ Josephus Barrera reliquias illas dispersi gregis admittere, neque alia erat, opinor, sententia Petri Joannis Chacensium operariis præfecti; quod videlicet facilius sit disciplinam inter profelytos instituere, quam, ubi (neglecto cultu) lapsi sunt mores retro, restituere. Verum connitentibus Episcopo Tucumanico Petro Michaeli Argandoña, & Prætorè regio Joanne Francisco Pettana Chumacero, qui id fieri vehementer optabant, Vilelas in fidem recepit tandem Berreda, & cultorem e Societate ad eos misit an. MDCCII. Primum fuit studium novi curatoris vagos clientes in oppidum revocare, extititque pretium operæ. Quod vero infelix solum *Matara* neque bonum sit ad agri fructus, neque ad alendum armentum, sine quo neophytorum victus contare non potest, an. MDCCXI. Bernardus Castro clientes suos, cum migrare alio vellent, infinito

infinito labore eos transtulit, octoginta circiter leucarum itinere, ad situm optimum, qui *Petacas* dicitur.

LI. Juvat autem hic nonnulla summatim perpendere. Indi, quibus positum oppidum illud in *Mata-ra*, mites, & pacifici erant, egressique e Chaco per se ipsi Sacerdotem ab Antistite petierant. Reditus, & vectigalia Episcopatus Tucumanici larga sunt, ac primus Vilelarum Curio, præter affusum illuc suum patrimonium, quattuor aureorum millia pro alendis clientibus peregre quæsierat. Si igitur nec summus conatus, & liberalis sedulitas Episcopi, nec tot addita subsidia aliunde, satis fuerunt, ut staret oppidum, hæc enim causa fuit, cur postremus administer Xerez optarit Vilelas committi Jesuitis, atque intolerabili se se oneri subducere; quid fiet, cum de evocandis barbaris, qui, ut pisces, esca capiendi sunt, agitur? Quantæ istud molis est, quantarum impensarum? Atqui Petrus Joannes non unum ejusmodi hominum posuit oppidum, sed plura; eaque labore impigro, & industria, & conquisitis eleemosynis fovit, retinuitque,

PETRUS JOANNES TOTI PROVINCIAE PRÆFECTUS PERGIT PLURIMA MOLIRI PRO BARBARORUM CONVERSIONE,

LII. **C**UM Petrus Joannes ab an. MDCCXXXVII, ad an. MDCLXI. bona Chacensium Indorum dies noctesque promovisset, allatis Roma litteris Præpositi Generalis Laurentii Ricci designatus est præfectus provincialis Sociorum Paraguaycorum. Cur autem moderator Societatis, hominem, qui nullum Collegium rexerat, immo vero, qui vix in collegio ullo vixerat, sed perpetuo versatus erat vel in oppidis Indorum, vel in remotis silvis, toti præposuerit provinciae, nullus equidem dubito hanc fuisse causam, quod, cum de ejus virtute, & doctrina audisset multa, intellexissetque quanta ille fecisset, & fuisset passus pro convertendis ad fidem barbaris Chacensibus, reputarit apud se, ut erat prudens, eo supremo duce, & rectore Sociorum, conversionem gentium, quæ in
tene-

tenebris, & in umbra mortis sedebant, urgendam fore maxime, ac nihil intentatum relictum iri pro salute earum procuranda.

LIII. Riccii spem haud fefellit Petrus Joannes. Quamvis enim ab aliis præpositis provincialibus cessatum non erat, tamen multis autem annis nec tot felicia molimina, nec tam solida expectatio fuerat innumerabilis Ethnicorum multitudinis ad fidem aggregandæ. Apud Chiquitos conditum oppidum est Sacri Cordis Jesu anno MDCCCLX., id est paulo ante initium magistratum a Petro Joanne, qui illud inter initia egens (ut sit) auxilii, opisque, auctoritate, & consilio tuitus est. Eodem anno, ultra urbem Assumptionis Paraguayæ ad amnem Ypane in sedem stabilem cœgit vagos, & feroces Mbayas Josephus Sanchez Labrador, qui maluit barbaros illos rudimentis Christianæ doctrinæ, ipsorum linguæ improbo labore studens, imbuere, quam Theologiam, cujus erat in prætorica urbe professor, Hispanos adolescentes docere.

LIV. Atque is quidem stimulatus a Petro Joanne ad aperiendum illac iter ad Chiquitos (id Sanchez ipse sponte jam sua agitabat) fauste tandem feliciterque ad eos penetravit, qua re vix ulla major in Paraguayæ provinciæ finibus gesta est: nulla utique utilior fuisset, si gloriosi facinoris fructum colligere licuisset. Bina erant ferme sæcula, ex quo facilis, & brevis aditus ab Urbe Assumptionis ad Chaci mediterranea, & per Chacum ad præturam S. Crucis Montanæ, atque ad Peruvium, desiderabatur. Compensandum hoc viarum tantopere optatum Prætoribus, & civibus Paraguaycis, summo ardore, & studio tentarunt sæpe Jesuitæ: videbant enim, si detecta regione adhuc incognita, sedes aliquæ certæ per intervalla ponerentur, pronum fore feros populos, flumen Paraguayum accolentes, ad humanum cultum, atque adeo ad fidem allici. Non gravibus laboribus, non impendiis ingentibus, non capiti ipsi & vitæ pro expeditione hac temperatum umquam est. Aggressi id operis sunt præter alios P. Joannes Baptista Zea, vir impavidus, qui toti provinciæ præfuit, P. Joannes Neuman, qui ærumnis confectus, redux a suscepta nequicquam via, obiit an. MDCCIV. P. Augustinus
Casta-

Castañares (qui dum iter molitur plurima passus est) rediit etiam infecta re (a). Anno autem MDCCXV. idem adorti fuerant arduum inceptum PP. Augustinus Arce, & Bartholomæus Blende, qui a barbaris insidiatoribus cæsi sunt,

LV. Ut nihil non constantiæ, & labori cedit; æneus ille, ut ita dicam, murus demum perruptus est. Josephus Sanchez egressus oppido Mbayarum, quod curabat, V. Idus Decemb. an. MDCCCLXVI., superata regione illa impervia Hispanis, quæ trans amnem Paraguayum est ad Chiquitos, XVII. kal. Febr. sospes, atque incolumis pervenit ad oppidum Sacri Cordis, apertumque tandem est iter illud, quod tamdiu publica provinciæ vota, & Sociorum conatus, & tentamina exercuerat. Colligebat autem Sanchez, qui omnia sigillatim in ephemeridas retulit, viam opinione aliorum breviorē esse: processerat enim ipse lentissime, & aliquibus diebus nihil omnino promoverat, quod Indi comites quiescere vellent, & venari, piscarive. Ad summam, subducta ratione horarum inter eundem positarum, & comparatis inter se gradibus longitudinis, & latitudinis, quibus respondent oppidum Sacri Cordis quo venit, & Bethleemicum (hoc Mbayarum oppidi nomen est) unde profectus erat, reperit (rejectis itinerum anfractibus) intervallum non longius esse centenis vicenis leucis. Quo fit, ut viginti diebus commode totum iter confici possit, idque ferme totum per flumen Paraguayum. Cum e contrario via ad Peruvium, & ad Chiquitorum stationes, capto circuitu, quo Paraguayci cives, & Jesuitæ utebantur ab urbe Assumptionis (quæ sexaginta dumtaxat leucis distat ab oppido Mbayarum) mille amplius leucarum sit. Hæc acta sunt anno MDCCCLXVII.; quo vergente, dum apud se, regressus

(a) Is est Augustinus occisus est cum Francisco Castañares, vir magnæ vir- Azoca, cive Tarixensi, qui tutis, & zeli imperterriti, illum ad arduum opus comitari voluit. Natus erat qui a Mataguayis, quos instituti causa adierat, Augustinus Saltæ nobili genere. die 15. Setemp. an. 1744.

fus ab Chiquitis, reputat Sanchez, quæ e frequentato deinceps itinere illo redundaturæ erant utilitates in bonum publicum, lege exilii in Europam, unde cum Petro Joanne ad Americam navigarat anno MDCCXXXIV.; redire iussus est.

LVI. Guanarum gens septem habitat pagis, ad gradus XX., & XXI. lat. austr. citra flumen Paraguayum. Hi viso Mbayarum, quos tamquam dominos verentur, oppido, petierunt a P. Josepho Sanchez, cujus modo meminimus, ne gravaretur ipsorum regionem adire, ubi pro frequenti hominum numero, qui XXX. millium esse dicitur, multis ponendis coloniis futura esset copia. Adiit eos Sanchez itinere LXXX. ferme leucarum, gentisque ingenium mite, deditumque agri cultui, & lanificio ex ovibus, quas alunt, approbavit quam maxime. Guanæ vicissim Sacerdotis præsentia admodum læti, etiam atque etiam rogarunt, ut vel ipse ibi maneret, vel saltem curaret sibi dari alios religionis magistros. Cum revertisset ad Mbayas suos Sanchez, monuit per litteras Petrum Joannem provincialem, quam illac *ostium magnum*, & *evidens* convertendis Indis aperiretur. Hoc autem erat currentem incitare.

LVII. Petrus Joannes, gaudio ob faustum nuncium gestiens, cultorem Guanarum designavit Emmanuellem Duran, qui paucis ante annis philosophiam professus in Academia Cordubensi versabatur tum inter Mbayas. Acceptis a provinciali mandatis illico Duranus venit ad urbem Assumptionis, necessaria quædam corrogaturus pro ponendo Guanis oppido, ad quos contendit mense Septembr. an. MDCCCLXVI. Exceptus est ingenti gratulatione a primo *Layanarum* (sic vocant) pago, qui sex ferme capitum millia continet. Nunciato ejus adventu, cætatim ex aliis pagis salutandi causa plurimi accurrerunt. Duranus studium religionis, quod præ se ferebant, & cultos agros, & posita ordine circum tuguria, & res eorum ceteras laudans, magnopere sibi omnium animos conciliavit. Tum, pro pignore delectæ ad futurum templum sedis, in foro *Layanarum* altam locat Crucem, quam illi, edocti prius ejus mysteria, tamdiu flexis genibus adorarunt, quamdiu Duranus vacavit recitando

do hymno, cujus initium est: *Vexilla Regis prodeunt* &c. cum oratione pro festo die exaltationis Sanctæ Crucis. Oppido nomen a D. Joanne Nepomuceno impositum est.

LVIII. Post hæc monuit ille Guanas redeundum sibi esse in urbem Assumptionis, ubi multa jam pararat ipsis utilia, telarum volumina pro vestibus, feramenta pro struendo templo, & sacra utensilia, & munera alia, quæ illinc advehenda erant. Reditum post quinque lunas (ita menses numerant) promittit, addens daturum se operam, ut auctis sacri laboris sociis, singulis pagis singuli attribuerentur. Ergo iterum centum, & plus eo, leucarum itinere ad urbem revertit, atque ab optimo Prætoro Carolo Morfi impetravit dari sibi lembum ad onus transportandum. Eo concenso, adverso Paraguayō navigavit ad ostia usque fluminis Ypane, quod in illum influit. Inde ipse equo, quo iter acceleraret, per oram Paraguayi occidentalem ire ad Guanas perrexit, designato portu, ad quem remiges acturi essent lembum. Verum hi vel labore fessi, vel metu Payaguarum, qui ultro citroque per Paraguayum cymbis volitant, post tridui viam (cum multorum adhuc dierum itinere a condito loco distarent) converso cursu, relictoque onere in obvio oppido Mbayaram, ad urbem Assumptionis secundo amne ignavi reverterunt. Monitus Duranus, qui eos opperiebatur, quid actum esset, doluit vehementer tantum rebus gerendis impedimentum injici.

LIX. Itaque cum Guanas edocuisset, quid præter expectationem suam fecissent remiges, assumptis eorum aliquot, iter denuo in urbem arripuit, ut lembum alium, & fidelius remigium posceret. Cum ab urbe prætoria XV. dumtaxat leucis distaret, reperit forte XVII. kal. Sept. an. MDCCLXVII. ad amnem Tobati ducentos milites Paraguaycos, qui, ob vicinorum hostium metum, fines illos tuebantur: turma hæc Duranum plorans excepit. Mirari ille, & causam lacrimarum quærere. Respondebat nemo; at cum perseverasset diu rogans, quid mali esset? coacti illi tandem, ignaro etiam tum, quid in provincia ageretur, renunciarunt, Socios Paraguaycos omnes

nes ire in exilium iussos, atque jam comprehensos in urbe Assumptionis. Obstupuit Duranus: recepto dein spiritu Guanas comites flentes flens ad suos remisit. Ipse, confecto reliquo itinere, Prætori Morfio stitit se se, id unum ab eo obsecrans, ut, quando tam læta erat spes conversionis Guanarum, gentis mitissimæ, cultorem eis dignum daret. Hoc functus officio, & veneratus consilia Dei, cujus *inscrutabilia judicia*, & *investigabiles viæ sunt*, secessit in cœnobium RR. PP. a Redemptione, quod Prætor ipsi assignavit, ut eo detineretur, dum commeatus in portum Bonarum aurarum parabatur.

LX. At non Guanas solos studium & sollicitudo Petri Joannis spectabant: ipso nam præcipiente, atque instigante, data opera est inceptis aliis momenti summi. Quippe inito provinciæ magistratu scripsit ad curatores oppidorum, unde ad barbaros aditus erat, ut novis excursionibus, quotquot possent, elicerent e silvis. Elegit itidem binos intrepidi pectoris, & laborum tolerantissimos, Rochum Gorostiza, & Josephum Jolis, qui in medium Chacum penetrarent. Quantis autem periculis, atque incommodis susceptæ expeditiones utrique constiterint, difficile creditu, dictuque est. Gorostiza tribus itineribus venit ad flumen *Grande*, iensque & rediens sexcentas ferme leucas confecit, magno laboris pretio, ita enim barbarorum animos emolliit, ut secuti eum sint Chunupies, Passainesque, & Vilelarum tribus una, ac duæ Atalalarum, atque Ocoles, & Vacaaz, qui in tria oppida prope flumen Saltum deducti sunt an. MDCCCLXII., primum *Virginis a Pace* ad locum, cui nomen *Baltolome*, alterum *Virginis a Columna* ad *Macapillo*, tertium *Virginis a Bono Consilio*, *Miraflores* inter & *Valbuena*. Parte alia Jolis secum deduxit magnum Tobarum numerum, & aliquot Mataguayos, quibus positum est oppidum ad fluvium Auratum (*Dorado*).

FOVET

FOVET PLURIMUM PETRUS JOANNES
OPPIDUM S. PETRI MOCOVIORUM,

LXI. **P** Aranam, & Paraguayum amnem versus duo quoque oppida structa sunt, primum ex Abiponum gente an. MDCCLXIII. *Rosarii* nomine ad *Timbo*, conditore P. Martino Dobrihzoſſio; secundum S. *Petri* Mocoviorum, quod quidem cum fuerit ultimum operum Provincialis Petri Joannis pro statuenda certa sede Indis ante vagis, æquum est, ut nonnulla speciatim de eo dicamus. Vir præstantissimus Petrus de Cevallos, Prætor provinciæ Bonaurensis, cum plurima intellexisset de optimis moribus Mocoviorum oppidi S. Xaverii, quod oppidum non modo vicinæ urbi S. Fidei, sed toti præturæ utilissimum erat ad continendos motus barbarorum Chacensium, litteras amoris, benevolentiaque plenas ad Caciquios Xaverianos scripsit, laudans eorum constantiam in retinenda religione, & fidelitatem in Hispanum nomen, & Regem. Hæ litteræ à Caciquiis incredibili lætitia, quod tanti se a tanto viro fieri videbant, exceptæ sunt, recitataque publice inter festivós tympanorum strepitus. Hortabatur simul Prætor Xaverianos, ut ingressi in Chacum, quotquot possent e gentis Mocoviæ tribubus, quæ adhuc illac vagabantur, elicerent precibus promissisque ad sedem stabilem. Ergo ut votis & studio Prætoris de se optime meriti obsecundarent, egressi oppido sunt, implorata D. Xaverii patroni, cujus imaginem secum ferebant, ope. Iter prosperum fuit, & felix exitus. Persuadere barbaris stirpis Mocoviæ, propositis civilis vitæ commodis, ut in certum locum convenirent. Nec mora: CCC., mense Septembri an. MDCCLXIII. in Xaverij municipium descenderunt. Qui ibi curabat Florianus Pauke, assumptis tribus eorum dynastis, venit in urbem S. Fidei, illosque ad proprætorem Antonium de Vera, & Muxica, introduxit, docens propositum de condendo oppido, cujus causa nativas vilvas reliquerant.

LXII.

LXII. Proprætor amanter eos comiterque excepit; sed causatus est duram temporis conditionem (erat cum Lusitanis bellum , quo Cevallius idem Prætor Coloniam illam celebrem expugnavit) ne præsentī auxilio vota illorum promoveret. Grave id Caciquiis fuit, nec tamen (quod mirere) in Chacensia latibula refugerunt. Aggregarunt se se, spe in posterum fortis melioris, gentilium suorum oppido S. Xaverii. Anno proximo MDCCLXIV. Ill. D D. Emmanuel Antonius de la Torre, Antistes Bonaurensis, cum oppidum istud pro munere lustraret, duas Caciqui primarii *Amaquin* filias sollemni cærimonia baptizavit, dato nomine alteri, Emmanuelæ Antoniæ; alteri, Antoniæ Emmanuelæ; quæ res ad confirmandum in proposito patrem adhuc ethnicum (duxit enim sibi honori eam Episcopi dignationem) multum valuit.

LXIII. Post hæc, mense Novembri, venit eodem Petrus Joannes, qui, res sociorum recognoscens, provinciam circumibat. Ab hoc summis precibus efflagitarunt advenæ Caciqui, ut oppidum sibi seorsum poni curaret. Id ille optabat maxime: neque enim Xaveriani alendis (quod jam amplius anno fecerant) tot hospitibus pares erant, quippe quibus alimenta, vestesque, & cetera gratis danda erant. Verum migranti inde tantæ multitudini unde ista omnia suppeditarentur? Hic erat iusti postulati obex maximus: vicit tamen eum efficax, & acre contra obstantia ingenium Petri Joannis. Uno dumtaxat post mense, sub initium Decembris, cum Cordubam revertisset, extemplo Antonium Bustillo illuc misit, qui socius esset, & comes Floriani Pauke, futuri cultoris hospitum Mocoviorum in novo oppido. Ambo igitur eduxerunt secum dynastas advenas cum clientibus, quos Xaveriani in commodata positas sede rebus suis fovere perrexerunt, donec loci eisdem assignati a Prætorē Cevallio possessionem adierunt kal. Maj. an. MDCCLXV. Conditum oppidum est nomine S. Petri ad *Ispín chico*, ut dicunt Hispani, XXXVII. leucis ab urbe S. Fidei, & XIV. a S. Xaverii, occasum versus. Situs est optimus, constat enim bonis, quæ necessaria sunt ad deducendam colo-

coloniam, aqua videlicet, & coelo salubribus, agris circum fertilibus, & silva propinqua pro lignis ad ædificia, & domesticos usus.

LXIV. Petrus Joannes submisit quam primum novis colonis bubuli generis duo millia, deinde autem alia sex millia, & ovium duo millia, equosque & mulas magno numero. Idem pro templo argenteum calicem dedit, & tintinnabulum grande, sive Campanam, & sacras vestes, atque alia utensilia. Super hæc, eximius Prætor Cevallius (præter studium, quo nascens oppidum fovit) jussit ære suo coemi, tradique neophytis taurini armenti capitum mille, quibus addidit equestris ordo Sanfideanus millia, & ducenta, & collegium Jesuitarum trecentas vaccas, præter quadringentos aureos, & ornatus quosdam ædis sacræ. Proprætor ejusdem urbis Antonius de Vera, & Muxica, pollicitus est ultro, quamdiu eo magistratu fungeretur, se se quotannis centum & quadraginta aureos oppido S. Petri largiturum. His rebus cum satis abundarent cibaria, statim a principio dabatur quinto quoque die bos unus in quinque familias, die autem Dominica feminis singulis parvum demensum salis (magna hujus ibi caritas est) viris vero portio quædam e foliis ficci tabaci, quibus mandendis delectantur, & nonnihil herbæ Paraguaycæ ad portionem.

LXV. Hinc profelytos magnus ceperat amor recentis oppidi, ubi tam liberaliter habebantur, & quod consequens est, doctrinæ, atque institutionis patientes erant. Constabat quidem piis operariis sacer labor. Florianus, vetus Xaverianorum Curio, norat jam Mocovice loqui: cumque quotidie catechumeni diligenter erudirentur, ante annum a posito oppido centum circiter donati baptismo sunt, quo e numero fuere tres Caciquii. Præterea quindecim, qui prius polygami erant, una contenti uxore legitimas nuptias ritu Ecclesiæ contraxerunt. Supellex autem templi (ut nihil de aliis oppidi fortunis dicam) ita creverat, ut exacti illinc lege exilii Jesuitæ successoribus reliquerint pallas Sacerdotales, vulgo Cafulas, decem, albas vestes quinque cum reliquo Sacrificandi apparatu: calicem argenteum obdu-

ctum auro, pyxidem, ampullas, & catinum etiam ex argento. Fructum hunc biennio dumtaxat pepererat primus ille præfecti provincialis ardor. Sane & Prætoris optimi Cevalli munificentiae auctoritatisque, & curis industriæque Petri Joannis oppidum Mocoviorum debitum est.

SINGULARE ALIUD PETRI JOANNIS CONSILIUM PRO REDIGENDIS BARBARIS IN OPPIDA.

LXVI. **E**X iis, quæ modo diximus, satis liquet, quantæ fierent impensæ pro condendo vel unico oppido. Atque id quidem præ difficultatibus aliis retardabat maxime conatus sacrorum operariorum. Quippe quos in certam sedem coegeris, alendi tibi, vestiendique sunt, instruendique ad agri cultum, donandique securibus, cultris, & rebus ceteris, quibus vita socialis constat: illorum enim plerique, afluere prius raptò vivere, nihil penitus habent. Quod si jam te secutis in designatum locum illa neges, ad sua latibula regredientur, cum nihilo eis melius tecum sit, quam fuerit antea. Palumbes ipsos, natura mitissimos, numquam apud te retinebis, aut foras egressos domum revocabis, nisi curæ tibi sit illos pascere: quid vero accipitribus fiet, quid corvis? His comparari jure possunt illi barbarorum, qui equo utuntur, ut Abipones, & Tobæ, proterva, flectique nescia gens, objiciensque, cum cuti bene non est, largiorem sibi victum fuisse, quo tempore excurrebant in prædia & urbes Hispanorum; tum enim ex abacto armento se se abundasse cibo, & veste ex spoliis.

LXVII. Præclare in hanc rem, quam usu ipse expertus est, Martinus Dobrizhoffsus, quem supra laudavimus (a): discipuli, ait, in Europa alunt magi-

(a) In historia Abipos instituebant, nam quid num. Istud autem dicit ibi alibi, & ab aliis fieret, Martinus de modo, quo neque illius, neque mea in Paraguayci Socii Indos su- terest querere.

magistros suos: in America e contrario magistri alunt discipulos. Certe, Mocovii Xaveriani, optimi illi neophyti, ingenue fatebantur, ad alias causas, cur in stationem illam convenerint, & curatorem admitterint, hanc privatim accessisse, quod spondissent ultro Jesuitæ, procuratum ipsis iri cibum in oppido: qua conditione motos se vehementer: quandoquidem in silvis dura fame torquebantur; annuorum imbrum stato malo, neque venari enim, neque piscari, neque ex arborum cavis truncis mel colligere tum licebat.

LXVIII. Hæc diu multumque cum versasset mente Petrus Joannes, illud egregie excogitavit, ut posceret ad Chacensium conversionem, e qua Tucumanicæ præturæ pax, & otium pendebat, partem vectigalis (quod appellant *Sisa*) a Rege Catholico destinari. Videbat quippe hinc & barbarorum animos conciliandos Hispano nomini, & deductis jam in stabiles sedes secundum prudentem œconomiam suppeditari necessaria posse. Fuit in hos usus, ut dictum est, relictum prædium *Guazan*, sed hujus fructus ne uni quidem oppido condendo satis erant, nedum plurimis extituris sine ulla dubitatione e novo Petri Joannis consilio. Verum res hæc repetenda est paulo altius. Post mortem vigilantissimi Prætoris Stephani Urizar, eo miseriarum ob assiduas incursiones barbarorum provincia redacta erat, ut nusquam tuto consistere possent Hispani; vastatisque jam suburbiis, & prædiis, urbes ipsas deserere, atque alio migrare deliberabant, neque id sine justis causis. Quippe a solis Abiponibus abacta esse centum millia equorum, opinio multorum est, ait rursus Dobrizhoffius (a): ipse vero rerum illius gentis, quacum multis vixit annis, scientissimus, existimat equos ab eis ad ducenta millia abductos fuisse spatio quinquaginta annorum. Adde Abiponibus Tobas, adde Mocovios, adde alios, quanta fiet summa? idque solum de equis: de bobus autem ablatiis, & de ovibus, quis numerum ineat?

K 2

LXIX.

(a) Tom. III. Hist. Abiponum pag. 11.

LXIX. Igitur an. MDCCXXXIX. cum cepit magistratum Prætor Joannes Santissò vir consilio, & manu promptus, omnia latrociniis Indorum, & Hispanorum clamoribus plena erant. Ille vero bonum publicum non in deserendis urbibus, sed in reprimendis hostibus positum ratus, conventum omnium civitatum indixit. Convenere Saltam, quæ prætoriam urbs est, undique legati. His proposuit Santissus, malis, quæ a barbaris patiebantur, obviam iri posse, si ad Chaci confinia ponerentur castra, & præsidia cum opportuno militum numero, qui irrumpere hostes in provinciam non sinerent, inque ipsas eorum sedes composito agmine idemtidem excurrerent, ac siquos offendissent, opprimerent: vel si major esset acies, quam cui obsisti posset, viatorem statim in urbes mitterent, ut caverent. Placuit omnibus consilium.

LXX. Tum Prætor. In id operis necessariæ sunt impensæ multæ: excitandæ munitiones, comparanda arma, emendus tormentarius pulvis, præsidariis stipendium solvendum, & alia. Consulite in medium, unde ista cogenda sint. Post dictas sententias, legatorum omnium suffragiis decretum est, ut *Sisa* augeretur. Est *Sisa* vectigalis quoddam genus quod pro portoriis imponitur. Id ita communi consilio auctum est, ut in capita mularum e Tucumania in Peruvium exportandarum, pro quarum singulis binæ aurei partes prius pendebantur, penderentur deinde senæ: idemque fieret pro rata portione rebus in aliis. Summa autem exactæ sic *Sisæ* abunde suffecit pro impendiis illis omnibus, quibus validum repagulum contra grassatores Indos constitit. Vestigia autem prudentis Santissi cum tenuissent successores Joannes Espinosa de Monteros, & Joannes Martinez de Tineo, adeo attritæ provinciæ consultum est, ut fessi, fractique tandem barbari, cum aditus ad rapinam omnis oclusus esset, pacem petierint, qua tranquillitas ditioni Tucumanicæ reddita est, præsertim post posita oppida ad fines Chaci.

LXXI. His animadversis, ad impetranda subsidia pro conversione Chacensium præfectus provincialis Petrus Joannes exemplum litterarum ejusmodi misit Matritum. Sperandum non esse arma Hispanica subjur-

subjugatura penitus esse Chacum, quod innumerabilibus fervet barbarorum nationibus: non quin agmen Hispanum, si lecto milite, & bono constet duce, potentius sit Indorum manipulis: sed quod ii, visis Hispanis, si major horum vis, & multitudo est, abundant se in silvas, unde iterum egrediuntur, illis abeuntibus. Bina, eoque amplius, sæcula esse, nec tamen Hispanorum imperium umquam Chacenses recepisse: immo vero aliquot urbes, quæ in eorum finibus conditæ fuerant, ut *Guadalcazar*, & *Conceptio*, infestis animis armisque Indorum, periisse omnes, & ne unam quidem extare. Quod autem bello nondum factum est, neque fiet umquam, id Crucis virtute, & labore, zeloque *evangelizantium pacem* fieri posse: barbaros quippe paulatim delinitos mansuescere, neque eos (nisi cum ebrii sunt, ac cæco impetu in prædam vagantes irruunt) a Sacerdotibus ferme abhorrere, cum norint nihil ab inermibus timendum esse, & sibi præterea distribui ab eisdem solere munuscula quædam, quæ amant maxime: fiduciam vero hanc plurimum crevisse ex quo in oppida, ad fines Chici posita, evocati sunt Tobæ, & Abipones, & Mocovii, qui præ aliis feroces erant, magnisque affecerant cladibus prædia Hispanorum & urbes.

LXXII. Ceterum neque excursiones sacras fieri pro struendis oppidis, neque structas jam colonias retineri posse, sine impensis gravibus, cum alendi, induendique Indi sint; ac proinde ab una subsidii inopia retardari cursum Evangelii, eaque re effici, ne Christo Domino, & Regi Hispano dedant se se populi frequentissimi. Expenis autem istis inter initia necessariis fas esse provideri sine ulla regii ærarii jactura. Nosse nimirum omnes Tucumanos vectigal *Sisæ* & impositum, & auctum dein fuisse, ad cohibendas barbarorum incursiones: ex eoque nihil inferri in fiscum, sed reponi omnia in provinciæ usus. Pace autem ab Indis data acceptaque, & conditis propius urbes Hispanas novis Chacensium oppidis, imminutum esse magnopere præsidiariorum numerum, cum tot jam munitionibus opus non sit: auctarium tamen *Sisæ*, quod Prætore Santissimo imperatum fuit tristissimo provinciæ tempore, durare adhuc; quo fit,

fit, ut, post communes rei publicæ impensas, multa superflint. Constare satis Joannem Franciscum Peñatía, qui castra non necessaria deserui jussit, sesquianno coegisse e *Sisa* ad XXXII. aureorum millia, & successorem Joachimum Espinosa novo Prætoris magistratum adeunti millia LI. tradidisse: atque has summas utrumque Prætorem palam professum fuisse; erat enim id bene, & cum fide administratæ præturæ documentum, quod & in libris rationum publicarum recognoscere licet. Quæ omnia cum ita sint, nihil esse æquius, quam converti partem aliquam vectigalis instituti contra bellantes barbaros, post pacis fœdera, in eorumdem maximum bonum, vocatis ad fidem, & ad sedes stabiles Chacensibus nationibus, certa cum spe de aggregandis innumerabilibus Deo cultoribus, & Regi clientibus.

LXXIII. Hæ Petri Joannis litteræ animum Administræ Regii Juliani de Arriaga vehementer moverunt, easque Regi reddidit. Rex jussit ea de re agi in Senatu Indico, cujus e sententia decretum est: e vectigali *Sisa* in Tucumania duodecim aureorum millia separantor, eaque separata traduntor ad Chacensium Indorum procurandam conversionem, & condenda nova oppida. Acceptis his mandatis Limanus Prorex Emmanuel de Amat denunciavit Prætori Tucumanico rei judicatæ stare, eamque summam tradere. Frustra tamen, Prætor Tucumanicus (nomini parcitur) qui tum erat, tergiversando, procrastinando, causandoque nescio quæ, effecit, ne præberetur summa illa, donec victor abeuntes vidit Jesuitas in exilium.

LXXIV. Falsane vero bonus ille Prætor reperit, quæ ad Aulam scripserat Petrus Joannes, aut justæ non erant, quæ petiit? Vectigal creverat, impensæ in prædarios, cum pauciora essent castra, minores erant, deque *Sisa*, post usus necessarios provinciæ, multa superabant. At fortasse nimium decretum fuit XII. millia e depositis LI. millibus. Atqui ad initia oppidi Vilelarum (ut supra docuimus) cujus fautor, & patronus erat Antistes Tucumanicus, corrogata sunt IV. aureorum millia præter alia subsidia. Anno autem MDCCL. cum in oppidum evocasset Malvalas quibus

(quibus datus cultor est P. Josephus Felix del Bono) & Mataguayos (ad quos missus P. Josephus Ferragut) Joannes Martinez de Tineo Prætor, scripsit is de hac re ad Proregem Limanum Comitem de Superunda, qui optato lætus nuncio, tradi jussit Prætori in bina ista oppida octo aureorum millia. Verum Petrus Joannes non de uno, non de duobus, sed de ponendis oppidis aliis atque aliis toti Chacensium genti, quæ plurima est; agebat, proque condendorum exemplo & pignore, illa erant, quæ jam summis laboribus, atque impendiis condiderat.

LXXV. Quanta autem hinc præturæ Tucumanicæ proventura essent bona nemini non Tucumanorum notum erat. Quippe si Chacenses populi in Dei cultum, & Regis obsequium, concederent, liberum futurum erat commercium inter præturas Paraguaycam, Bonaurensē, & Tucumanicam, ac regnum Peruvicum: prius enini tuto nusquam iter suscipi poterat, cum repente equites barbari in viatores irrumperent ex insidiis, omniaque incestarent cædibus, latrociniiisque, adeo ut milites, qui custodiæ erant plaustris argentum publicum adsportantibus Potosio Bonasauras, oppressi aliquando fuerint occisique, argentumque Indis in prædā cesserit. Quod malum in Hispanos, atque adeo in urbes redundabat, ut jam de illis deferendis (ut dictum est) consilia agitentur. Et quamvis dispositis præsidiis a Santisso grassatorum audacia fracta est, tamen post primos illius successores, ubi alii Prætores ignavi desidesque provinciæ obtigere, omnia rursus perturbata sunt.

LXXVI. Ipse ille Prætor, qui conatibus Petri Joannis obstitit, testis erat, quam gravis, & dura fuit antea fors Tucumanorum; haud usquam enim inferre pedem poterat, ubi non offenderet tristitia factarum olim cædium monumenta. In aliorum exemplum sunt hæc loca, nominibus Hispanis reddita: *Las tres Cruces, Alarcon, Don Gil, Doña Lorenza, La punta, Las Sepulturas, Los Porongos, Rio salado, Rio verde, Rio colorado, Sumampa, Las Barrancas, Calamuchita, Sinsacate, Rio seco, Rio segundo, Santiago Sanchez, Ohoma*.... Sed quis loca omnia enumeret Hispanorum fumantia sanguine in Tucumania?

An.

An. MDCCXXXV. tribus dumtaxat leucis ab urbe prætorialia Salta quadrigenti amplius a barbaris uno die trucidati sunt, ut supra diximus.

LXXVII. Factum bene, quod Prætorem (quo de hic loquimur) cithararum & otii, quam belli & tubarum amantiores lætiora exceperint tempora. Id vero & ipse, & Tucumani debebant Petri Joannis, ejusque Sociorum operæ, & laboribus. Etenim positis ad confinia Chaci eorum cura vicis, interclusus est aditus, quo in prædia, & urbes Hispanorum irrumpebant olim barbari. Præter enim ea, quæ jam supra memoravimus, oppida, conditum aliud est Mocoviorum sub tutela *Sancti Xaverii* anno MDCCXLVI, aliud Abiponum, quod *S. Hieronymi* vocant, an. MDCCXLVIII., & sub idem tempus ejusdem gentis aliud titulo *Conceptionis*: tertium vero ex Abiponibus item, quod *S. Ferdinandi* appellant, an. MDCCCL: an. autem MDCCCLV. oppidum Tobarum, cui nomen *S. Ignatii*. Hæ stationes, ad Chaci oras circumpositæ, barbaros, qui mediterranea incolunt, continebant, non ausos tot propugnacula, ut ita dicam, perrumpere: neque tentare ob metum neophytorum ipsis obliturorum colonias Hispanas & pagos.

LXXVIII. Jam quæ bona ex istis oppidis in Hispanos orta sint haud facile explicatu est. Ad annum usque MDCCXLVI. vasta, & squalida erant omnia, neque feri agri poterant, nec curari armenta. Conversa deinceps fors rerum est. Nam post coactos in municipia Indos urbs *S. Michaelis Tucumanici* aucta civibus est, & culturam agrorum extendit Orientem versus XL. leucarum spatio. Urbi *S. Jacobi* accreverunt ad flumen Salsum C. circiter leucæ (a), quas impune frequentarent cives & armento, & frugibus. Corduba malis attrita, & pæne deposita, respirare coepit.

(a) Ne mireris tot leucarum spatia de una urbe dici, scito, in Tucumania, ubi coloniæ Hispanorum inter se longissime distant, attribui singulis urbibus latissimos fines pro colendis agris, pascendisque armentis.

cœpit. Salta, urbs prætoria, ad LXXX. circiter leucas pacatos campos, & pascua recuperavit. Xuxuium, quod ultimum Tucumanorum cis Peruvium est domicilium, finibus procul suis arceri vidit hostes.

LXXIX. Nullum tamen evidentius argumentum est utilitatis consecutæ ex positis oppidis, quam auctio decimarum. Hæc pro S. Michaelis Tucumanici finibus ante annum MDCCXL. redimebantur mille aureis, paulo plus: post annum autem MDCCCLX. quattuor aureorum millibus, & quingentis. Decimæ urbis S. Fidei, quæ ad aliam Chaci oram est, quadringentis tantum aureis prius valebant: neque id mirum, viginti enim annorum spatio XV. millia equorum a barbaris abacta e ditione Sanfideana sunt: postea autem creverunt decimæ ad quina millia aureorum, eoque amplius. Similis æstimatio esto de decimis urbium Cordubæ, S. Jacobi, & Saltæ, Causa tanti illius discriminis fuit, quia ante agri inculti, & pascua deserta erant: dein porro redierat cultura campis fertilibus, & armenta fovebantur: *conflarunt enim Hispani, metu barbarorum jam liberi, gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.*

LXXX. Unum hic omittendum non est, quod æquitatem imperatæ de *Sisa* pecuniæ admodum commendat. Carolus hoc nomine secundus e Senatus Indici sententia jussit an. MDCXCIV. sacris operariis ingressuris in Chacum, & victuris deinde inter barbaros, dari in præsidium XX., aut XXV. milites probos, strenuos, delectosque ab ipsis Sacerdotibus, qui ipsorum vitam tuerentur, quousque humanos sensus indueret gens ferox, quam excolerent. Agedum, ut XXV. milites armis instruas, & alas in America, opus sunt tria minimum millia aureorum quotannis. Atque hæc quidem e *Sisa* petenda fuissent. Tamen neque Petrus Joannes, neque alius Sociorum, qui Chacenses instituerunt, hoc Regis beneficio usus est, neque tale præsidium petiit, quo factum est, ut innumerabilibus periculis paterent. Haud igitur nimia erat summa, quam decrevit Carolus III. e *Sisa* pro futuris in Chaco oppidis,

LXXXI.

LXXXI. Ad extremum, ut, quæ supra diximus, fide consent publica, proferenda huc sunt testimonia magistratus Tucumanici, & Ordinis militaris de bonis in provinciam ortis ex institutione gentis Chacensis. (Agitur in auctoritatibus, quas subjicio, de oppidis positis in Chaco, curante Petro Joanne.)

TESTIMONIUM CIVITATIS S. MICHAELIS
TUCUMANICI AD PROREGEM LIMANUM
COMITEM DE SUPERUNDA.

ANno MDCCLVIII. Magistratus Tucumanicus scripsit ad Proregem his verbis....., Sunt tanti
,, momenti, atque utilitatis hæc REDUCTIONES toti
,, provinciæ, ut eis durantibus duratura sit pax, &
,, felicitas, quibus post illas conditas fruimur. Præ-
,, sertim Reductiones *Miraflores*, & *Vallbuena* sic te-
,, gunt, tuenturque hanc ditionem Tucumanicam, ut
,, ad interiora provinciæ penetrare non possint Indi
,, hostes, quin vim prius inferant oppidis istis, ubi
,, magnus est numerus neophytorum bellicoforum....
,, Quod si conjurarent nationes omnes Chacenses, ut
,, provinciam invaderent, procella hæc incubitura
,, esset primum Reductionibus istis, quo caveri inte-
,, rim posset finitimis prædiis, & prospici salutis co-
,, lonorum. Proinde pax & tranquillitas ad confi-
,, nia, mediamque provinciam (nobis antea non li-
,, cebat deponere e manibus arma, & plena erant
,, omnia terrore, nulla concessa otii, & quietis par-
,, te) debetur Soc. Jesu, quæ positis istis Reductio-
,, nibus ad claustra Chaci, occlusit ostium hostibus,
,, ne illac huc irrumpant, quod præsidia pridem stru-
,, cta nec præstabant, nec poterant. Nunc vero
,, felix hic rerum status consecutus est Hispanorum
,, virtutem, ac zelum indefessum convertendorum ad
,, fidem Ethnicorum, quo & Deo, & Regi, & publi-
,, co serviunt dicti PP. Quæ cum ita sint, ea nos
,, sponte nostra testamur &c. ,,

TESTI-

TESTIMONIUM ORDINIS MILITARIS TUCUMANICI AD EUMDEM PROREGEM.

„ **F** Ruuntur (ait ordo ille) tranquillitate & otio
 „ fines Saltenfes, & municipium Xuxui, tractusque
 „ Esteco, & prædia urbis hujus (*S. Michaelis*), quæ
 „ prius labefactata, & propemodum eversa fuerant
 „ ab Indis Tobis. Hæc omnia publica, & mani-
 „ festa sunt in hac provincia, uti etiam nota palam
 „ est utilitas, quæ provenit e supra dictis REDUCTIO-
 „ NIBUS, maxime aptis ad tuendam pacem, arcen-
 „ dosque hostes, sternendamque viam armis Hispani-
 „ cis, quæ jam victricia terrent, fugantque Indos,
 „ qui antea terrori erant toti provinciæ, quam depo-
 „ pulati sunt. Quapropter certa sunt bona, quæ
 „ emanant e constantia, & zelo, & ardore Patrum
 „ Soc. Jesu, patentque omnium oculis patientia, amor,
 „ & modus, quibus procurant conversionem Infide-
 „ lium, quos aggregant gremio Sanctæ Matris Eccle-
 „ siæ, & fidei Catholicæ, per magnos ipsorum labo-
 „ res, atque incommoda ob gravem situm misera-
 „ rum, & imperviarum regionum, quas adeunt stu-
 „ dio animarum, periturarum illic, nisi earum salutem
 „ consuleretur. Neque id aggrediuntur sine magnis,
 „ & apertis mortis periculis propter feritatem natio-
 „ num, quæ tot annis hostiliter vagatæ sunt, vastatis
 „ Hispanis finibus, & pagis, atque intercepto com-
 „ mercio, occupatisque viis publicis cum frequenti
 „ colonorum cæde, facta vel in ipsis suburbiis no-
 „ stris, atque Saltam prope, & Xuxuium: quod qui-
 „ dem nemo in provincia ignorat, & cunctis constat
 „ itum fuisse obviam malis illis objectu Reductio-
 „ num, quas curant Patres Soc. J. harum enim fru-
 „ ctus, & beneficium est tranquillitas & pax, quibus
 „ provincia nunc gaudet &c., His binis auctorita-
 „ tibus, quæ Matriti an. MDCCLXI. publicis typis edi-
 „ tæ sunt (4), simile erat testimonium Ordinis Eccle-
 „ sia-

(4) In Vita P. Fraguays S. V. pag. 82. & cisci Ugalde occisi a Ma- 83.

gaſtici, cujus verba reddere non poſſum, cum ad manum non ſint.

PETRUS JOANNES DEPORTATUR IN EUROPAM.

LXXXII. **P**raefecturam provincialem, quam quadriennio geſſit, ubi depoſuit Petrus Joannes, deſignatus eſt Rector collegii Cordubenſis, quod munus haud diuturnum illi fuit. Vix annus abierat, cum lege regia e tota Paraguya exacti ſunt Jeſuitæ. Tum Indi, cari illi Indi, quorum cauſa tanta egerat, paſſusque fuerat, relinquendi neceſſario fuerunt Petro Joanni, cui, caſu in tanto, conſtitit animus, neque inertī ſe ſe ille dedit trititiae. Intempeſta nocte tribunus militum Ferdinandus Fabro, veram celans cauſam, aperiri ſibi collegii januam fecit, rectaque cum militibus iens ad cubiculum Petri Joannis, ſurgere eum e lecto juſſit, quod & ipſi, & contubernaliſus omnibus indicendum eſſet mandatum quoddam regium. Ubi ille raptim veſtitus ſtetit, designa, ait Tribunus, locum amplum, quo omnes conveniant. Ad hæc tranquille Petrus Joannes, ſine me, amabo, pauliſper, dum de more hujus diei, quem inimus, futura opera Deo offero: obtulit breviter, & quidem multo erant plura, quæ offerret, quam alias conſueverat, ſumma ignominia, mala innumera, & ærumnæ, & labores ſeni intolerabiles. Functus pio illo officio, designavit triclinium, eoque coacti ſumus omnes (unus e collegio ipſe eram) poſitumque eſt ad illius oſtium militum præſidium. Attonitis autem nobis, animoque ſuſpenſis, quo ea tenderent, exilium tandem indictum eſt.

LXXXIII. A lecto regio decreto, Tribunus omnium cubiculorum claves petiit, nobiſque, arcta illa incluſis cuſtodia, permiſſum non eſt foras egredi, ne ad ſacrum quidem contra Regis mentem. Poſt altum ſilentium, quo excepimus rem inopinatam, Petrus Joannes, ut (confirmatis jam a perturbatione animis) Dei nos judicio ſubmitteremus, legi juſſit librum, cui titulus *Exercitia perfectionis*. Lectum autem

tem est opusculum, quo auctor summus rerum spirituum Alphonsus Rodriguez agit optime de nostra consensione cum divina voluntate, quæ nimirum doctrina vehementer nobis necessaria tum erat.

LXXXIV. Interea Tribunus cum parte militum omnia excussit cubicula. Forte in Præfecti scrinio clavem reperit, cui adjecta erat schedula hac inscriptione: *CLAVIS SECRETI*. Triumphare hic ille gaudio, quod deprehendisset indicium Cordubensis thesauri, magnam enim secum opinionem Bonisauris, unde missus est, attulerat de immensis divitiis collegii maximi. Et de his quidem interrogatus Petrus Joannes respondit, pecuniam collegii paucam admodum esse, neque per id tempus e prædiis tantum collectum fuisse, quantum satis esset alendo ingenti numero Scholasticorum, Magistrorum, atque Operariorum, quibus constabat domus illa, ac proinde petiisse se mutua ab Decano Collegii Canonicorum Cl. V. Josepho Garay ad usus necessarios quattuor aureorum millia, ut constabat e syngrapha, quam apud se creditor habebat. Hæc ille ingenue.

LXXXV. At tribunus confusus *CLAVI SECRETI*, vide, inquit, Rector, quid ajas: prome veras divitias, & scito posse te adigi ad jusjurandum, ut rem aperiās. Tum ille: & scito vicissim tu, Tribune, a me ne pro toto quidem terrarum orbe vel leve mendacium dictum iri: idem juratus, si jusjurandum exigas, dicam, quod dixi injuratus. Tribunus iterum, si ita res habet, hæc clavis (eam ostendit) quid, ait, sibi vult, quo ducit? Usus hujus clavis, quando te sic movet, brevi accipe. In tabulario parvus est locus, hujus loculi hæc est clavis. *SECRETI* dicitur, quod illic litteræ sint Præpositi Generalis secreto servandæ, neque fas est nobis eas legere nisi iussu tempore. Etenim cum ille, secundum leges Instituti nostri, Præfectum totius provinciæ designat, simul mittit præter litteras statim legendas, alteras sigillo obsignatas, quibus alium Provinciale substituit, si forte (ut tam longe Roma hinc distat) ille cui præfecturam mandat, mortuus sit, vel (si quidem ille magistratum ineat, & definito quadriennii tempore eum gerat) nondum interea novæ litteræ
ex

ex Urbe allatæ fuerint. In hunc casum, quem nos appellamus *casum mortis*, illæ *Secreti* litteræ sunt, quæ, si alterutrum vel mortui Provincialis, vel absoluti jam legitime magistratus, contigerit, coram Senatu provinciæ resignantur, ac successor extra ordinem renunciatur, qui præsit Sociis, quousque ordinarii Provincialis designatio ab Urbe venerit. En tibi totum mysterium hujus *Clavis Secreti*, quæ nihil ad divitias attinet. His auditis, ad indicatum tabularii loculum Tribunus it, eum aperit, inclusas illic Præpositi Generalis litteras pro *casu mortis* resignat, legit, & deprehendit nihil non sincere, atque ex fide dictum a Petro Joanne. Et nos quidem a Tribuno sponte sua rem, ignotam adhuc omnibus, patefaciente didicimus, quis *casu mortis* successurus esset Emmanueli de Vergara, qui Provincialis erat, & paucis ante mensibus Corduba discesserat, ut collegia, & oppida curæ Sociorum commissa lustraret.

LXXXVI. Ergo, paratis ad iter rebus, e custodia illa tricliniaria educitur Petrus Joannes, deportaturque Bonasauras. Illinc, nulla quietis parte concessa ab via centum, & triginta leucarum, in sinum *Bar-ragan* (loci nomen est) deferitur, imponiturque in navim, qua Oceanum trajecit, potiusque portu *S. Mariae*, post menses aliquot rursus mari committitur, ac prætervectus fretum Gaditanum in conspectum venit insularum Balearium, ubi affluentem bonis, & tranquillam vitam agere potuisset opum paternarum heres, nisi omnia ultro dimisisset ob Dei obsequium, & Indorum salutem. E conspectu autem patriæ ipsi dulcissimæ abripitur vento, & in Corsicam, Jesuitis exulibus destinatam, appellit. At ne hic quidem quieto ei esse diu licuit ob flagrans tum bellum Corsos inter & Gallos, quibus tali tempore cum importuni essent tot hospites Jesuitæ, amandatur ille cum Sociis navi gallica in Liguriam. E Liguria devehitur in Æmiliam, tandemque Ravennam tenuit, quæ ipsi finis vitæ, & sepulcrum futura erat. Nos paucis verbis infinitam materiam rerum variarum conclusimus. Satis vero per se ipse quivis intelliget, quanta & æquitate animi, & patientia seni, Petro Joanni opus fuerit inter tot casus, itinerumque discrimina.

PE-

PETRI JOANNIS VIRTUTES.

LXXXVII. **P** Rinceps Petri Joannis virtus fuit studium convertendorum ad humanum cultum, & religionem Indorum. Secundum zeli hujus laudem, reddidit illum maxime commendabilem eximius candor, & naturalis quædam simplicitas, modusque agendi apertissimus. Valebat ingenio, & meruerat publice theologiæ, atque utriusque lauream juris; & tamen erat, ut ita dicam, *quasi modo genitus infans*. Expers simulationis omnis aliud in ore nil habuit, quam quod in animo: *non* Petri Joannis, *non* erat; & *est* ejus, *est*, sine ulla calliditate, quæsitove artificio. Hinc excidebant ei nonnulla sive in sui contemptio- nem, sive contra in honorem, & gloriam, quæ non nisi liber ab omni versutia diceret. Cum ageretur quondam de periculis, quæ oriri possunt e viso in silvis grege feminarum vel nudarum, vel seminuda- rum, ingenue professus est, sibi cum tot annis, & toties in earum latibula penetrasset, ut in oppida ad instituendum vocaret, ne minimam quidem cogita- tionem impuram subiisse: quippe cum e solo fidei amo- re ea loca frequentaret, singulari hac castimonia or- narat illum Deus.

LXXXVIII. Alias cum & ipse, & bini alii Socii convenissent, Divo Ignatio die sacra, in templum ruri attributum domui nobilis Hispani: quid, ait ille, parentis vestri festa lux sine panegyri abibit? Tum ad eam habendam invitavit unum e Sociis. Hic causa- tus temporis angustias (instabat jam sacrificii solle- mnis hora) rejecit rem ad Petrum Joannem, qui id obsequii in ducem suum, patremque optimum, non recusavit. Commentatus paulisper in publicum pro- dit. Progressus jam in laudando Divo, repente sub- stitit, ac me, ait, memoria fallit, aberroque a pro- posito argumento: revocato deinde apud se rerum ordine, dicere perrexit. Atqui confessione illa nihil opus erat: periti auditorum norant orationem illam extemporalem esse; alii erant rusticani, qui aberrare- retne, an non, per se ipsi non intelligerent, neque aliud

aliud quærebant, quam ut de præclaris Ignatii virtutibus, rebusque gestis, utcumque diceret; texturæ, & artis solliciti non erant. Tamen Petro Joanni ingenua erroris confessio existimatione sua antiquior fuit. De mandato ipsi præter expectationem magistratu totius provinciæ ajebat, Provincialem se factum *de Zapallo*, quod vulgi illic sermone tantumdem sonat, ac quid gestum temere, præterque statam rerum seriem. Idem illi in scribendo modus, sine fuco scilicet. Editæ sunt in lucem lucubratæ ab eo Vitæ Petri Antonii Artigues, & Francisci Ugalde, quorum ille sudore multo, hic fuso Sanguine Chacum irrigavit. Hæ vitæ auctorem referunt: scriptæ sunt stilo, non illo quidem contemnendo, sed plano tamen, & simplice.

LXXXIX. Paupertas individua semper comes fuit Petri Joannis, qui pauperrimorum hominum ministerio se se penitus addixit. Tenuis, & parabilis victus, atque in suis illis expeditionibus sacris, vel e siccata ad solem carne, vel e tosto frumento Indico (de potione inibi foetida, & lutulenta, satis supra dictum est.) Vestis ex eadem illa tela, qua neophyti induebantur, tela rudi, & vili. Tibialibus numquam usus est nisi e macerato corio. Quod ad obedientiam attinet, ea egit, atque ibi fuit Petrus Joannes, ubi eum esse præfecti voluerunt, & quæ jusserunt agere. Fuerat perpetuus Chacensium Sociorum Superior, ex quo ferme in Chacum venit. Uni post e moderato-ribus Provincialibus visum est præficere Josephum Felicem del Bono: Petro autem Joanni demandavit administrationem prædii *Guazan*, quod ipsius olim opera partum fuerat, auctumque industria: atqui hoc tunc prædium tanto ille ardore coluit, quanto in medium Chacum excurrerat: neque vero non agebat tum causam Indorum, pro quorum conversione procuranda collecti illinc fructus impendebantur.

XC. Castitas (nonnihil jam de ea dictum antea) quam cordi esset Petro Joanni, gravitas cautioque agendi cum feminis (quas eductas e silva in oppidum protinus curabat honeste indui) & modestia, & circumspectio, & vexatio corporis assidua argumento sunt. Accessit ad eandem tuendam implorata frequen-

quenter *Mater pulchræ dilectionis*, & *timoris*, MARIA VIRGO, quam singulari semper ille obsequio profectus est; præterque alia in ejus honorem frequentata, quotidie inter maximas occupationes Rosarii preces, vel si hospites adessent, positis genibus recitabat. Major autem ejus (ut par erat) in Eucharistiam cultus. A sacrificando nulla abstinebat die, nisi plane litandi modus deesset in desertis locis: ac tum quidem peregre deprehensus, si magno suo incommodo, vel longo itinere, ad sacram ædem aliquam pervenire posset, eo properabat: ut fecit toties, & tamdiu, cum e pascuis montis *Anconquixæ* duodecim leucarum via sacrificatum ibat trans montem, qua de re supra diximus. Sacrificabat autem summa animi reverentia, & sensu pietatis: ac præterea cum interdiu se se in templum conferebat ad latens Numen adorandum, e vultu totoque corporis habitus foras prodibat ejus religio.

XCI. In res autem dicatas Deo ingens erat Petri Joannis observantia. Cum Prætor Tucumanicus ab illo, domui Cordubensi præfecto, poposcisset symphoniacos (quos ad templi functiones aiebat Collegium maximum) in choreas, quas homo levis volebat noctu ducere, recusavit dare, responditque musicen illam unice institutam esse pro divino cultu, nec decere profanis eam ludis spectaculisque addici, *quæ enim societas luci ad tenebras?* Opposuit apparator ille nocturnæ saltationis nomen, & auctoritatem Regis, cujus pro honore choreas se illas indixisse agebat. Quid facies homini abutenti veneranda Principis majestate? Atqui Prætor tam studiosus decoris regii, idem ille est, qui Senatus Indici consultum, qui Proregis Jimani mandata, qui legem Regis Catholici Caroli III. de numerandis e vestigali *Sisæ XII.* millibus (ut dictum est) aureorum ad conciliandos Christo cultores, & Regi novos clientes (qua in re agebatur totius Tucumanix bonum) omni elusit arte, nec paruit. Verum non longo post tempore ab actis in exilium Jesuitis adempta illi est facultas omnis saltandi, incidit enim in tristissimam tragoediam, quam explicare nostrum non est.

FIDES SPES CARITAS PETRI JOANNIS.

XCII. **F**ides quæ & qualis in Petro Joanne fuerit, tot itinera pro vocandis ad eam Indis, & tot suscepti labores pro neophytis instituendis, satis superque demonstrant. Spes autem, & Dei fiducia ad aggredienda cujusvis generis pericula eundem animabant. Et quidem tanta adiit vitæ discrimina, ut mirum sit, non telis barbarorum fuisse ipsum aliquando obrutum. Semitas terebat, quas illi prædabundi frequentabant, incestabantque rapinis, cædibusque: & tamen Petro Joanni nihil triste accidit, ne tum quidem, cum ebrius quidam arreptis sagittis jam jam tergo ejus instabat, sed ferire prohibitus est nescio quomodo, aut a quo.

XCIII. Ab spe, cum viva & firma est, oritur magnanimitas quædam, & constantia, quæ nullis cedit difficultatibus rerum. Hæc quoque in Petro Joanne insignis fuit. Oppressus sæpe, & diu, maximis necessariæ opis angustis, numquam despondit animum, ivitque audentior in adversa, ut apparuit inter exordia susceptæ Lulium curæ, & post in quærendis Omoampis. Neque vero labor erat unicus in congregandis barbaris, educendisque e silva, cum multo deinde gravius onus succederet. Quippe postquam Indi coacti sunt in oppidum, tum sacri ministri acerbissimæ ærumnæ, & curæ maximæ incipiunt. Assueti illi licentioris vitæ moribus, solutis, hos longum dein tempus retinent, unde plurima redundant mala, quæ quemvis deterreant, nisi ob unam Dei gloriam, & salutem animarum, obfirmet animum ad dura quæque, & ardua perferenda.

XCIV. Poscit hic locus, ut quasdam ejusmodi acerbarum rerum in Indorum ministerio, exempli causa, innuam. I. Ebrietatem, cui intemperanter dediti sunt barbari, non nisi tardissime dediscunt. Nam si hic, in culta Europa, cum quis laborat hoc vitio, neque amicorum precibus, neque concionatorum declamationibus, neque minis, legibusque magistratuum, neque sacrorum judicium consiliis, eo ferme

ferme abstinere, sed qui temulentus vixit, temulentus idem moritur; quid fiet miseræ genti, *tenebris obscuratum habenti intellectum*? Monet curator, reprehendit, indignatur: verum post monita, post reprehensionem, post edita indignationis indicia, dissimulet, oportet, nisi pessum ire velit omnia. Erat in oppido novo Chacensi Thomas Borrego, qui vivit adhuc. Hunc media nocte excitavit Indus recens a silva. Quis tu, ait ille metuens nequid gravius accidisset, quid vis? Ego, inquit, sum (nomen prodidit) & peto a te veniam eundi dormitum; multum enim bibi. Quod si ebrii omnes hujus essent ingenii, minus leviusque foret malum. At vero e computationibus illis suis rixæ frequentes erumpunt, & cædes, inter quas ne sacri quid Operarii vita secura est.

II. Devoranda sunt tædia, & fastidia innumerabilia, ut sensim ad Catechiscum eliciantur: dicunt enim se, ætate jam adulta, nihil novi posse discere, fatisque esse, si pueri intersint institutioni: & bene quidem actum cum curatore est, si vel filios in templum mittant (a). *Neruigini*, princeps Caciquiorum inter Abipones, cum de condendo oppido S. Hieronymi ageretur an. MDCCXLVIII., eam conditionem apposuit, ut juvenes tantum mysteria Religionis docerentur: nos autem, agebat, qui jam consenuimus, more nostro sinamur vivere, ac sentire. Nolumus addiscendis Hispanorum rebus caput nostrum obtundi. Conditionem admisit Proprætor Sanfideanus, sperans patientia Jesuitarum effici posse, ut & senes etiam Catechismo aures darent. Neque vana fuit spes, præter enim pacem, tranquillitatemque urbi Sanctæ Fidei redditam, an. MDCLXVI. erant illo in oppido Christiani omnis ætatis octingenti (b). III. Recusant barbarorum nonnulli baptismum, ab eoque

L 2

filios

(a) Observatum est (ait Cl. V. Fran. Xav. Clavigerus) Indos senes multo difficilius ad fidem conversi: cujus rei duas reddit causas, & quod ætas illa minus docilis sit, & quod magis assueta vitiis. (Hist. Calif. tom. II. pag. 54.)

(b) Martinus Drebrizhoffer tom. III. Hist. Abiponum pag. 125. & 424.

filios prohibent, quod putent infusa lustrali aqua mortem arceri: & laboris est haud exigui ab hoc eos errore deducere (a). IV. Importunissimi sunt in petendis cultris, securibus, ferreis cuneis, vestibus, tabaco, & aliis, quæ aliquando Curator non habet: agente autem eo, dari optata non posse, discedunt irarum pleni, jactitantque tertio quoque verbo redituros se se in silvas: periculumque est ne deinde (quasi in negato munere, cujus desit copia, injuria ipsis fuerit facta) cum repulsæ ebrii reminiscuntur, Sacerdotem invadant, mactentque. V. Abeunt sæpe ab oppido, ut gentiles suos revisant, atque inde multo moriosiores redeunt: quæ vagandi licentia ingratiſſima est sacro ministro, cum neque institutioni ea frequentia, qua opus est, intersint, nec corrigant veteres mores: perinde ac si equus coeptus domari, ruptis frenis in nemus refugiat, ibique diu lasciviat, & fractos spiritus corroboret denuo. VI. Laborare pro suo ipsorum victu nolunt, & si stimulat quid agunt, exigunt a Curatore, qui opus urſit, mercedem labore multis partibus majorem, quasi non sibi & serant, & metant. VII. Seminatos agros negligunt, corrumpuntve: nec positis parant armentis, quibus & per se ipsi nocent, occisis gulæ causa vitulis, & per canes, quorum singuli gregem alunt, irruunt enim illi in recentes foetus. VIII. Suspiciſſimi sunt, & timent perpetuo tradendos se se Hispanis in servitutem: ac delira anus, ridiculum narrans somnium, satis est, ut omnia lymphati turbent. IX. Levi nonnumquam causa, vel non alia omnino quam desiderio natalis soli, ab oppido aufugiunt.

XCV. Contra mala hæc, atque his malis similes casus quosdam, eventaque improvisa, fortis sit Indorum cultor, & constans necesse est: talisque fuit profecto Petrus Joannes, qui, qua erat rerum experientia, reliquit scripto monita hæc vere aurea: „ Cui „ notus sit, ait, amor incredibilis, quo in terras, „ ubi

(a) *Guaſa*, veteratores tremæ unctiōe adultos, & Indi in California, dice- Sacerdotibus occidi. (Hist. bant baptismo pueros, ex- Calif. tom. I. pag. 261.)

„ ubi nati altique sunt, feruntur Indi, haud ille mi-
 „ ratur, si oppidum repente deserant, eoque re-
 „ vertantur, ubi cor illorum est. Omnium tamen,
 „ qui in oppidis habitaverunt aliquamdiu, certa est
 „ spes reditus: cum enim desiderium illud suum re-
 „ visendi natalis soli utcumque expleverunt, si sacer
 „ Operarius eos iterum adit, facile sequuntur revo-
 „ cantem in oppidum, vel etiam sponte sua redeunt
 „ fame pressi, memoresque, quanto ipsis erat melius
 „ in statione, unde in silvas refugerunt. Atque has
 „ inter eundi redeundique vices multi abeunt anni,
 „ donec firmi fixique in oppido tandem perseve-
 „ rant: „ Et tum quidem, altiores radices agente
 paulatim morum disciplina, operario vineæ Domini
 suus constat fructus diuturnæ patientiæ.

XCVI. Sunt qui ab educta e mediis silvis barba-
 rorum tribu protinus optima, & consentanea recto
 ordini, rationique exprimi vellent. Optandum id
 quidem est, sed non sperandum, *perverſi enim diffi-
 cile corriguntur.* Huc ea spectant, quibus sanctissimus
 Indorum cultor Xaverius instituebat laboris sui so-
 cios, eos exhortans, „ Ut in novis Christianis ex-
 „ colendis non fortius, quam perseverantius eorum
 „ perferrent vitia, infirmitatem sustinerent, frugem-
 „ que sementis factæ, laborumque (quamvis seræ
 „ spei) fructum veluti boni Christi Domini agricolæ
 „ expectarent, haud ignari, *Qui seminant in lacry-
 mis in exultatione messuros.* Quod si talibus initio
 „ Christianis non uterentur, quales expeterent, ita
 „ se cum iis gererent, ut cum improbis filiis boni
 „ parentes: Deique benignitate freti, qui hominum
 „ mentes suo demum tempore ad bonam perducit
 „ frugem, non diffiderent eos aliquando tales fore,
 „ quales optarent. Proinde numquam desinerent illos
 „ omni studio colere, præsertim cum Deus communis
 „ omnium parens quamvis læsus a nobis, benigne
 „ tamen omnibus facere non desistat. „ (a) Atque
 idem alias moestum Henricum, quod parvum ipsi in
 Travancoride constaret operæ pretium, consolatus
 aman-

amantissime est. „Memorans longe plus illum pro-
 „ficere, quam crederet. Nam si nihil aliud, non
 „exiguos infantum ac puerorum greges, quos imma-
 „tura mors ad sempiternum raptura foret interitum,
 „ab ipso baptizatos utique conservari. Ut enim
 „adulorum pauci ad beatorum sedes pervenirent,
 „certe exploratam salutem esse eorum, qui prius
 „vitæ hujus usuram, quam baptismalem animi car-
 „dorem amitterent. „(a) Quæ omnia volui ver-
 bis reddere diligentis juxta ac disertis scriptoris Vitæ
 Xaverii.

XCVII. Ceterum difficultates illæ (quas paulo
 ante commemoravimus) super Indis curandis, intel-
 ligi debent præsertim de barbaris, qui equo utuntur,
 ut sunt in Paraguya Charrux, Malbalæ, Tobæ,
 Mbayæ, Guaycurui, Mocovii, Pampæ, Chiriguan-
 ni, & Abipones. His ultimis oppidum posuit, an.
 MDCCLXIII. Martinus Dobrizhoffs: quales autem
 novi coloni essent, pulchre ipse explicuit: propræ-
 tori enim Assumptionis Fulgentio de Yegros, mo-
 nenti per litteras numerum, & nomina ederet Cate-
 chumenorum, quos instituebat, ut ageret cum quæ-
 store de censu, quem assignat Rex Cath. in victum
 Operariis Indicis; rescripsit ille pensionem regiam
 non audere se poscere, quod colonia illa sua non
 Catechumenis constaret, sed Energumenis. Stipen-
 dium vero solvi militibus solitum, sibi utique deberi:
 neque fore ullum in provincia vel Tribunum vel
 Centurionem, qui ad unum mensem tot pericula,
 tot labores, tot ærumnas vigiliæque quantovis ære
 tolerare vellet, quot jam biennio ipse in tuendo op-
 pido illo pertulisset (b). Et quidem cum coacta
 illuc tribus ea Abiponum fuisset, ut & ipsi abstinerent
 a maleficiis, & repagulo essent contra alios Indos
 noxios provinciæ, potuit Martinus medicinam sal-
 tem, & impensas exigere e fisco in grave vulnus,
 quod brachio exceperat, cum stans pro vallo suos de-
 fendit contra obsidentes barbaros, qui ægre ferebant
 statio-

(a) Idem lib. III. c. 16. tom. III. Hist. Abiponum

(b) Martin. Dobrizh, pag. 515.

stationem illam consistere equitum in equites. Pedites autem Indi (ut Omoampæ, & Guanæ, quos supra laudavimus) multo mitiores, & dociliores ingenio sunt.

XCVIII. Redeo ad Petri Joannis spem, unde digressi sumus. Tanta illi erat Dei remuneratoris fiducia, ut nimia aliquibus videri possit. Pro suo illo candore auditus aliquando est dicere cuidam seni, confidere se purgantis flammæ expertem in coelum recta iturum. Senex, qui & pius erat, & rerum spiritualium admodum sciens, id quidem dixit haud facile sibi quemquam posse promittere: non illud certe sperarunt viri plurimi sancti perfectique, quia *in multis offendimus omnes*, & Deus *scrutatur Jerusalem in lucernis*. Est ita, respondit ille; sed pro admissis culpis non putas tu benignissimum Dominum, tot sudores, & molestias, & incommoda, ejus causa tolerata, loco expiatorii ignis accepturum? Utrius verior fuerit sensus, ambo pridem norunt, uterque enim *jam judicatus est*. Haud tamen hac Petri Joannis fiducia fiebat, quin bonis operibus contractas elueret noxas, debitasque pro eis poenas solveret intentus Numini propitiando. Ac sane multo ante mortem, cum valeret adhuc, collata eleemosyna curavit sibi a multis Sacerdotibus piacularia sacra litari, quibus expeditum sibi aditum in beatorum sedes pararet.

XCIX. Caritas in Deum aluit, & auxit ardorem illum Petri Joannis pro amplificanda divina gloria, cultuque Numinis promovendo: eadem autem virtus in proximos redundans dies ipsum noctesque impulit ad indefessum studium, & invictam constantiam, quibus temporariæ Indorum felicitatis, atque æternæ satagebat. Etenim nihil ei pretiosius erat vel dulcius, quam vel unius animæ salus. Anno MDCCLI versabatur forte in munitiuncula S. Ferdinandi ad flumen Vallis (sic vocant) cum Prætore provinciæ. Is Indum ethnicum ad suspendium damnavit. Post sententiam Petrus Joannes, & Josephus Ferragut homini infelici persuasere, ut Christianus fieret, & edoctus necessaria, baptizatus est. Dicitur idem Petrus Joannes in suis illis expeditionibus ad barbaros invenisse quondam recentem foetum, a matre parum pia inter dumeta desertum.

Hunc

Hunc ille, veluti e nido implumem pullum, sustulit, applicitumque sinui advexit in oppidum, ubi nutricem dedit, quæ aleret, tanta Petri Joannis voluptate, & gaudio, ut deinde diceret, novisse se tum maxime, qui amor in filium bonæ esset matris, qui enim sibi nihil in via timebat, omnia timuisse gestato oneri, ne humi excideret, aut lactis expers exspiraret.

C. Unum erit, quod nonnulli in Petro Joanne non laudent, vel etiam vituperent, subirasce videlicet visum interdum, si quis consiliis ejus obviam iret. Id verum est, atque hunc ille æstum traxit fortasse a patria; Balearis enim gens ardens ferme est. Sed tamen bilis illa instar erat æstivæ flammæ, quæ medio in aere repente apparet, & repente evanescit. Placabile Petri Joannis ingenium, tædia facilia: & nondum digresso illo, cui succensuerat, residebat prorsus motus omnis, ac solitis ipsi utebatur verbis, seu formula: *eia, vaia, bueno está*, id est, *eja, esto, bene habet*. Equidem igniculos istos referri posse arbitror ad eamdem illam simplicitatem animi, & candorem, de quo supra diximus: quod enim intus displicebat, id amaritie quadam ingenua significabat: quod certe tolerabilius est ficta illa dulcedine, & lenitate, quam aliqui ostentant, etiam cum intrinsecus pleni odio sunt, atque implacabiles, utpote quibus placet *cor machinationibus tegere, & sensum verbis velare*, pro ut vasis hominibus exprobrat Magnus Gregorius.

PETRI JOANNIS PIA MORS.

CI. **N** Arravimus jam Petrum Joannem post ejus in Æmiliam adventum concessisse Ravennam. Ex eo tempore, cum Indos suos non nisi votis, & desiderio adjuvare posset, totus in sui curam, inque mortis expectationem incubuit. Sane is deinceps vitæ tenor fuit, qui decebat hominem mortalia fastidientem. Partiti diei hæc erant ordinariæ exercitationes. Post meditationem rerum cælestium, factumque sacrificium, & redditas diu grates, ubi paululum domi quieverat, in templum redibat, &, quotquot poterat, Sacris Missæ lumina pietate intererat: tum etiam Litanias Sancto-
rum

rum recitabat; sub meridiem vero acta, cōgitataque eo mane sui censor excutiebat. Hæc ejus opera præter horarium pensum Sacerdotum ante prandium. Pomeridiano tempore, functus officio vespertino, & deinde etiam matutino sequentis diei, eo se se conferebat, ubi Eucharistiæ Sacramenti publica erat supplicatio, atque inde domum rediens vel legebat, vel scriptitabat ad coenam. Coenatus, & paulisper collocutus cum sociis, ab se in cubiculo rationes iterum conscientiæ exigebat; & antequam cubitum iret, Ecclesiæ preces pro *commendatione animæ*, quasi jam jam moriturus, super se fundebat, implorato prius ad extremam item vitæ horam Beatæ Virginis auxilio sacri Rosarii pia recitatione.

CII. His munitus præfidiis, mirum non est, si adventantem jam mortem tranquille aspexerit. Letalis ejus morbus stranguria fuit, quam comitatur fere dolor acerbissimus. Hunc, ut ut esset gravis, patientissime tulit, nihil questus. Solatium autem mali erant quædam de divino amore carmina, quæ olim didicerat, & tum subinde pronunciabat. Addebat frequentes exclamationes ad Deum, quas mystici viri jaculatorias vocant. Biduo, aut triduo antequam moreretur, venit ad eum Ill. D. D. Cajetanus Ginnanus, qui paucis post annis obiit Antistes Fulignatium, cum senere venerabili Thoma Nieto Polo, qui olim Quitensi provinciæ præfuerat; ad quem jam abeuntem dixit Petrus Joannes: *præco tibi, Thoma, ad aternitatem: illic nos revisemus*. Ad extremum acceptis religiose Ecclesiæ Sacramentis, summa animi pace vivere desiit.

VI. Kal. Mart. an. MDCCLXXVII. Dicitur autem quodammodo potest Petrus Joannes in alieno esse lecto mortuus: nam ita se se spoliavit rebus suis, quas pauperibus divisit, ut sindones, quibus tum utebatur, domestici essent socii, qui illius curam gerebat. Sic *amicos sibi fecerat, qui eum reciperent in aterna tabernacula*, ubi donatus est, ut licet sperare, coelesti thesauro, quem relicta patria, & domo, & avita hereditate, & suis omnibus, sibi, ac miseræ Indorum genti, in Americanis agris quæsit, & emit piis operibus laboribusque.

JOAN-

JOANNES ESCANDON

SACERDOS.

Varios multiplicesque vitæ longæ actus exegit Joannes Escandonius miræ animi æquitate, & contemplatione singulari mortalium rerum omnium, & sui: quam summam illius laudem narrandorum ordo factorum ostendet palam.

PUERITIA JOANNIS ET INGRESSUS IN SOCIETATEM.

I. **N**obilibus natus est parentibus XIII. kal. Aug. an. MDCXCVI. Patria illi parvum oppidum, cui nomen *Celucos* Burgenfis diœcesis. Ætate adhuc tener patrem amisit, nec multo post matrem, quæ filium caste & pie instituere jam cœperat. Orphani cura recidit in patrum, qui Antikariæ (vulgo *Antequera*) in Bætica habitabat. Is acceptum domi & aluit, & amavit parentis ritu, delectatus optima Joannis indole, qui sane *sortitus erat animam bonam*. Accessit vigil institutio, quæ si desit, naturæ vel optimæ dotes parum profunt. Traditus magistro idoneo haud pœnitendos progressus fecit, utique quod ad virtutem attinet: præter enim domi visa exempla, & audita a patruo monita, crescebat animi cultus publicis concionibus, quibus volens ille libensque intererat. Illud quidem non vulgare frugis bonæ specimen tum dedit. Erat Sacerdos, cui, quod morosior esset ad aram, refugiebant ministrare sacrificanti ceteri pueri. E contrario puer Escandonius id illi operæ sine tædio, & cum voluptate præstabat.

II. Hæc pia semina cœlestis sator paulatim auxit, inspiravitque fugam a mortalibus rebus. Quo secederet incertus diu animi Escandonius, tandem Socie-

Societatem prætulit: idque mirandum magis est, quod nec magistris Jesuitis usus fuisset, nec cum eorum aliquo antea collocutus. Verum cum Socios forte vidisset, statuit apud se illud vitæ genus præ reliquis sibi aptum esse. Petiit admitti, admissusque est, approbante patruo, & quidem spreta non tenui hereditate, quæ ad ipsum spectabat. Reliquit itaque & patrum, & bona patria, & memoriam suorum omnem, cujus rei aliquot hic exempla reddemus.

III. Erat nobilis, ut dictum est, ortusque e montibus illis Burgentibus, qui præstantissimos atque inclytos viros toti Hispaniæ dederunt, & dant: tamen hanc soli patrii gloriam occultabat ille quam maxime, & res Montanorum ita joci causa deprimebat, ut moveret adstantium risum. Navigavit cum eo in Americam Montanus adolescens quidam: hunc tribulis nomine sic exercuit, ut procul ab Escandonii regione natale ille sibi solum contigisse, opinor, maluisset. Matriti quo (jam senex) ivit procurator provinciæ Paraguaycæ, convenit negotii causa nobilissimum virum Petrum Leon, & Escandon, cui maximus in aula honos, & splendor. Hic, ut cognomen rescivit, Joannes, inquit, consanguineus meus es. Gloriæ id mihi esset & laudi, ait ille; sed ego consanguineus non sum tuus. Es profecto; nam patris mei patria patriæ tuæ proxima; atque hæc, itemque illa sunt (singula memorabat) quæ idem nobis genus esse probant. Pergit Joannes negare; pergit Aulicus nova argumenta promere: sed nihil egit; iterabat Joannes, ego consanguineus tuus non sum. Demum officiosam litem, joco, ut solebat, diremit; in Montibus, ait, nostris, vir clarissime, cognomen Escandon instar generis raphanorum est, cujus multæ sunt species (a).

IV.

(a) Inter alios de rebus Montanis jocos hunc reddebat Escandonius hispano epigrammate:

Viva, viva la Montaña,
Viva la gente de allá:
Si la Montaña no vive,
España perdida está.

Quæ laus, quamvis alicui videri possit ludrica, si ad fausta auspicia depulsorum Arabum ab Hispania referatur, vera est.

IV. Cordubæ apud Tucumanos accepit a quodam litteras, quibus ei gratulabatur de Montano Limæ, quæ totius Americæ Meridialis princeps urbs est, Archiepiscopo Escandonio (a), utpote ejusdem stirpis, ratus rem Joanni gratam facere. Rescripsit is, Archiepiscopum illum ad se nihil pertinere, nec propinquum suum esse. Ita ille quidquid decoris vel in se, vel in familiam redundare posset suam, ultro a se propulsabat: contra quam alii faciunt, qui vel invitas ad se summorum virorum affinitates attrahunt, & nihil hac causa non movent. Patriam autem, quam puer reliquit, senex noluit revisere. Matriti dum erat, eum nobilis Sacerdos rogavit, ut Celucum iret secum amplexurus tanto post intervallo caros tribules, eique se se non itineris solum spondebat comitem, sed offerebat etiam domum suam, si quidem uti vellet, ubi hospitaretur. Gratias benigne egit Escandonius, neque ivit; tantumque numismata quædam sacra dedit abituro, quæ suppresso ipsius nomine, oppidanis divideret, una cum Ligno Crucis, quod in templo locari curaret.

V. Ergo missus in tirocinium, vix illud Hispali subiit XVII. Kal. Nov. an. MDCCXVI., ingentes Deo pro accepto beneficio, quod maximum putabat, grates egit. Atque huc ego etiam refero gratum illum animum, quem statim ab initio induit, retinuitque semper in provinciam Bæticam, ubi & nomen Societati dedit, & absolvit studia litterarum, de ea enim provincia sæpissime, & libentissime loquebatur. Narrabat ipse rem quamdam, quæ aliis exigua forsitan videbitur, stimulum sibi fuisse, ut altius de perfectione suscepti Ordinis sentiret. Principio cum in triclinium isset, observavit nihil Rectori, neque senioribus aliis, eximii, & singularis apponi, sed fercula omnino eadem, ac extremo omnium adjutori laico, & coquo ipsi. Quid hoc est, agebat apud se: nihilo qui toti præest domui, & tanti meriti est, melius coenet, quam janitor, quam sartor, quam coquus,

(a) Ill. D. D. Franci- qui obiit Limæ 28. April. scus Antonius Escandon, an. 1739.

coquus, quam ego ipse, qui modo huc veni? Magnum id profecto æquationis, & vitæ communis signum est.

VI. Id tum eum XX. natum annos valde movit. Sed magis deinde movere alios potuit Escandonius jam senex, & præcipuis in Societate honoribus functus, qui non modo nihil peculiare admisit, sed minus etiam assumere sibi est solitus, quam jubebat dari suæ commissis curæ. Aliis nimirum curabat abunde subveniri, re quavis ipse contentus. In cubiculo eduliorum nihil habebat, ne aquam quidem, quam biberet, sed eam ibat haustum ex hydria grandiore, quæ pro omnibus publice posita erat. Supplementum Sociorum in Americam ducens, cum præesset cunctis pro munere, situm in navi elegit longe incommodissimum, quique æstuante mari ita aliquando falsa perfundebatur, ut culcitram humor adspargeret, ac madefaceret: juvenes autem illi, quos secum devehebat, tuti ab hoc erant malo. Alias in navigatione Mediterranei, cum venimus exules in Italiam, debilis jam invalidusque, sumpto deteriore strato, melius aptiusque concessit ægro adolescenti. Cordubæ cum tironum esset magister, apposito eis jentaculo abstinebat ipse: quod siquando esuriret, visus est, ubi illi jam abierant, e reliquiis nonnihil libare, hinc acinos uvæ legens, hinc frustrulum panis, illinc nucem, vel quid ejusmodi. Sub tempus vitæ extremum nato jam LXXV. annos eundum illi erat ad triclinium per longum, rigidumque hiberno tempore atrium. Ejus misertus domus Administer, sine, Joannes, ait: jubebo tibi coenam in cubiculum deferri. Immo vero, ait Escandonius, rogo te, ut mihi permittas pergere illuc ire cum ceteris: atque ita factum est. Quippe illi hoc erat votum, & sollemnis vox: volo ea religiosæ vitæ facere, quæ aliis fiunt: nolo mihi dari, quod singulis communiter non detur.

VII. Tiro adhuc, Deo ejus constantiam exercente, sensit vehementissimum tædium initi status, & domesticæ disciplinæ, præsertim cum mane excitabatur ad meditationem: ita enim tum gravi somno, seu potius sopore obruebatur, ut penitus desperaret posse se
unquam

umquam accommodare matutinæ illi vigiliæ: quare repetendæ domus molesto desiderio agitari cœpit; carnemque inter & spiritum acris orta pugna est, cum illa opes & relicta commoda claustris, is claustra relictis commodis & opibus præferri contenderet. Tentatio hæc durissima fuit: nec tamen desidîæ se se Escandonius dedit: sed, quod optimum tali tempore remedium est, institit orationi. Ante Eucharistiæ aram stratus quondam, a Patre luminum auxilium imploravit, impetravitque: deinceps enim pax illi prior rediit, successitque de religiosa vita solidum & verum gaudium, quodd numquam postea turbatum est: tantusque ei deinceps vocationis suæ amor fuit; ut sponte suâ diceret, siquando attentasset petere dimissionem e Societate, emota tum mente fore, ac proinde & velle, & precari, ut tamquam amens vinculis constringeretur, retinereturque arcte inclusus.

STUDET LITTERIS ESCANDONIUS.

VIII. **A**bsoluto cum laude tirocinio, & votis post biennium nuncupatis, Carmonam ad recolenda studia latinæ linguæ missus est. Ad eloquentiam, bonorumque auctorum lectionem sic ibi incubuit, ut magnum Romani sermonis gustum extulerit, quem postea retinuit: vel enim jam senior & filii elegantia, & amoenis carminibus oblectabatur honestorum vatum: nam obscœnos semper abhorruit, nec attigit. Maturus audiendæ Philosophiæ Granatam ivit, eique arti, & simul exercitationi virtutum, quas litteris semper, & eruditioni anteposuit, vacavit strenue. Debuit ingenio, industriæque, ut disciplinam illam, ac deinde Theologiam, cui ibidem dedit operam, probe arriperet. Inter autem scholæ certamina amans veritatis, siquid propugnabat, haud ita thesis propositæ erat tenax, ut si meliora videret, non cederet, ingenueque fateretur premi se contrariis argumentis. Cum aliquando a condiscipulo argute, & acriter urgeretur, nec quid responderet, menti occurreret; candide id aperuit: addidit tamen se rem diligentius,

tius, attentiusque excussurum, ac postridie, siquid digni invenisset prolaturum. Qui si modus in pugnis litterariis obtineret, multo magis, quam fit, veritati, doctrinæque consuleretur: sed quidam tricus nescio quibus contenti, si minutis, & vanis quibusdam distinctiunculis solida argumenta declinarint, magnam sibi ingenii laudem videntur assecuti, de eaque re inepte insulseque gloriantur: adeo vincendi, eminentique amor, & pudor, quo se quis victum prodatur, omnia corrumpunt.

IX. Tria studiorum tempore fuerunt in Escandonio, quæ laudes. I. *Otii odium*. Quidquid a lectionibus publicis, privatisque repetitionibus dabatur quietis, ut discipuli fessos animos recrearent, id totum ipse in bibliotheca, quæ magna erat collegio Granatensi, unde tot orta Theologiæ lumina, ponebat evolvendis libris, inspiciendisque eorum argumentis, qua re ingentem sibi rerum silvam comparavit. II. *Fuga jactantiæ*, contentioniisque de præstantia ingenii, quæ nonnumquam vel inter religiosos adolescentes, quos minime decet, ardet. Escandonius non solum de se ipse humiliter sentiebat; sed lætabatur in primis aliorum progressu, & gloria, plaudabatque siquid cui bene, atque e sententia successisset. Tum quibus rebus poterat sodales suos juvabat, nec quemquam acerbiorē umquam pupugit dicto: quamvis enim agens cum aliis tales aliquos adspicere amaret, ii intra modestiæ, urbanitatisque fines continebantur. Onera vero communia adeo non recusabat, ut etiam, quod ad omnia se se paratum sifteret, plus aliis gravaretur. Erat, ait contubernaliū unus, *veluti mater condiscipulorum: eum omnes adibant, quod & verbis, & factis ostenderet, quam vellet singulis opitulari, opitulaturque citius etiam, quam rogatus fuerat*. III. *Obsequium erga præfectos*, quibus, quæcumque innuissent, obtemperabat. Scribebat eleganter: atque idcirco siquid transcripto opus erat, Escandonio committebatur: quæ res quanti sit fastidii nemo nescit. Fuit, cum ei Rector domus mandarit, ut, quam posset festinanter, chartas quasdam gravis momenti exscriberet. Intentus operi abfuit a quadam communi exercitatione. Censor morum,

rum, qui Jesuitis Minister dicebatur, cum causam ignoraret, multavit absentiam poena, quam subiit ille, nihil de jussu Rectoris opponens, conscientia lætus sua.

X. Initiatus tandem sacris ordinibus est post studia. Qua se ille pietate, ac diligentia ad libandas Sacerdotii primitias paravit, haud scio: sed facilis conjectura est, pro rei gravitate exercuisse se se prius sedule & sancte, cum deinde sacra illa mysteria summa religione tractarit, neque ad ea accederet nisi expiatus Sacramento poenitentiae. Fuit in divino illo opere tres ferme horæ partes longus, scrupulosiorque in formula consecrationis proferenda, vix enim poterat verba pronunciare, & hærebat, & hæsitabat: qui angor oriebatur a tremore illo, & pavore, quibus ad aram ascendebat. Sic autem afficiebatur tum toto corpore, animoque, ut proxime a Sacrificio, quodammodo attonitus remaneret, neque ulli esset alii rei aptus, ut ipse passus est, donec paulatim conquiesceret interior agitatio. Sacrificabat quotidie: quod si iter ageret, nec nisi ad meridiem opportunitas ad sacrum Missæ futura erat, ad id temporis se se referebat, contemptis viæ incommodis: in ipsis etiam collegiis, ut vicem cederet aliis, qui maturius litare volebant, ad extremum ipse mane faciebat. Dolebat vero siquos viderat nimium ad altare properare, in eosque versùs quosdam non malos recitabat hispanis numeris (a), quos latine sic possis reddere:

*Nos divinus amor monet hoc: pia deserit Aram
Mens, præceptis sit si in sacrificante modus.*

XI. Altera Sacerdotalis officii pars est pensum jussarum precum. Escandonius, ut psalleret attentius, comitareturque animo intelligente quæ ore recitabat, tota illa V. volumina, quibus interpretatus est psalmos P. Thomas Le Blanc, in compendium redegit libro uno minoris formæ. At studium hoc recidit in malum illi simile, quod de litante Escandonio

(*) El amor de Dios avisa Que no se puede juntar
Al Ministro del altar, La devocion con la prisa.

donio diximus, peperit nimirum importunos scrupulos. Solitus erat in reddendis precibus Canonicis binas horas ponere, atque in extrema ætate fuit illi psallendi cura totius pæne diei labor anxius. Eximi ab eo quidem poterat, ac nescio quod privilegium a Pontifice Max. Clemente XIII., cujus osculatus est olim Romæ pedes, habuit hac in re. Verum nulla fuit satis conditio, quin Breviario se se totum manciparet: nec sperandum erat, etsi jam senior ægre legeret, ut hoc onus umquam deponeret, præcepta enim Ecclesiæ ita religiose colebat, ut plura etiam sibi fingeret, quam sunt. Nemini dubium esse poterat, liberum ipsum fuisse a lege jejunii, cum natus LXXVI. annos, & fractis omnino viribus, magis in dies magisque languesceret: jejunabat tamen, ne sancta solveret jussa, & quidem vel cum jejunii nulla erat lex. Observatus est quondam in triclinio carnem non attingere, quæ ceteris apponebatur: cur carne non vesceris, quæsit ab eo quidam? Egone, inquit, hodie carne? pervigilium est: jejuno. Rursus ille: atqui nec pervigilium est, nec jejunium. Ain tu, pervigilium non est? at ego putaram. Bis id accidit, deficiente illum dierum ratione. Ceterum quod ad officii preces attinet, illud inter scrupulos boni erat: junioris Sacerdotis, quicum psallebat, siquando hæssisset, stabat dicto, nec pugnabat contra.

XII. Jam Sacerdos designatus est Grammaticorum magister Granatæ: quo e gymnasio postea missus Cordubam est in seminarium Assumptionis, ut adolescentium alumnorum præfesset studiis: quo tempore, cum subjecta prælo illic fuerint opera Philosophica, & Theologica doctissimi Limani P. Josephi Aguilar, sedulum, ut erat accuratus, laborem posuit, ut quam correctæ prodirent; eademque usus diligentia est in lucubrationes alias, quæ tum editæ indidem in lucem sunt. Post utilem hanc Cordubæ moram venit Giennium, ut Rhetoricam artem profiteretur. In docendo autem nihil antiquius fuit Escandonio, quam ut pietatem discipulorum promoveret, ac dein studium, & in litteris progressus, qui, si pueri casti, & benemerati sunt, multis partibus majores fiunt. Nulli ve-

ro parcebat industriæ, artique, quibus tædium ætatis teneræ in studendo minueret, leniretque, qua causa commentabatur ipse prius, se seque diu parabat ad explicationem auctorum, ut deinde ex ipsis promeretur sigillatim, quidquid aptum erat tenendis audientium mentibus.

XIII. Maluit idem in exigendis pensis lenis esse, quam asper, & amore potius, quam timore imperata reposcere. Id nos docet vir quidam gravis, qui Giennii præceptorem habuit Escandonium, his verbis: „fuit ille magister meus, ac memini & me, „& alios eum tamquam virum sanctum suspicere. „Affabilis semper, & suavis, numquam (quoad „hujus rei recordari possum) impatienter egit in „discipulos: quod notatu dignum est, plurima „enim pueri turbant: atque ego ipse eo tempore „inquieti, & mobilioris animi eram, propterea „multa ab aliis magistris passus sum: tamen Escan- „donius neque in me animadvertit umquam, neque „verbo asperiore (nisi me memoria fallit) accepit, „tractavitque semper & blande, & amanter: quo „factum est, ut multo tum constantius, acriusque „quam feceram, in studium incubuerim: affectus- „que Escandonius dulci modo est, quod repetitis „plagis a me alii non impetrarant: quocirca cum „ex urbe discessit, plurimum flevi. „Id de se ille ingenue.

NAVIGAT IN AMERICAM EJUSQUE ILLIC PRIMA MINISTERIA.

XIV. **I**Nterea Escandonius vocari se sensit a Deo in Americam, ut barbarorum æternæ salutis consulere. Scripsit Romam id petens, neque primo auditus est. Cur negaret Præpositus Generalis patuit deinde. Illis in litteris adeo se nullius pretii, & ita ad omnia ineptum significabat, ut moderator Societatis inutilem hominem frustra in regiones illas mittendum ratus sit. Cum autem quotidie flagraret magis in Escandonio amor transmissionis Indicæ, al-
teris

teris denuo litteris poscere eam statuit: forma epistolæ erat eadem ac prioris. Ante vero quam illam mitteret, ostendit familiari cuidam suo, qui cum legisset, id, ait, est repulsam ultro quærere, non commeatum petere in Americam. Sine me: dabo tibi ego exemplum, quo scribas. Dedit re ipsa, refectis illis, quæ ab humili animo Escandonii contraria ejusdem dotibus profecta fuerant. Consilium stetit. Præpositus Generalis re mature perpensa, communicataque cum præfecto provinciæ Bæticæ, designavit illum in Paraguayam. Erat tum in Europa Antonius Machoni, qui novos socios legebat in provinciam. Huic attributus Escandonius est, qui cum cetero supplemento navim Gadibus conscendit Idibus Dec. an. MDCCXXXIII., & Bonasauras tenuit VIII. kal. April. an. MDCCXXXIV., cum inter navigandum sollemnem professionem quattuor votorum nuncupasset postridie kal. Februarias, qui dies Beatæ Virginis se se post partum sistenti in templo sacer est.

XV. Recreatus in collegio Bonaurensi a diuturna Oceani jactatione contendit Cordubam Tucumanorum. Primum ipsi demandatum opus fuit, templum curare, quod habebant Jesuitæ in prædio *Altagracia* nomine. Erat mos in provincia Paraguayca, ut in villis præter adiutorem laicum, cui cultura agri committebatur, degeret simul Sacerdos. Id omnino necessarium ibi pro regionis natura: prædia enim XL. aut L. passuum millibus ab urbe distant. Itaque dabatur agri curatori Sacerdos, qui ei esset a confessionibus, & sacris quotidie operaretur. Neuter autem redibat in urbem, ne festis quidem diebus, cum longa adeo esset via, nisi siquando munus aliud subire juberetur, aut urgeret res majoris momenti, aut ad annua S. Ignatii exercitia evocaretur. In villis his eadem erat, ac in urbana domo distributio horarum ad res spirituales, disciplinamque religiosam, exigente omnium rationes collegii Rectore, qui Socios illos aliquoties revisibat.

XVI. Nec soli adjutori proderat præsentia Sacerdotis. Habitant ruri Hispanorum plurimi longis

inter se spatiis, & longissime a paroecia (a). Igitur colonis illis, volente Curione ipso, qui ea re maximopere juvabatur, opitulabatur sacer ille operarius, eosque catechesi instituebat, & in templo concionabatur, & confiteri volentes audiebat, & ferebat ægris opem. Dicam hic, quod Escandonio alias accidit. Feriarum æstivarum tempore venerat in villam rusticatum cum adolescentibus scholasticis, quibus præerat ipse morum censor. Vocatus est tum Sacerdos ad confessionem ægroti procul distantis. Escandonius, licet alius Sacerdos esset præsto, ibo, inquit, ego. Equum conscendit: parum progressus torqueri coepit dolore viscerum vehementi; & cum jam supra ephippia consistere non posset, stratus humi toto se corpore contorquebat, si vis illa mali remitteret. Socius adolescens suadebat, ut quandoquidem Sacerdos alter erat, qui libens ad ægrum iturus esset, regrederetur ipse in villam. Non patiar, respondit Escandonius, atque ad excipiendam confessionem istam ibo quoquo modo. Ivit, revertit, durante adhuc dolore illo, ad XXIV. millia passuum confecto itinere. Sic ille, ubi de aliorum salute agebatur, ardens erat, suique immemor.

MITTITUR AD GUARANIOS INDOS.

XVII. **N**ondum in *Altagracia* villa, magno multorum bono, annum expleverat, cum iussus est a præfecto provinciæ ad Guaranios ire. Missio hæc gratissima Escandonio fuit. In ipso longo itinere, quod Corduba est ad oppida Guaraniarum, studuit horum linguæ ex arte grammatica: quo factum est, ut quadragesimo die, postquam eo venit, verba ad Indos facere potuerit e superiore loco. Visis autem illorum pro-

(a) *Parochorum adjutores sunt Socii, qui vices eorum supplent gratis, ait totidem verbis Il. D. Joannes de Sarricolea, & Olea, An-*

tist. Tucum. rationem reddens diocesis suæ Pontif. Max. Clement. XII. litteris datis 20. April. an. 1729.

probis moribus, docilique indole, tanto deinceps Guaranios, & tam tenero amore profecutus est, ut nihil tenerius amarit uspiam gentium. Tres annos in oppido S. Ignatii *Guaçu* (id est *majoris*, aliud enim ibi oppidum est ejusdem Divi, quod *Mini* dicitur) clientes illos sacris ministeriis excoluit. Quarto anno præfecti Missionum jussu transiit ad oppidum S. MARIE DE FIDE, ubi nec opinanti durum, & arduum opus parabatur. Repetenda paulo altius res hæc est, neque digressio, opinor, erit cuiquam ingrata.

XVIII. An. MDCXCVIII. a PP. Bartholomæo Ximenez, & Francisco Robles, in silvis Tarumenfis reperti sunt (a) Itatini, sive Itatinguæ (hoc proprium eorum est nomen, non vero Tobatines, quo Hispani illos appellant) circiter quadringenti. His, qui Guaranica utuntur lingua, persuasum est, ut se se aggregarent oppido S. Mariæ de Fide longe illinc posito: aliqui tamen, ab institutione ceteroqui non aversi, natale solum deserere noluerunt. Optimi mores, quos advenæ illi in S. Mariæ induerunt, accendit desiderium reliquos, qui in silvis substiterant, Christo Domino adjungendi. Hac causa ad eos profecti sunt an. MDCCXXI. PP. Polycarpus Dufus, & Michael Affner, ostensaque spe stationis illic locanda facile illorum sibi voluntates conciliarunt, trecenrique amplius baptizati jam erant biennio post. Sed ea provincia Duso relinquenda fuit; dum enim intentus Itatinorum conversioni silvas circumit, immanis arbor repente prolapsa prætereuntis mulam occidit, fessoremque ita perstrinxit, ut pulsatis nervis, totum deinde vitæ tempus obtorto collo, & obstipo capite incedere coactus sit.

XIX.

(a) Martinus Dobrizhoffs (*Histor. de Abiponibus* tom. I. pag. 61.) hæc contigisse ait an. 1697. Sed utrumque verum esse potest: si nimirum iter istud susceptum est exeunte an. 1697, Itatini autem detecti sint ineunte an. 1698. December enim mensis, & Januarius, quippe qui illic æstivi, ad indagandos Indos aptissimi sunt. Eodem illo loco meminit Dobrizhoffs expeditionis, de qua hic agimus, Joannis Escandonii.

XIX. Substituturus Duso est Josephus Pons, qui ut erat laborum appetentissimus, id sibi munus ultro depoposcit (a). Illuc pervenit medio Januario an. MDCCXXII. Ad structum oppidulum, cui *Rosario*, pro ejus in Beatam Virginem obsequio, nomen fecit, accessiones in dies fiebant Indorum e silvis egredientium. Amor, & modus benignus, quo excepit primos, brevi circum divulgatus, alios aliosque excivit, adjunxitque patri optimo. Verum serpens morbus e dysenteria bene coeptis obstitit. Hospites, malignum excreta solum, silvas suas respectabant. Monere, blandiri, morari Ponsius, meliora spondens in posterum: ac retinuit quidem multos, sed aliis timor potior fuit, reditum pollicitis, ubi cessasset letalis lues. Interea Ponsius agrum communem (*Tupambae*, id est *Dei rem*, vocant) pro reditura plebe coluit, & fata alia seorsum pro Indis primoribus: quippe ut recipiendis in Arcam animalibus, familiæque, jussus est Noe cibum parare, ita Ecclesiam ingressuris Indis conquirenda prius alimenta sunt. Matura jam messis, & missi a Ponsio nuncii de extincto jam morbo plures revocarunt.

XX. Sed tamen eisdem istis paulo post proponenda fuit migratio ad oppidum S. Mariæ, ubi pars gentilium suorum erat: ægre enim tum poterant mitti illuc a priscis coloniis Guaraniarum subsidia, sine quibus egendum illis erat multis ad victum rebus necessariis. Repugnarunt principio: paulatim vero mitigatos deduxit illuc Ponsius multis itineribus. Accepti atque ibi liberaliter exuerant fere omnem patriæ regionis memoriam. Ceterum hæc ipsis rediit postea, atque ignoscenda quidem cupidine. Tumultu Antequeriano turbata erant omnia ad amnium Tebiquari, qui præterfluit fines oppidi S. Mariæ. Tractus is, vicinus ditioni Paraguayæ, patebat belli malis. Illic stativa posuit regius exercitus. Armabantur Indi,

(a) Vitam, & labores Paraguay. Petri Franc. Xav. vere maximos, & virtutes Charlevoix latine redditi, eximias Josephi Pons, le- & aucti. Edit. Venet. an. gesis toto libro 25. Histor. 1779.

di, negligebatur prædiorum cultus, unde secuta est, ut sit, fames, famemque excepit pestis e pustulis, quibus plurima Guaraniorum millia sublata sunt. Territi Itatini tam tetro rerum statu, memoresque tranquillitatis, & otii, quo in silvis olim fruebantur, an. MDCCXXXIV. clam ex oppido noctu fugerunt: & (quod mireris) ita abeundi consilium celarunt, iterque deinde vel erroribus captis consulto, vel quasi latebris texerunt, ut diu ignoratum sit, quo recessissent. Doluit id vehementer Guaranicis patribus, carituri enim erant optimi ceteroquin neophyti & Sacerdote, & Sacramentis. Felix de Villagarcia, & Lucas Rodriguez cum ad ipsas Tarumæ silvas penetrassent, scrutati omnia quindecim mensium spatio, nusquam fugitivos reppererunt.

XXI. Haud destitutum vero ab investigando est. Præposito Provinciali Jacobo de Aguilar, adlectus fuit denuo in id operis Felix de Villagarcia cum Sebastiano de Yegros, & Joanne Escandonio. Hi itinere CL. leucarum per lacus, amnesque, & impervias silvas, secuti Itatinos sunt, improbo labore, æumnisque innumerabilibus, nequicquam tamen, cum nusquam illi apparerent: re infecta, regrediendum fuit mœstis exploratoribus in oppidum S. Mariæ. Exciderat jam spes pæne tota reperiundæ gentis, sed non cura. Felicior fuit annus MDCCXLV. Hoc anno latens turba reperta tandem fuit. Invitati Indi a Sebastiano de Yegros ad instaurandam vitam Christianam, faciles dederunt aures, ac sponte sua obtulerunt ad baptismum natos post fugam, cum eo tamen, ut oppidum in Taruma poneretur. Postulatum erat admodum difficile, cum tanto intervallo a Paranensibus pagis, unde juvari, & foveri possent, situs ille distet. Verum ne frustra niteretur Yegrius, oppidum S. Joachimi nomine condidit ipsis volentibus ann. MDCCXLVII. ad ripam amnis YU (qui locus jacet ad gradum XXIV. & XLIX. min. latit. austr. CCCXXXI. longit.) intra montes, quibus nomen Tarumæ.

XXII. Huc cum clientibus convenere Caciqui *Panderi*, *Yazucà*, *Yeyù*, *Guiraguerà*, & *Xavier*, qui sibi, stirpique suæ retinuit pro cognomento nomen Divi

Divi impositum avo, cum sacris undis ablutus est. Ad templi, domorumque ædificia, eo transvecta sunt instrumenta struendi ab antiquis Guaraniorum oppidis, unde etiam missa novis colonis armenta, oves, vestes, & utensilia, ut secures, ferræ, cultri, ceteraque necessaria, cum magistris, qui artes utiles, & musicen Itatinos docerent. Brevi his rebus idem ibi ordo, eademque disciplina coaluit, quæ inter Guaranios veteres vigeat: atque ita populus crevit, ut an. MDCCCLXVII. censâ ibi sint capita bis mille septemdecim.

XXIII. Il. D. Emmanuel Antonius de la Torre, Antistes Paraguaycus, cujus sub ditione est regio illa, pro munere suo oppidum istud lustravit, moratusque est inter neophytos dies sexdecim. Miris autem extulit laudibus & templum elegans, & pulchra altaria, & decorem gravem divini cultus, & symphonicos, & cytharæodos, & tibicines, &, quod caput est, castos omnium mores; quæ omnia secum perpendens vix oculis credebat suis, cum cerneret ea præstari ab gente paucis ante anniseducta e silvis. Neque minus item miratus est res Joachimitarum Carolus Morphii Prætor, qui pro magistratu, quem gerebat, eos Regis auctoritate invisit, constititque in oppido dies quinque. Is, ut musices, & armorum tractandorum erat in primis sciens, delectatus est maxime eximia arte, qua canebant musici, & singulari dexteritate, qua sagittas vibrabant adolescentes, quorum binæ cohortes, ut gratum optimo duci spectaculum ederent, haud semel pugnarunt inter se ludrico certamine, Morphio ipso plurimum plaudente.

XXIV. Posito jam, stabilitoque S. Joachimi oppido, alterum in ipsis Tarumæ montibus accessit. In silvis, quæ sunt ad flumina Caapivary, Yeyuy, & Tapiraguay, deprehensæ sunt Itatinorum tribus aliæ. Eas adiit, quem Indi vocabant Pay Sabba, Sebastianus idem Yegrius, haud contentus sola Joachimitarum institutione, quam interea aliis Sacerdotibus tradidit. Genti illi pacificæ facile persuasit, ut Christiana sacra susciperent. Res una ingenti primum impedimento fuit, ne in certam sedem convenirent. Aquei perpetuis umbris silvarum, quarum interiora loca

loca (procerissimis , frondosissimisque arboribus obstantibus) Sol numquam viderat , in apertum difficulter extrahendi erant , veriti extra algentes latebras ardorem coeli , quod illic vehementer æstuat . Id sentiens Yegrius annum integrum in media vixit silva , usus , summa cum rerum omnium inopia , contubernio Indorum , quibus studuit paulatim inspirare egressum in campum apricum

XXV. Dum hæc intus fiebant a Yegrio , Joannes Emmanuel Gutierrez , & Josephus Martinus Matilla , foris sacram ædem , & tuguria , quæ Indos , si quidem silvas relinquere vellent , exciperent , struxere (procuratis simul alimentis , quibus egressi uterentur) in agris , qui adjacent fluvio *Tabiraquay* . Vicit tandem aversos a migratione Indorum animos constantia Yegrii . Eum secuti sunt an. MDCCCLI. in locum illum , ubi Gutierrez , & Matilla ædificarant ; neque illos deinde poenituit umquam silvarum desertarum . Caciqui conditores hujus oppidi , cui factum nomen S. Stanislai , fuere *Arabebe* , *Tapari* , & *Guirayú* . Ii , eorumque clientes , mitissima indole , animoque lenissimo , qui a placida quiete silvarum videtur ipsis inditus ; cultum disciplinamque omnem celeriter hauserunt dociles morigerique . Œconomia in S. Stanislai oppido instituta eadem est ac in S. Joachimi , unde distat XX. circiter leucis (a) . Numero autem ita aucti neophyti sunt , alios atque alios extrahentibus secum e silvis Antonio Planes , Thadæo Enis , atque Antonino Cortada , ut an. MDCCCLXVII. census fuerit trecentorum supra bis mille incolarum Christianorum . Ceterum manavit ex utroque hoc oppido ingens in Hispanos bonum ; cum enim antea Assumptionis Paraguaycæ cives , & Villariciani , vix auderent illac iter facere (metu barbarorum , qui ipsos

(a) In Charlevoixii editione latina lib. 25. dicitur oppidum S. Stanislai distare a S. Joachimi tribus leucis : recte id quidem , atque e fide monumentorum , quibus usus est interpretes latinus ; verum postea ab illa vicinitate migratum est ad commodiorem neophytis locum eo leucarum intervallo , quod posuimus .

ipſos male mulctabant) ad lucos arborum , unde carpitur celebris illa herba , cujus tantus in America meridiali uſus eſt ad potionem , impune jam regionem Tarumenſem iidem frequentabant , coactis in alterutrum iſtorum oppidorum vagis Indis .

XXVI. Hæc quidem acta ſunt , poſtquam inde Eſcandonius alio receſſerat jufſu præſectorum : animus tamen illi in egregium , & arduum opus , non deſuit ; nec caruit , quamvis jam abſens , ſolida lætitia e fructu uberi , qui conſecutus eſt primos illos conatus non ſine ejusdem magnis incommodis , atque ingenti periculo ſuſceptos . Nam cum fugitivos , ut dictum eſt , hac , atque illac perquireret , conſedit quondam in avio loco , ut divino precum officio vacaret . Forte reflexit caput a libro , viditque Indum , intento arcu , jam jam in ipſum ſagittam vibraturum . Quid rei eſt , clamat Eſcandonius , quid agis ? Occidere te , inquit , volo , & carnibus veſci tuis . Ille enimvero blandis verbis , qualia poſcebat tempus , mulcere cœpit animum barbari , donec is victus vel rationibus , vel promiſſis , ab immani facinore deſtitit : ut illa repentina capitis converſio , a cuſtode Angelo , qui Eſcandonii cavebat vitæ , & precibus præerat , procurata videatur .

REVOCATUR ESCANDONIUS IN COLLEGIA .

XXVII. **E**Rat jam Præſectus provinciæ Antonius Machonius , ſucceſſor Jacobi Aguilarii , qui poſt geſtum ſupremum Sociorum magistratum , renunciatus fuerat collegii Cordubenſis Rector . Huic ille miniſtrum dare voluit Eſcandonium , quem probe norat jam inde ab Europa , unde ſecum in Americam adduxerat . Igitur , accepto mandato , accinxit ſe ſe itinere , amor Guaraniſſimum , qui ſummus erat , obedientiæ , qua nihil in religioſo viro præſtantius eſt , imperium præferens . Ad oppidum Uruguaycum Sanctæ Crucis aſcendit in lembum , qui Bonafauras ibat . Præter communem pro Indis renigiſſimum commeatum nihil

nihil sibi privati imponi passus est, recusatis etiam munusculis Rosariorum, quæ ab Indis ex electo ligno laborata torno maximi in provincia fiunt, acceptissimumque donum Hispanis sunt. Id ab amore paupertatis, quam semper rigide coluit, profectum est.

XXVIII. Navigatio ab oppido S. Crucis, secundo Uruguayo (amni latissimo, & ob syrtes periculoso) fausta fuit usque ad id loci, ubi ille devolvitur in Paranam, qui tanto accepto incremento nomen illud splendidum, sed inane & vacuum, induit *fluminis Argentæi*, sic enim inde vocari incipit moles ea aquarum immensa usque ad ostia, ubi Oceano Atlantico miscetur. Ergo illic sive fluviorum conflatione, sive casu alio, lembus, quo vehebatur Escandonius, laboravit vitio, nescio quo, ut jam neu progredi posset, neu regredi, ideoque deductus est ad ripam. Hæc deserta erat, nec baccas silvestres ad victum, nec materiam reficiendæ navi ferebat. Mora autem longiore minui cibus coepit, & res propius ad famem spectabat. Tum sensit Escandonius, cum de navigando agitur, in curando com meatu parcio rem esse iusto non oportere. Atque eum quidem angebat magis, quam proprium malum, Indorum remigum penuria, & solitudo. Consuluit Deus consilii expertibus. Dum circumspiciunt, visa est procul ferri oneraria quædam. Vocant: ibat in ea Hispanus vir, qui Escandonium, comitatumque miseratus, benigne largitus est necessaria ad reparandum lembum, & supplevit com meatum, quo descenderent Bonasauras, ubi Jesuitæ, audito infortunio, illum & Indos large recrearunt.

XXIX. Restabat inde Escandonio iter tercenties nonagies millies passuum ad urbem Cordubam. Munus, cujus causa eo ibat, cum collegium illud totius provinciæ maximum esset, arduum erat in primis, & multarum curarum. Administer, secundus a Rectore, cujus in regimine adiutor erat, disciplinæ religiosæ, œconomixque domesticæ consulebat. Erat ibi plurima pubes, humanioribus litteris, Philosophiæ, ac Theologiæ vacans. Illinc, absolutis studiis, recentes Sacerdotes in alia collegia, & Indorum oppida mittebantur, tales futuri, quales Cordubæ instituti fuissent,

fuissent. Escandonius ante omnia, inito jam minore illo magistratu, id sibi proposuit, ut Instituti leges, & præcepta majorum, sancte observari curaret: tum ut necessarii nihil ad vitæ communis lenienda incommoda Sociis deesset, monito, cum opus erat, Aguilario Rectore, quo fortasse tota in provincia nec doctior erat, nec sanctior, vir utique præstantissimus (a). Hujus Administer Escandonius dulcem modum severo, & aspero prætulit: atque ita numerosæ illi familiæ fecit satis, disciplinamque adeo urfit, ut, accedente optimi Rectoris vigilantia, haud facile alias collegium Cordubense magis excelluerit recto rerum ordine.

XXX. Adolescentes scholastici nihil esse tam difficile ajebant, quod jubente Escandonio non libenter facerent; idque merito, cum ille vicissim nec tranquillitati suæ, nec quieti parceret, ut illis adjumento esset, & levamini. Qua die otium erat ab schola, singulis hebdomadis, simul rus, comitante Ministro, deambulatam ibant studiosi litterarum pomeridiano tempore. Ambulatio hæc Escandonio, qui maluisset domi remanens versandis libris utilibus vacare, gravis admodum, & molesta erat: tamen radii sui indicium, ne se se honeste oblectantium animos turbaret, nullum dabat nec vultu, sereno semper, & alacri, nec verbis, quibus jucundis, & falsis utebatur. Quod si (ut fit in magno numero) reprehendendus aliquis domi erat, & corrigendus, quam poterat leniter erratum objiciebat: factumque est haud semel moderatione hac, ut qui errarat, facti poenitens, gratias Ministro ageret, ob blandiorem objurgationem, quam ipse meruerat: & est quidam illorum temporum testis, qui dicat, haud meminisse se bis aliquem ab Escandonio de eodem errore postulatum: quod nimirum prima illa animadversio satis esset. Indulgebat idem domesticis quidquid poterat, quatenus tamen ferebant officium, & disciplinam: si enim

(a) Prodiit ejus vita typis publicis, ubi plurima de ejus insigni doctrina, & sanctitate narrantur.

enim salvis his fieri nequiret, inquiebat: *amicus usque ad aras*; quæ in decernendo integritas illi perpetua fuit.

XXXI. Tres annos collegium illud ita administravit, cum aliud ei, nihil cogitanti minus, demandatum est munus. Magister tirocinii (quod adjunctum erat collegio, distincto tamen ædificio, ut altera domus videretur) Hieronymus Herran, vir maghi meriti, sed senex jam fractusque, Socio egebat, in quem, si minus totam, majorem saltem illius magisterii partem derivaret. Adlectus est ad suppetias has illi ferendas Escandonius, qui & exemplo vitæ, & sacris adhortationibus, candidatorum animos fingeret, quod quidem deinceps pro virili fecit. Duo præsertim tironibus inculcabat, alterum, ne sanctitatem putarent positam in fucō quodam extimo, & quisquiliis, quæ intuentium oculos tenent; sed in solida pietate, intimisque purgati domitique cordis virtutibus, in quas summa contentione usque incumbere, servato extrinsecus tenore vitæ probatæ, & communis, cum sensuum modestia: alterum, ut ubique locorum, & semper, omniæque in re Deum sibi præsentem considerarent, nequid minus dignum ejus præsentia aut dicerent, aut admitterent. Hoc illi tum frequens adhortationum domesticarum argumentum erat.

XXXII. Dum his rebus instabat, opus fuit Rectore singularis prudentiæ in seminarium Monserratense nobilium adolescentium. Præfectus provinciæ aptum in primis putavit Escandonium in id muneris, difficilioris tum, quam alias. Vacillabat ibi bonus ordo, quod Minister ab alumnis minoris fieret, ac pæne despiceretur. Admovenda huic malo primum manus erat. Vocat novus Rector Ministrum, animos addit: & tu quidem (ita nunc fieri necessè est) nihil jusseris, ait, gravioris momenti, quod adolescentibus dolere possit, me inconsulto: ubi autem inter nos convenerit, nullius ego provocationem admittam: sic tua paulatim auctoritas redintegrabitur. Duo ibi maxime curanda erant, pietas videlicet alumnorum, & studium litterarum, quorum causa illuc a parentibus mittebantur. Ergo quidquid huc pertinens Minister jusserat, siquis imperii impatientior

tentior ad Rectorem provocabat; Rector Ministrum prudenter fecisse, & parendum eidem esse responderet: nec dubitavit aliquando, si leve quid ipse imperasset, Minister vero, illius imperii insciens, aliud interim præcepisset, Ministri jussis, suis revocatis, standum esse pronunciare. Quidam e numero Baccalaureorum, nescio quid deliquerat: poenam indixit Minister: provocat ille, it ad Rectorem: & non tibi, ait, Rector, videntur hæc inter se contraria, Baccalaureatus meus, & Ministri poena ista mihi indecora? At mihi, inquit Rector, ista inter se pugnare non videntur, poenam lue. Mirabantur adolescentes, unde tanta Ministro repente vis, & auctoritas accessissent: brevique factum est, ut nihil omnino, quod jussisset, recusarent, eumque perinde ac Rectorem revererentur. Unde & bona illa, quæ diximus, aucta sunt pietas, & studium, & nihil detrimenti passa est fama seminarii, quæ maxima erat in provinciis illis.

XXXIII. Ceterum si a quoquam alumno minus recte aliquid fieri cognorat, corripbat prudenter. Vidit puerum recens seminario admissum pugnis pulfantem e sodalibus unum. Vocat: & quid tu, puer, cujus rei gratia huc venisti? Ut, ait pudore suffusus, religiosam pæne vitam vivam. Optime, inquit. Sed contubernalem tuum pugnis male accipere, estne semireligiosi? Cave faxis alias, & time. Alius, quem merito suo sæpius reprehenderat: non probor, inquit, atque invisus tibi, Rector, (sat novi) sum, & nescio equidem qua causa. Respondit illico Escandonius: causa cur te non probem, alia mihi non est, quam tu ipse, & mores tui: alius si sis, invisus non eris.

XXXIV. Talis in adolescentes Escandonio modus. Quod autem redditus seminarii impeditos reperisset, expedit illos quam primum potuit, soluto ære alieno. Ad hæc, prudenti œconomia, ac recta administratione perfecit, ut non solum honestus victus constaret omnibus, sed præterea ex ædificatis ad conducendum in urbe domibus annum proventum auxit. Jam vero cum ob has dotes carus esset aliis, sibi vilis erat, quod se nihili putaret. Ab omni alienus

nus fastu, ipse per se domesticum hortum, quibus vacabat horis, colebat, & adolescentibus coram cavabat, & sarriabat, & rigabat olerâ: neque ob id minoris ab illis fiebat, sed pluris, quod scirent a contemptore rerum omnium animo istud nasci. Polito saxo insculperat eleganter nomen JESU, quod supra ostium seminarii poneretur. Ipse dein conscendit cum ferreo vecte structum tabulatum, ut collocaret illud sacræ Deo, & Dei matri, domus insigne venerandum. Transiit forte tum illac Cordubensis Antistes Ill. D. Petrus Michael de Argandoña, & viso Escandonio, quid, Rector, ait, per te tu id? Ita, Illustrissime: nam in Societate nostra qui non laborat, nec manducat. Mox descendit, comitatusque Episcopum est in religiosam ædem, quo ibat.

ELIGITUR ESCANDONIUS SOCIUS ET COMES PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

XXXV. **R** Exit seminarium Monserratense ab an. MDCCXLIII. ad an. MDCCXLVII., quo anno designatus est comes, & socius ab epistolis Provincialis Emmanuelis Querini. Hinc novi labores ei, curæque, præter assiduum scribendi tedium. Lustratio provinciæ Paraguaycæ, quæ latissime patebat, plurimorum incommodorum ferax erat. Per longa desertâ ab uno ad aliud collegium, & ad Indorum pagos eundum erat, & sæpe cum æstu, sæpe cum frigore, ut varium coelum est pro varia regionum natura, sæpe cum æumnis aliis luctandum erat. In hæc itinera quadruplex penus viatica Escandonium perpetuo comitata est, paupertas, qua vix major reperiri possit; humilitas, qua quidquid decoris erat, spernebat; patientia, qua ferebat omnia æquo animo; & curta supellex librorum, qua se se legens & instrueret magis, & oblectaret. Itur ibi vel equo, si via per montes, vel, si per campos, vastæ molis curru, ita molesto, & magnarum rotarum stridore sic gravi, ut horrendo carceris inferni planctui, damnatorumque hominum fremitibus, murmur illud inconditum comparare

parare soleret Escandonius. Vacabat librorum lectioni eo inclusus carpento, alio enim ipse, alio Provincialis vehebatur: nam plaustrum illud viatori est pro hospitio, pro vehiculo, & pro cubili, ubi noctu dormitur in aviis, incultisque locis.

XXXVI. Accidit quondam Provinciale Querinum malo improvise corripit, quo jam jam extinguendus videbatur. Medicus non erat, neque arcesci aliunde poterat. Escandonio venit in mentem id oriri ab stomachi languore. Ergo parum, quod supererat, vini in os instillat. Rem tum quidem attingit, tametsi Galenicæ artis ignarus. Redeunt exanimi vires, malum cessat, & continuatur iter. Non eandem vicem valuit alias Provincialis reddere comiti suo. Correptus est Escandonius febris acuta. Ibant in urbem Saltam, unde distabant adhuc XC. millia passuum. Quid ageret Querinus in solitario loco? Mittit propere e comitatu, qui e collegio Saltensi adiutorem laicum medicinæ nonnihil peritum secum adducat. Venit ille citato cursu. Præsens depellere febrem non potuit. Quapropter febricitans, quod reliquum erat, Escandonius iter prosequitur. Occurrebant passim flumina rivique. Siti ardens adventitium illum medicum rogabat, an posset bibere? Habebis pejus, aiebat. Iterum & sæpius, visa aqua, veniam hauriendi petere: negabat severus comes: donec miser Escandonius aliam sibi intelligens medicinam non esse, quam patientiam, hanc præ se tulit, ut jam ne obviis quidem in fluviis quicquam hisceret. E contrario, cum cibus sub meridiem parabatur, intermisso itinere, quidquid ipsi porrigebatur, nauseanti stomacho aborrebat; tamen jubente Hippocratico illo socio, cui se se totum commiserat, sui victor appositis vescabatur. Saltæ autem, ubi captæ quies, largiore remediorum usu convaleuit.

XXXVII. Horum incommodorum, atque his similium, comiti Provincialis Escandonio magna fuit copia, atque ingens exercendarum virtutum materia; terreni vero emolumenti nihil. Adiit illum quondam Montanus quidam advena, & utpote a tribuli, nummos poposcit ad res suas expediendas. Respondit ille comiter, ut sibi summa esset voluntas nobili Mon-

Montano opitulandi, pecuniam non esse. Quid? Provincialis a secretis es, & nummos, & aurum non habes? Sum, & mihi crede, non habeo. Frontem contrahere bonus ille Montanus, ac vix credere. Exemit tandem errorem Escandonius. Scito, ait, mihi tribulis, ob munus hoc meum, quo præsto sum Provinciali, nihil mihi amplius dari, quam cuilibet e collegio, vestem videlicet victumque. Inter nos factor gratis fuit, olitor gratis cavat, magister gratis docet, & qui Provinciali ab epistolis est, gratis scribit, atque ipse Provincialis gratis provinciam lustrat, gratisque obeunda munera singulis assignat. Quam ob rem moneo te, si quidem pecunia indiges, ab opulento aliquo cive petas, non a me. Hæc vere Escandonius; potuitque addere, invidere se festum longissimis, & molestis itineribus in comitando Provinciali, aliorum forti, qui quietius tranquilliusque in collegiis agebant: quamquam ne collegia quidem ille præcipue appetebat, sed Guaraniorum, quos iterum institueret, oppida: utque certius fieret voti huius compos, petiit per litteras a Præposito Generali, juberet ipsum, ubi Provincialis, quem comitabatur, præfectura abiisset, ad Indos mitti: id post tot incommoda sibi fore maximi præmii loco.

XXXVIII. Frustra hæc preces missæ Romam. Incidit in hoc tempus foedus illud celebre de dividendis limitibus in America meridiali. Lusitano Regi pro Colonia Sacramenti ad flumen Argenteum dabantur, præter alia, septem Guaraniorum oppida cis Uruguayum sita annem. Præpositus Generalis, ne, siquid sinistri in migratione Indorum eveniret, provinciam administrante Socio Paraguayco, videretur is remissius agere, & urgere, quæ opus erant, ut (alio abeuntibus oppidanis) oppida vacua Lusitanis traderentur, iussit istud metuens, e provincia Lima Josephum Barreda, virum sollertem, prudentemque, in Paraguayam ire, & succedere Provinciali Querino. At cum Barreda & statum provinciæ ignoraret, nec sciret, quot, & qui essent in collegiis, eligendus ei erat socius, & comes, qui utrumque usu nossæt, neque alius erat magis in hanc rem idoneus

N

Escan.

Escandonio, qui omnem modo Paraguayam peragrat, & decessoris Præfecti consiliis interfuerat.

XXXIX. Igitur prorogatum illi munus est, quod ab epistolis gerebat, totumque decennium cum gemino Provinciali fuit, ea fide, & diligentia, ut, dimissa jam cura illa, affirmare palam potuerit, nullum sibi in animo hæere scrupulum, aut mali suspicionem, eorum, quæ decem illis annis dixerat, scripserat, gesserat. Neque vero aliâ de illo erat inter Socios publice opinio, ut satis constitit in provinciæ comitiis, quæ sexto quoque anno habebantur: seniorum enim patrum undique Cordubam convenientium suffragiis electus est Procurator cum Simone Baylina, ut irent Matritum Regi supplicatum pro supplemento operariorum, & Romam ad docendum Præpositum Societatis de Sociorum in Paraguya ministeriis, & religiosa collegiorum disciplina.

RENAVIGAT ESCANDONIUS IN EUROPAM.

XL. **S**olutis comitiis, acceptoque commeatu, novi Procuratores Bonasæuras contenderunt; & conscensa navi extremo Octobri an. MDCCLVII. Gades appulerunt medio Februario an. MDCCLVIII. In longo Oceani trajectu; ac deinde, quaqua iter Escandonio per Europam fuit, insignia exempla viri vere religionis, humilis, pii, & pauperis, ubique reliquit, prout testantur qui cum eo versati sunt. Baylinam autem comitem suum, senem gravem modestumque, & coluit eximie, & ita rebus in omnibus ei morem gessit, ut non tam collega, & commissæ curæ confors videretur, quam tiro aliquis Magistro adstans suo. E portu S. MARIE Matritum profecti, offenderunt Aulam adversam Jesuitis, & maxime Paraguaycis: invaluerat enim fabula illa Nicolai I., quem sibi illi regem fecisse dicebantur, ostensis etiam nummis cum illius epigraphe, quos quidam (ut calumnia cresceret) cudi curaverat ære suo, adeo libido detrahendi ne impensis quidem malignis aliquando parcit.

XLI.

XLI. Cum igitur oclusi essent aditus omnes, ut supplementum, cuius causa venerant, a Rege impetrarent, haud diu ibi morati, iter Romam versus aggressi sunt. Ex Urbe autem, edocto Præposito Generali de statu, & disciplina provinciæ Paraguayæ, Matritum rursus veniunt. At quid secum Roma extulit Escandonius? Lignum Crucis, & numismata illa sacra, quæ in patriam suam ab eo missa alibi memoravimus. Reportavit præterea ex urbe dulcem memoriam piorum monumentorum, quæ invisit, religio-seque veneratus est, atque gaudium ingens, quod ei licuisset pedes osculari Pontif. Max. Clementis XIII. quæ omnia deinceps, extrema præsertim ætate, frequens, & grata Escandonio fuit sermonum materia.

XLII. Matriti pergere male audire Jesuitas Paraguaycos repererunt. Escandonio id quoque gravissimum accidit, quod paulo post collega Baylina naturæ cessit. Erat ille primus Procurator, & qui res provinciæ suffragii prærogativa curabat: eo vita defuncto, tota negotiorum moles recubuit in Escandonium, cui in comitiis secundæ partes demandatæ fuerant. Tentare ergo postulata de supplemento operariorum coepit. Surdæ omnium aures: obstabat infamia, & rumor de rege Nicolao. Adibat ille modo hos, modo illos Aulæ principes: dabantur verba: redi, matura nondum res est; immo est nonnihil de quo te purges, & tuos. Ut vidit se frustra niti id cepit consilii: epitomen de rebus gestis apud Guarani-pro urgenda migratione e septem foederis oppidis diligenter scripsit.

XLIII. Narrabat ibi sincere, quid Provincialis, quid Sociorum Guaranicorum præfectus, quid Socii ipsi, & quid (cui in omnes hac in re summum imperium erat Dictatoris instar) Ludovicus Altamiranus, ardens ille & vehemens vir, e Bætica eo missus, egissent, ut decreto Regis parerent, atque e jussis oppidis migrarent Indi. Initio omnia recte stetit, & respondisse Uruguaycos, se se patria abituros, quæsitis aliis sedibus. Comparata fuisse omnia ad migrationem, & designata trans Uruguayum loca, alia aliis, ubi novum oppidum sibi ædificarent. Verum ut jam

iter instabat; ut agenda erant ingenti labore armentata, & pecora plurimarum tractu leucarum (res moventes Lusitanis concessæ non fuerant) ut agros respectabant, quos coluerant; ut prætergrediebantur lucos, quos circum severant, herbæ Paraguaycæ, unde eis magnus proventus; ut convasanda supellex, ut deferenda tecta, & templa magnifica, quæ multis annis, impendiisque struxerant; ut abeundum ipsis, & filiis, & uxoribus in exilium, idque causa Lusitanorum, quos semper infensos, infestosque experti fuerant; ut hæc omnia ante oculos obversabantur, tum pro amore patrii soli, quo Indi omnes vehementer commoventur, nihil nec promissis, nec donis regiis, nec minis retenti, e via jam captâ reverti cœpere, & lamentari, & jugum excutere, & arma capere malo suo, ac Curatorum suorum, quos in summas angustias redegerunt, appositis ad eorum ædes custodibus, ne clam elaberentur. Bellum autem ab eisdem sine consilio, & tumultuose gestum; id quod patuit Hispanis, & Lusitanis ducibus, animadvertentibus passim omnia temere administrari, & negligi loca idonea ad resistendum, & opportunitates rei bene gerendæ prætermitti, & prodigi vitam ab Indis occurrentibus, adeo ut Josephus Andonaegui, Hispanici exercitus imperator, cum obvios armatos reperisset in loco angusto, neque illi, a caduceatore sæpe moniti, aditum aperirent, invitus moestusque explodi in eos tormenta jussit, videbat enim sibi rem esse cum obstinatis propemodum pueris. Interfecti tum sunt mille circiter, quorum contemplatus stragem idem ille Andonaeguius tenere lacrimas non potuit. Alii vero, qui ruinæ superfuere, hac illac attoniti fugam ceperunt, iterque liberum relictum est in oppida Hispanis, Lusitanisque.

XLIV. Jam vero de his rebus, qui melius Escandonio posset scribere, nullus tum erat in Europa. Lustrarat per se oppida illa Uruguayca, ac norat Indorum, quibuscum tamdiu vixit, inconstans ingenium, & summum studium in avitas sedes, quæ causa fuit, cur quæsitum ab ipso Itatini (ut supra retulimus) moveri se loco passi non sint, constiterintque longissime ab oppidis aliorum Guaraniorum, unde, si pro-

propius accessissent, adjuvari multo commodius, & facilius possent: sed præ nativis silvis, & patria regione, commoda omnia, & utilitates spreverunt: sacri autem operarii inconsulto eorum desiderio miseri, incultique soli, cui insueverant, cedere coacti, oppida ædificarunt centum & quinquaginta procul leucis a neophytis Paranensibus, quorum ipsi lingua utebantur (a). Mala autem eventura Indis migraturis multo ante Escandonius præviderat, eaque animo revolvens, præ tristitia & dolore, correptus est perpetuo manus tremore; auditusque deinde aliquando dicere: quid hoc rei infaultæ est? timor de turbis, & damnis futuris, manum tremefecit: & tamen postea nullus nuncius, quantumvis lætus, statum primum & quietem manui restituit meæ.

XLV. Neque experientia illa Indica Escandonii opus erat, ut quis orituros e foedere tumultus vaticinaretur. Fac enim vel ex ipsa Thracia horrente, vel ex arida Lybia, habitatum septem pagis amplum terrarum tractum externis hominibus cedi, juberique Thraces, & Lybes, felictis mapalibus, & sedibus, ubi nati sunt, novas longe sedes quærere, alioque migrare: miraberis tu, si ad iter compulsi, averferentur, calcitrent, pugnent? Ceterum de Rege Nicolao ostendit.

(a) Apposite in hanc brizhoffius (Hist. de Abissinien) affert Martinus Donib. tom. I.) illud Ovidii:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non finit esse sui.

Atque iterum: Amor patriæ ratione valentior omni.

Addit idem Historicus: *propensissimo. Nulla elatione ab Indis migrationi repugnantibus intellectu magis, quam voluntate, qua Regi addictissimi erant, peccatum esse. Quid facerent, ait, Hispani, Germani, Galli, si patriam suam hostibus relinquere cogerentur? Animo in Regem Catholicum erant* *propensissimo. Nulla elatione Missionariorum induci poterant, ut crederent, eam esse optimi Regis voluntatem, patrio solo extorres, hostium Lusitanorum in gratiam æternum exularent miserrimeque. Hæc ille totidem verbis. Edit. Viennens. an. 1784. tom. I. pag. 19.*

ostendebat Escandonius putidam fabulam esse, nummosque illos eo cufos, ut ficto regno pondus adderetur. Loca illa occupata jam armis fuisse, stativa milites in oppidis Uruguaycis habere, morari ibi Praetorem Bonauremsem, eundemque regii exercitus imperatorem: ab hoc plures centum e conjuratis vocatos esse in quaestionem, cui praefuit Didacus de Salas, Legatus, vir insigni aequitate, & consilio, adhibitis interpretibus binis Centurioribus Hispanis, quibus, ut in urbe Fluentina natis, Guaranica lingua familiaris erat, ea enim inter se utuntur cives illi. Interrogatos autem Indos de auctoribus, & causa rebellionis, nullum appellasse praeter se ipsos, qui bellare pro suis, & patrum suorum oppidis, quam inde excedere maluerunt. Hujus quaestionis monumenta rite obsignata ad Aulam jam transmissa esse: resignentur illa, & legantur, & Regi ostendantur. Regis vero Nicolai nomine postulatos Uruguaycos Indos non fuisse, cum numquam illi, prout manifesto constabat, sibi Regem constituissem, & ne cogitassent quidem.

XLVI. Postquam epitomen in hunc ferme modum absolvit Escandonius, atque aliis legendam tradidit, conversae plurimorum mentes sunt, ac paulatim de Paraguaycis Jesuitis sentiri melius coeptum est, avide enim lucubratio illa querebatur, & studiose transcribebatur: nec defuit praecipue nobilitatis, & magni nominis vir, qui auctorem ad se Matrino arceriverit cognoscendi gratia: sed ire renuit Escandonius, cui semper illud fuit proprium *age quod agis*. Institit nimirum commissio sibi supplementi petendi negotio, quod deinde multo felicius processit; tandemque Carolus III., agente Jesuitarum Paraguaycorum causam Senatore Indico amplissimo, plura Escandonio dedit, quam petierat, ac decreto valde honorifico concessit supplementum sexaginta Sociorum.

XLVII. Quippe imperitabat jam tum Hispaniae Carolus III. Rex, successor Ferdinandi. Et vero cum ad illum, nulla fratri suscepta prole, devolverentur jura regni, resciscens olim Neapoli, quid foederis de finibus Americanis feriretur, dicitur illud palam reprobasse tamquam contrarium bono publico Hispanorum: idque edoctus fuerat a regni primo Administro
Mar-

Marchione de la Enseñada (a), qui rem totam ad Carolum, utpote cujus intererat, per litteras detulit, fidelitati in heredem Ferdinandi Regis præferens favorem Reginæ Lusitanæ, quam in suas partes Lusitani traxerant. Sane eo tempore dejectus gradu suo est, exauctoratusque Marchio ille: feruntque casus fuisse causam improbatum foedus. Illud certum est, eum a Carolo III. revocatum ab exilio, Matritum rediisse: neque id tantum; sed Rex ipse initio aditi imperii pacta illa Americana rescindi curavit, jussitque Uruguayos vi pulsos e septem oppidis, postliminio ad ea redire, illisque publice sarciri damna orta e migratione. Anno autem MDCCCLXXVII., cum novum foedus de limitibus pepigit, noluit oppida illa Uruguayca attribui Lusitanis; sed reservata sunt, cujus erant, dominio Hispano. At video me longius abripi.

XLVIII. Igitur Escandonius actis Deo gratiis ob liberale, & benignum Caroli Regis decretum, bene positos duxit tot labores, tot passus, tot tædia, quæ necessario subeunda fuerunt ad rem conficiendam. Testatur qui cum Escandonio Matriti tum vixit, multas evigilasse eum noctes intentum commentando, scribendoque: eundemque, quod propius meridiem sacrum Missæ prolixè faceret, prolixasque post sacrificium gratias Christo Domino redderet, aliquando vocandum fuisse, ut iret ad triclinium, quandoquidem jam alii prandissent, aut ad extrema prandium versaretur: neque hac una re sociis Matritensibus pietatis, & patientiæ exemplum dedisse, sed plurima etiam humilitatis, & paupertatis, atque officiosi erga omnes animi.

XLIX. Moræ autem Matritensis, quæ longa fuit, alter Escandio constitit fructus. Cum nusquam memoriam Indorum, quos quasi filios amabat, deponeret, curavit ibi typis edi duo volumina, quæ P. Josephus Ignatius Insaualde, Paraguaycus, & scientissimus linguæ Guaranicæ, quondam scripsit. Titulus operis est: *ARAPORUAGUIYEHABA*, de recto diei usu.

(a) Idem Dobrizhoffs tom. cit. pag. 36.

usu. His libris Infauraldus docet Indos, quo modo totum diem Christiane, & sancte transigant, explicans sigillatim, quid mane, ubi primum expergiscuntur, quid meridie, quid vespere, quid noctu, quid domi, quid foris, quid in templo, quid in frequentandis Sacramentis, quid in exercendis virtutibus, quid in fugiendis vitiis agere debent, ut *sobrie, & iuste, & pie vivant in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi*, cui per omnia, & in omnibus studeant placere. Opus omnino elegans est, & doctum, & utile. Illius autem editio magnis Escandonio curis steterit, necesse est. Principio cudendæ fuerunt seorsim quædam notæ ad designandos vocis sonos, quibus Guaranii modo gutture, modo naso, modo utroque simul, syllabas ita efferunt, ut unum, idemque nomen, prout diverso sono pronunciatur, diversa significet. Post cusas notas istas, assistendum sedulo erat typographo, cum nihil penitus intelligeret: ad extremum corrigendæ iterum atque iterum tabulæ, ne errores in prodituras e prælo chartas irreperent. Volumina hæc sunt iustæ molis, & pulchris typis edita, quæ deinde Escandonius secum in Paraguayam advexit, ut distributa Indis perpetui monitoris vicem agerent, quo illi tempus e Christianæ vitæ institutione ponerent caste pieque.

REDIT IN AMERICAM CUM SUPPLEMENTO.

L. Impetrata ab Rege scribendi supplementi venia, eo curam vertit Escandonius, ut arcesseret undique adolescentes, qui & virtute, & doctrina utiles in Paraguayam esse possent: quod si utriusque spes non esset, nullius nomen accepit, quo factum est, ut delectos litterarum studiosos, & Sacerdotes secum in Americam advexerit. Ubi constitit numerus, evocavit omnes in portum S. MARIE, quo ipse Matrito venerat. Enimvero nihil Escandonio sine summis molestiis, laboribusque procedebat. Ecce tibi nova exorta difficultas, bellum per id tempus Hispanos inter & Lusitanos, rupto jam foedere, de quo supra diximus; atque ita rupto, ut eadem illa Colonia, quæ mali pars magna fuerat, cum
Castrij

Castris aliis, obseſſa ſit, & capta III. Non. Novemb. an. MDCCLXII. ab Hiſpanis, quibus egregiam operam contulere mille Guaranii, evocati a Prætorè Bonaurèſi, qui regiis copiis præerat clarus militari virtute, & conſilio promptus manuque; ac tum quidem patuit, tanta, tam brevi tempore, rerum commutatione, quam nihil pro viciffitudine ſortis humanæ ſtabile, & conſtans ſit. Ceterum, ardente bello, tuta in flumen Argenteum navigatio non erat. Hinc in alendis ſociis, quos jam coegerat, magnæ Eſcandonio impenſæ factæ ſunt.

LI. Poſtquam benignior cœpit apparere rerum conditio, pactus eſt cum navium ducibus Bonafauras trajecturis de ſupplemento illuc devehendo. Triceni navigarunt cum viro optimo Ferdinando Cortes, qui ſocios ſibi creditos honette admodum liberaliterque habuit. Triceni alii ituri erant navi altera, jamque cum Navarcho tranſegerat Eſcandonius, & onera impoſuerat. Ille, exploſo prius tormento, quod proximæ profectionis inter nauticos teſſera eſt, Idibus Novemb. an. MDCCLXIII. ſolvit veſpere, non recepto ſupplemento. Cur, & cujus errore factum illud ſit, non eſt noſtrum diſcutere. Eſcandonius in portu S. MARIE (unde proſpectus eſt in ſinum Gadiranum) expectabat privatum nuncium de inſtanti tempore conſcendendi, quæ pollicitatio ipſi facta fuiſſe dicitur. Verum ubi conſtitit, navigium provehi jam in Oceanum, quo Gades Occaſum verſus alluuntur, percuſſus rei gravitate propere tricenos ſocios in ſcapham imponit, inque altum mare egreſſus eſt. Navigium nuſquam reperit; nec tutum erat parvo & debili lembo ultra progredi. Regreſſus eſt igitur, eamque noctem in Gaditanis molibus ſummo incommodo poſuit. Ubi illuxit, conductæ onerariæ, rurſum e ſinu exiit, ſi forte abiens navigium aſſequeretur. Poſt horas aliquot malacia ingruit, malaciamque excepit procella, qua ita celox illa jactabatur, ut jam jam demergenda videretur: vento autem averſo in Africæ oram noctu abrepta eſt: jamque Marrochiorum ignes propius cernebantur; ac periculum erat, ne, ſi piratæ illi ſenſiſſent, inſurgerent contra, & captivos abducerent.

LII.

LII. Itaque videns Escandonius frustra se vento, marique obſistere, decrevit portum S. MARIE repetere, miſerantibus omnibus tristem ejus sortem. Subeunt iterum cum comitibus ostium Indici hoſpitii occurrit Præfectus, & quid factum, ait, Joannes? Hic, quid vis, inquit? *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*: quod ea animi tranquillitate, atque ita composito vultu dixit, ut pæne lacrymas audientium excuſſerit.

LIII. Equidem, cum multa antea accidissent Escandonio gravia, & acerba, nihil arbitror acerbius, & gravius eum unquam paſſum. Procuratio Indicæ navigationis innumerabilibus curis, & incredibili molestia conſtat. Expectanda est navis, quæ in Novum Orbem tendat: tranſigendum cum Navarcho de nullo, qui ſummus est: priuſquam de eo conveniat, itur, reditur sæpe. Tum imponenda onera, conſtruendi ſingulis loculi in attributo cubiculo, ubi dormiant. Expectandum dum inſtitores merces ſuas illuc imporent, congeraturque comneatus ad trajetum Oceani, qui aliquando quinque menſibus, aut etiam ſex durat. Ante vero quam hæc omnia comparantur, abit unus, alter, plures menſes, annus. Et quidem dicuntur aliquando univerſa jam præſto eſſe, & tamen aliæ aliæque hebdomades elabuntur, nec dies profectionis adett.

LIV. Qui e propinquo hæc non viderit, expertuſque ſit, vix concipiet animo, quantæ ſint ejuſmodi difficultates, & moleſtiæ. Escandonius cuncta jam devorarat, ut iret cum abeunte navigio: & denuo (quod triſtiſſimum eſt) eadem devoranda ipſi fuerunt, ut cum alio navigaret. Inter autem tot curas, & tædia, qui fuerit illi ſenſus, explicuit idem poſtea, cum jam appuliſſet in Americam. Nam dicenti cuidam, magna fuerit, o Joannes, tibi moeſtitia neceſſe eſt, quando poſt tot ad iter obita incommoda, factasque impenſas, relictus in portu cum tuis es: reſpondit Escandonius: „ Cum in hoſpitium S. MARIE „ redii e frustra ſuſcepto curſu conatuque pro aſſequen- „ do navigio, ſuſtuli ad cœlum oculos, & cogitare „ cœpi apud me, num ejus mali cauſa ipſe fuiſſem, „ & reus culpæ. Ut vero per Dei gratiam me inſon- „ tem reputavi, tam læto fui animo, pacificoque „ „ quam

„ quam si navigassem : intellexi enim eam esse di-
 „ vinam voluntatem . Id unum timui , ne adlecti mi-
 „ hi Socii , territi ærumnis Oceani , & periculis , quæ
 „ jam delibarent , mentem mutarent , dicerentque
 „ nolle se in Paraguayam transvehi . Verum cum
 „ constantiam omnium perspexi , lætatus admodum
 „ sum , laudavique Dominum , eique gratias egi ,
 „ quod ita illos animaret „ .

LV. Ergo ad supplementum , quod restiterat , con-
 duxit navim aliam minoris formæ , quæ ob id instrui
 facilius potuit , nec tamen festine adeo , quin tres
 menses consumpti sint . Solvit Gadibus VII. Idus Fe-
 bruar. an. MDCCLXIV. Ibant præter Escandonium ,
 ejusque tricenos socios , e Franciscana familia viri
 religiosi XLIII. ad sacra ministeria regionis Paraguay-
 cæ , ubi & coenobia habent , & curant aliquot Indo-
 rum oppida . Navigatio difficillima fuit : jactati pro-
 cellis sæpe : calores in Zona torrida acerrimi : ad hæc ,
 maximum omnium malum , malacia trium & triginta
 dierum . Eo tempore navis ita manet immota , ac si
 clavis fundo affixa teneatur , Cessante autem omni
 ventorum flatu in media illa solis plaga , æstus flagrat
 vehementissimus : disfluunt membra , & ardent siti vi-
 scera . Exercitus malis his alias Escandonius , extule-
 rat secum refrigerantium corpora succorum vim ma-
 gnæ , eosque sedulus dividebat sociis , non immemor
 Franciscanorum Patrum , quibus quantum potuit opi-
 tulatus est .

LVI. Durabat malacia ; commeatus sensim hau-
 riebatur , navis hærebat , pejorque ejus erat condi-
 tio , quam si ageretur sæva tempestate , qua aliquo ter-
 rarum tandem aliquando abriperetur . Escandonius
 cum tot ærumnæ circumstarent suos , exemplo Jonæ
 Deum precabatur , ut si quidem ipse causâ esset , cur
 & navis , & nautæ , & vectores adeo vexarentur , eum
 potius morte mulctaret , quam alios . Nec vero a ceteris
 cessabatur : vocabant in yota superos , Numenque
 propitiabant , & quotidie sacrificabatur hostia propi-
 tiationis , strata ante Aram corde contrito , & humiliato
 turba supplicantium . Audiit orantes demum e coelo
 Deus , immisitque ventum , quo iter promotum . Cum
 verò propius ostium fluminis Argentei ventum est ,
 gau-

gaudium absolutæ propemodum navigationis interturbavit calamitas alia, pertinax nimirum ventus, qui alveum amnis subeuntes retrorsum propellebat. Hoc novo malo crevere intus incommoda, & jam, pæne exhaustis commeatibus, ita parce & cibus, & aqua dividebatur, ut arcendæ magis morti, quam tolerandæ vitæ satis essent. Itaque Navarchus, habito nautico consilio, decrevit cursum in Brasiliam, aut quoquo possêt, reflectere. Sed demum benignus Dominus *statuit procellam in auram*, qua portum Monsvideanum, post quattuor menses, & semis, navigationis subierunt XI. Kal. Jul. qui dies sacer est D. Aloysio Gonzagæ, quasi is tot sodalium adolescentium misertus a JESU Salvatore, *cui & venti, & mare obediunt*, impetrarit, ne perirent.

LVII. E Montevideo transvectus Escandonius cum suis Bonasauras, quæ urbs in adverso amnis litore sita est, supplementum tradidit Præfecto provinciæ, abiitque munere Procuratoris, quod per tot res adversas, & pericula, fideliter gesserat. Capta paulisper quiete, iussus est accingere se se ad grave aliud onus, Magistrum videlicet tironum agere. Hac ille cura magnis precibus eximi precatus est: fractum jam se corporis viribus, & languescere spiritu, & mente etiam uti debili, ex quo ipsum diu exercuerat in portu S. MARIE febris tertiana, quæ importunum, & molestum strepitum ad frontem reliquerat, ut ne volens quidem seriis vacare rebus possêt. Auditus non est. Paruit igitur eo ductus decreto animi, quod ei jam inde ab adolescentia familiare fuit: ego quidem huic, & illi rei obeundæ aptus non sum, sed si jubeam facere, faxim obedientiæ virtute confusus.

LVIII. Proinde cum illis ipsis adolescentibus, quos secum ex Europa advexerat, Cordubam Tucumanorum venit: aggressusque tironum magisterium, eum in illis instituendis modum tenuit, quem alibi diximus. Vitæ autem integritate, & discretionem (ex regulis Magistri Novitiorum in Soc.) ita se gessit, ut omnes, qui in probatione erant, ad eum in suis tentationibus confugerent, consolationem, & auxilium in Domino sperantes. Argumentum domesticarum adhortationum illi tum fuit: *Fratres magis satagite,*

ut

ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Et quidem nihil aptius accommodatiusque inculcari eo tempore tironibus poterat. Nam perinde ac futuri præsciis esset Escandonius, ad inopinatum (quod neque ipse, neque illi timebant) malum alumnorum suorum animos muniebat: instabat quippe jam ex urbe, totaque adeo e Paraguaya exilium, quo paulo post indicto, constitit palam, quantum virtutis constantiæque hausissent tirones e Magistri, quem amabant, præceptis, factisque Abducti seorsum, distracti, segregati, foris disculsi, de imminentibus terra marique æumnis admoniti, deliniti, instigati, ut domos quisque suas reverterentur; sequi per ardua, perque toleratu aspera, Magistrum suum, & veteranos maluerunt; ac ne unus quidem in America restitit, & per varios deinde casus, & rerum discrimina in Italiam, quo eorum sacer impulsor jam præcesserat, contenderunt, duce Clemente Baigorri, nato Cordubæ in Tucumania, insignium dotium adolescente, qui ingenio, & virtute, & prudentia, apud alios tirones plurimum valuit. Pie obiit an. MDCCLXX.

DEPORTATUR ESCANDONIUS IN EUROPAM.

LIX. **A**udita lege exilii stetit, ut modo diximus, animus Magistro tironibusque. Neque operæ hic pretium est commemorare angustias illas triclinii, quo tot dies inclusi Cordubæ sumus, neque hinc longum iter ad Bonasauras, moramque illam molestam in navi, antequam e flumine Argenteo egrederemur. Duo secum habebat Escandonius, quæ ultro petierat, Sacra Biblia, & auctorem moralis disciplinæ, unde & eruditionem mentis, & solatium viarum identidem traheret. In Oceani deinde navigatione nihil de æquitate illa sua, & tranquillitate remisit. Stratum meum haud procul aberat ab ejus strato; cumque ibi (propter arctum navis situm in maximo vectorum numero, & ne nautarum ministeria impediremus) non noctem solum, sed magnam etiam diei partem, aut diem totum, si coelum turbatum erat, poneremus,

mus, non memini tristem illum, aut tædio victum videre umquam: immo vero ne illos quidem suos religiosos sales, & hilaritatem deposuit: quibus rebus cum aliis carus fuit, tum nobili, humanissimoque viro Gabrieli Guerra, regio Navarcho, qui eum cum ceteris senibus mensæ suæ, quam longa fuit navigatio, comiter adhibuit.

LX. Post tres menses positos in Oceano ingressi sumus sinum Gaditanum, eque sinu deducti in portum S. MARIE. Escandonii vitæ tenor idem utrobique fuit in mari, inque statione illa: neque postea diversus in Mediterranei maris traiectione, neque in insula Corsica, in quam nobiscum deportatus est. Fractum eum tot malis vidit nemo, ne Manzini quidem (*Bastia* vulgo dicitur) ubi admodum incommode angustæque habitabamus. Illinc sub extremum Augustum an. MDCCLXVIII., octingenti Jesuitæ, qui eo e variis provinciis appuleramus, jussi sumus a Gallo Imperatore Chauvelino (cui e Gallia missò ad administrandum bellum contra Corsos tot hospites Hispani graves molestique eramus) jussi, inquam, sumus præcipiti festinatione septem onerarias conscendere. Tumultuaria hæc profectio breve malum fuisset, cum facilis trajectus sit e Corsica in Delphini portum, quo deferebamur: sed plurima fuerunt, quæ navigationem istam molestissimam reddidere. In actuariam, qua vectus Escandonius est, impositi sumus CXXVII. Paraguayci. Nec consistere sub pontibus, nec culcitra explicare, nec sternere corpora, nec dormire poteramus: ideo multi sub dio rigido super navis tabulata noctem agebant. Hos inter stabat ad puppim Escandonius tectus galero, & baculum manu tenens: coactus tamen est a Sociis, vicem ejus miseratis, ad interiora descendere, ubi utcumque paratus illi lectulus est. Cibus parcissimus apponebatur e cocta oriza, aut leguminibus, cum salita carne omnia corrumpente; panis nauticus, & jam mucidus: quibus cibus bonus ille senex utebatur, nihil questus.

LXI. Res diutius protracta est, quam debuit. Liguribus (cur nescio) visum non est descensum nobis permittere: decem proinde dies, ripa prohibiti, in marino illo carcere contabuimus. Tandem dux Gallus,

Gallus, cujus sub potestate eramus, vocatis ad se Sociorum præfectis renunciavit, rem cum Liguribus, ut nos porro ire sinerent, transactam esse his conditionibus: dent singuli quinos aureos ad expensas viæ, usque eo dum finibus Ligusticis egrediantur: commeatum, & equos dabit designatus ad id publice curator. Hæc ille. Præfecti obtestati sunt eam summam a plurimis dari non posse, propterea quod regiam pensionem ad bimestre tempus dumtaxat in Corsica acceperamus, cujus partem maximam primus mensis absumperat, cum multa fuerint coemenda utensilia ad instruendas domos, quas Mantini conduxeramus. Instabat Gallus aureos illos omnino dandos esse, opponebatque Reipublicæ (jure, an injuria? fortasse enim nihil ea ejusmodi imperarat) nomen. Corrogatis nummis confici non potuit tota illa summa: Gallus tamen, mitior jam factus, accepit, quod datum est: reputarat enim, opinor, apud se, in novem leucas, quibus per fines Ligusticos in ditionem Parmensem eundum erat, nimium esse in capita quinque aureos.

LXII. Ergo a bono illo viæ curatore conducti sunt agasones, qui nos veherent, quam commode, hinc conjice. Seni Escandonio admota est mula clitellaria, quæ illi instar equulei fuit, repandis enim cruribus acerrime torquebatur. Misertus e comitatu quidam, cui equus cum ephippiis obtigerat, descendit, supraque, ut melius iret, Escandonium imposuit. Verum equus, quasi senem sessorem contemneret, qui vi, & calcari uti non posset, excussit eo impetu, ut viæ, & vitæ ei finis illic futurus fuisset, nisi qui pedibus circum ibant, manibus, antequam humi offenderet, ruentem excepissent. Itaque vel invito repetendæ fuerunt clitellæ, & mula vectus est, quæ erat mansuetior. Sic superatus est Apenninus, qui invictam Escandonii patientiam exercuit.

LXIII. In Parmensi ditione multo melius actum nobiscum est, Duce benignissime procurante largum victum, & commodum honestumque transitum, ac tradi jubente præfectis nostris octo in capita aureos, quibus, quod reliquum viæ erat in Æmiliam, conficeremus. Sentires e liberalitate ipsa, & beneficentia, optimi præsentiam Principis, qui satis norat, patriui sui,

fui, Regis Caroli, voluntatem esse, eamque testatam publicis monumentis, ut, quamvis exules, decenter humaneque haberemur: ac sane contra generosum ejus ingenium, & animum fuit, illa, quam jussit Gallus Imperator, præceps & turpis deportatio ex insula Corsica in Liguriam.

LXIV. Deventum est tandem, exeunte Septembri an. MDCCLXVIII. Faventiam, nobilem Æmiliæ urbem, quam Deus destinarat Escandonio longissimarum finem viarum. Viarum dico longissimarum, quia si, quas ille peragravit in Europa, & in America regiones ad calculos redigas, facile efficies iter terrestre trium millium leucarum. Adde huc navigationem Mediterranei maris, & Atlantici, quod quater remensus est. Et quoniam trajectio e sinu Gaditano Bonasauras, & Bonisauris in sinum Gaditanum, trium mensium, & plurium aliquando est, fit hinc, Escandonium e septuaginta annis, quos vixit, annum integrum, eoque amplius in Oceano posuisse.

MORS ESCANDONII.

LXV. **F**aventia habitavit semper (præter primos menses, quibus eximius Comes Franciscus Cantoni villicum palatium nobis benigne attribuit) Escandonius in ampla domo, quæ ideo locata est, ut omnes adolescentes litterarum studiosi, Rhetores, Philosophi, & Theologi simul degerent cum magistris: dabatur enim opera illis artibus non secus, ac olim Cordubæ Tucumanorum: fuit autem moderatoris Paraguaycorum optimum consilium, ut vellet ibi morari Escandonium, qui exemplo suo ad disciplinam religiosam juvenes excitaret, eisdemque consolationi foret, si quis illum adiret, & consuleret: ejus quippe senectus adeo nulli morosa, & gravis erat, ut e contrario omnibus esset amabilis, & grata. Ærumnas vero, & incommoda, quorum tali tempore ingens copia, ferebat animo æquissimo, ajebatque: *patientia, patientia: sic quod vitæ restat vivendum est.*

LXVI. Ultimum jam tempus peregrinationis a Domino inire sibi præsensisse visus est. Etenim quamvis
num-

numquam non fuisset conscientiae sollicitae, religiosiorisque, tamen observatus est multo quam antea frequentius ad Confessarium suum ire, ut is ipse miraretur, quid esset id rei, & cur tanta, & tam diligens cura. Morbus in Escandonio præter attritam ætatem nullus apparebat. In pervigilio autem natalis Domini anno MDCCLXXI. adjutor laicus, qui idem cum eo cubiculum incolebat, cum nihil noctu sensisset, expectatus reperit illum humi stratum ad lecti pedes, atque algore torpentem. Res visa est summi periculi; actumque statim de coelestis Viatici administratione. Eo accepto, gratias Christo Domino diu, & alta voce egit Guaralice; qui Indicæ linguæ tum usus pios audientium motus excivit, secum reputantium, quam bono seni essent cordi neophyti illi, quos ritu patris semper amavit.

LXVII. Quattuor simul, aliud alibi, applicata ei sunt cantharidum irritamenta. Quo factum est, ut doloris, per se se gravis, sensus augeretur, utique cum plagæ, exulceratæ jam acrimonia, refricabantur, purgabaturque exiliens humor. Tum ita tremebat totus, ut adstantium, cognito quantum pateretur, eliceret pæne lacrimas: ipse autem nec gemitu, nec lamento ullo vim prodebat immanis cruciatus. Interrogatus an doleret? *nihil*, aiebat, *nihil*. Et cum quis dixisset, atqui ego, cum cantharides aperirentur, animadverso dolore tuo, summopere dolui: enimvero, respondit Escandonius, delicatus nimium es tu. Alias tamen sincere confessus est, vehementer laborare se se morbo illo, vel remediis morbi, quo immotus jacere cogebatur, vitiato jam & fatisciente corpore: verum subiecit: *non sumus in hac lacrimarum valle? quid igitur nobis faciendum est, nisi pro Dei amore pati?* Ob hunc ipse amorem patiebatur, non alia usus consolatione inter malum acerbum, quam illa: *omnia propter Deum O Deus meus, & Jesus meus? . . . Fiat voluntas Dei*. Expiavit autem se se sacra confessione sæpius: ac tandem munitus unctione sacra tradidit spiritum in manus Domini VII. Idus Januariæ an. MDCCLXXII., ante casum Societatis menses XVIII. Ejus corpus modesto funere elatum est in collegium Sociorum Faventinorum.

RELIQUÆ VIRTUTES ESCANDONII.

LXVIII. **H**Æc vita fuit, hæc mors Joannis Escandonii, cujus virtutes plerasque jam diximus: addenda tamen hic nonnulla sunt, quæ vix attigimus. Fides, quæ omnis meriti cœlestis radix est, adeo viva, & efficax in eo erat, ut illam palam proderet, vel cum sacrificabat, vel cum intererat aliis Religionis mysteriis. Sedi Apostolicæ Numinis interpreti ita addictus fuit, ut fremeret, indignareturque vehementer, visa incredulorum licentia: execrabatur autem impia eorum ausa, qui Pontificis summi jura sacrosancta infelici hoc tempore deterunt scriptis infamibus, & scelerate Cathedram Romanam proculcant. Cui dolori aliquod medicinam ut quæreret, vertit in Hispanum sermonem binas apologias, quas, Pontif. Max. Paulo V., edidit pro Ecclesia V. Card. Robertus Bellarminus.

LXIX. Ut vero Baptismus fidei janua est, dicam rem pæne incredibilem, quæ illi olim contigit. Incidit forte, cum esset in America, virum in quemdam qui sic narrabat. Egi ego cum homine religione Judæo. Is mihi ultro professus est, dissimulata fide, ita Christianis cœtibus se se insinuasse, ut Christianus crederetur: addidisse quoque litterarum studia, eisque assëcutum, præter alia, ut in Sacerdotum collegium, ficta initiatione, cooptaretur: omnia autem successisse sibi pro voto, quo inhiabat templi opibus: accitum se etiam a Curione quodam in partem ministerii Malacæ in Bætica, donec inde aufugit. Ceterum se, quippe qui sacra Christiana odisset, nullum eorum, qui ad Baptismum afferebantur, voluisse baptizare: tantumque, ne se proderet, specie tenus, atque animo averso, externas cærimonias adhibuisse. Hæc illo narrante exhorruit Escandonius ad tantum sacrilegium, atque ut malo, qua posset ratione, mederetur, de re tota scripsit ad Episcopum Malacensem, indicata Pæroecia, anno, ceteris, quibus in facti, si verum esset, cognitionem veniret. Quid deinde evenerit, equidem nescio, nec rescivit Escandonius ipse, qui litteras ab Antistite nullas accepit.

cepit. Potuit sane facinus verum esse; & potuit vicissim, vel primus ille, qui id se se fecisse dicebat, mentiri; vel alter, qui hæc tamquam a Judæo audita retulit, fingere, ut est certum hominum scurrilium genus, qui, ut sui admirationem excitent commemoratione rerum insolitarum, non dubitant imponere honestis viris. Quidquid istud fuerit, certe ex eo patet, quo studio, & zelo esset Escandonius, cum de fidei mysteriis ageretur: maluit quippe nimium timidus, & credulus fuisse narratori illi videri, quam parum cautus, & prudens pro vitando malo.

LXX. Quanta vero in illo spes? Hac fractus non est tot inter pericula, resque tractatu asperas, quas demum, Dei iussus ope, expediendas sperabat. Jam morti proximus firmissime confidebat, receptum se se cœlo iri: nec tamen debito caruit timore: dicenti enim Socio, ut sui, cum in cœlo jam esset, meminisset, respondit: quid? adeone tibi facile factu videtur in cœlum ire? Amoris Dei, & proximorum, ea sunt argumenta, & quæ pro illo passus libenter est, & quæ pro horum causa strenue egit, sive in quærendis, instituendisque Indis, sive in Hispanorum ministeriis. Secundum Deum ita Deiparam colebat, ut ad ultimum usque morbum homo id ætatis flexis genibus Rosarii preces recitarit, inque ejusdem Magnæ matris obsequium singulis Sabbatis jejunarit.

LXXI. De pudicitia id unum dico, semper Escandonium singulari eam cura tuitum esse, & fugisse maxime, quæcumque lædere ipsam possent, additis voluntariis corporis cruciatibus, quibus illa tamquam lilium inter spinas inviolata servaretur. Ne autem mors *ascenderet per fenestras*, per oculos nimirum, qui prima mali origo esse solent, prodiens in publicum modestissime incedebat, vitaturus cautigne hac quidquid aspectu irritare posset desideria naturæ numquam satis domitæ. In morbo extremo, cum ad corporis necessaria uti manibus non posset, nolebat a quoquam tangi, donec curator laicus, sine, inquit, pater, per Dei amorem, ut quæ opus sum, agam, Deus enim ipse sic vult. Ad hæc ille: *Ita opus est, Deus id vult, patientia; fiat voluntas Dei.*

LXXII. Cum navis illa secunda , qua cum supplemento Sociorum ibat , ingressa esset Oceanum e sinu Gaditano , ab litore , quod adhuc coram erat , venit vecta lembo quædam femina , atque enixe precata est navis ducem , ut intro se se admitteret , transferretque in Americam . Vix id audiit Escandonius , obsti- tit summopere . At illa per quidquid carum Navarcho esset , admissionem rogare pergebat , naulumque pol- licita est . Injecta nauli mentione , vacillare Navar- chus coepit . Tum Escandonius , hominum Divumque obtestans fidem , rem prorsus turpem clamabat esse indignamque , qua navi **LXXIV.** viri religiosi vehe- rentur , in eam navim intrudi ignotam feminam ob vilis æris sordidum lucrum . Hæc Escandonii con- stantia titubantis Navarchi cupidinem fregit : & fru- strata mulier spe sua litus , unde venerat , repetiit tristis .

LXXIII. Quod autem ad castitatem tuendam va- let plurimum , neglectio sui , & cultus nitidioris , he- roica in Escandonio fuit . Satis tibi fuisset , habitum ejus , & vestem , & cubiculi utensilia inspicere , ut quam pauper spiritu , & deliciarum omnium osor es- set , intelligeres : ac proinde mirum non est affirmasse quemdam , qui Matriti cum eo vixit , principes Es- candonii virtutes , & quæ characterem illius effice- rent , paupertatem fuisse , & humilitatem , quibus & honores , & mollioris victus commoda refugiebat . Ad thecam tabaci , cornea , eaque fracta , atque im- politissima capsula usus est : & quidem hæc conve- niens erat tabaco ipsi , quod deterioris conditionis sibi servabat , cum satis bonum dari curaret aliis , quibus præfectus erat . Ex oppidis Guaranicis Bonas- auras (ut dictum est) descendens , laceris , & vili- bus indumentis , spectantium oculos valde movit . Amictus autem interior erat exteriore detritior . Con- sultuit tum domesticum sartorem , ostensis femoralibus , quo ea possent modo refarciri : sartor uno , inquit , si tibi nova dem . At ego nolo , ait , nova , & reti- nuit vetera ; satis esse existimans , centones illos ob- longa tunica tegi , nequem visi offenderent .

LXXIV. In longis illis , desertisque per Ameri- cam itineribus fabrefacto horologio æneis e rotulis
usus

usus numquam est, quod quidem ei commune erat cum aliis Paraguaycis. At comparare sibi potuit heliometron, cujus ad circulum excepto fideris radio justum temporis punctum deprehenderet: degebat enim tum inter Guaranios artifex insignis Carolus Frank, adjutor Societatis, qui ex legibus Astronomiæ sphærulas ejusmodi compingere pulchre didicerat. Escandonius artem illi suam non invidit, simpliciore enim modo, horam, cum opus erat, in aviis locis explorabat interdium. Utroque ante oculos extento brachio, objiciebat ex æquo situ manus (alteram alteri supponens) soli: quot is manus ab Horizonte distabat, tot horas ab ortu, si mane erat, abiisse illum arguebat: sin autem post meridiem, quot manus sol ab ultimo occasu aberat, tot adhuc lucis horæ, ex eadem regula, supererant. Quæ ratio (quamvis informis, & minime exacta) viatorem juvat ad dignoscendum, quota fere pars diei sit.

LXXV. Septuaginta jam annos natus Escandonius, & Magister tironum Cordubæ, ad ministeria cubiculi admittebat neminem. Adjutor quidam intrepidus, quasi vi facta, & professus non posse a fene, qui viribus defectus consulere sibi nequibat, id officii prohiberi, irrupit aliquando in cubiculum, & lectum propius accessit. Obstupuit. Lodices, strati fulcra, parietes fervebant foedis illis bestiolis, quæ somnum turbant. Purgavit omnia. At nova hinc illi suspicio de Escandonii vestibus. It ad domesticum vestium custodem, & da mihi, inquit, ad Magistrum tirocinii tunicam, indusium, femoralia, indumenta omnia; sic opus est. Dat ille: affert is ad Escandonium, ac mane, ait, vestes tuas cum his commutato: reddendæ enim sunt, quas nunc habes, vestiario. Repugnabat ea admittere Magister; sed cum adjutor aliter fieri non posse diceret, ei morem gessit. Timor laici justus fuerat. Nihil ibi non plenum pediculis, quorum multa erant examina. Quippe e vitiatis humoribus supervenit seni Escandonio phthiriasis, qua ejus generis animalium pestem alebat: eam tamen celabat, interdium noctuque illo vexatus intestino malo, cui vix, adhibita diligentia, mederi poterant laici, qui ipsi deinde curam suam

con-

contulerunt. Una tali incommodo superior erat invicta patientia Escandonii, qui hujusmodi molestias, ærumnasque corporis, æquo semper lætoque ferebat vultu.

LXXVI. Ut autem magnum istud tolerantia documentum sit, illud equidem majus existimo, quod ad reprimendos animi motus attinet. Cum notus esset Escandonii amor in Guaranios, commissa est ei quondam venditio aliquot sacculorum herbæ Paraguayæ, cujus pretium ad illos reditum erat. Emptorem invenit, pactus est. Vix domum rediit, timere coepit, & angi, ne male Indorum negotium gessisset, vendidissetque minoris æquo. Id dum versat mente, ecce tibi adest emptoris œconomus fremebundus, & rem præclaram, ait, o Joannes! emptorem decepisti, enormique transegisti pretio. Ille ad hæc: tam istud abest, ut etiam metuum, ne Indos defraudarim. Instabat homo vehemens acrius: ita, ita est profecto, emptorem circumvenisti. Joannes iterum: nihil minus: nulla fraus hic: interroga eos, qui experti rei sunt, atque intelliges herbam vobis stetitisse optima conditione. Cum tamen importunus œconomus eadem sæpe regeret, adeo æstuantem intus bilem repressit Escandonius, ut pæne eum anima defecerit; atque ad frontem, cerebrumque magna accurrente vi sanguinis, diffringi sinciput videbatur. Hoc sane est moderari iram: nam repentina in re cum injuste lacefferis, si apud te sis, & linguæ imperes, exerciti diu animi, subactique, insigne argumentum est.

LXXVII. Ad extremum, ut brevi cuncta complectar, ea animi æquitate, ea simplicitate morum, ea vitæ innocentia, ea rerum mortalium contemptione, ea pietate fuit Escandonius, & ea in adversis patientia, ut accommodari ipsi quodammodo possit, quod de patiente Jobo dicitur: *vir erat simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.*

VIN.

VINCENTIUS SANS

SACERDOS.

I. **F**IT ferme, ut quo quisque sollertior est, & ingeniosior, eo doceat iracundius, procliviorque sit ad fastidia, & tædium in discipulos, si minus spe sua proficiunt. Cujus rei duplex, opinor, causa est, una, quod ex se ipse, qui omnia celeriter arripit, alios metiatur; altera, quod tarditas illa audientium in percipienda doctrina, quædam ipsi videatur sui reprehensio, quasi neque apte, neque apposite ad intelligendum, elementa disciplinæ tradiderit. Haud desunt tamen, qui sublimi mentis acie præditi, ferunt patienter, quos erudiunt, vel si hæreant interdum, & seros reddant fructus.

II. Ex his placidæ, & lenis naturæ magistris unus profecto fuit Vincentius Sansius. Posuit is totam pæne vitam in docendo, & tamen qui eo doctore uli sumus, numquam illum aut iratum, si cujuscumque discipulorum tardus esset progressus, aut in concertationibus privatis publicisque (quæ in gymnasiis Hispaniarum tanto fiunt animorum ardore) quicquam insolens dicentem, vel pungentem adversarios, quantavis oriretur altercatio, verbo acerbior vidimus; quod quidem moderati hominis, & sibimet imperantis longa virtutum exercitatione, indicium est. Neque hæc in eo laus sola fuit, sed illa etiam, quæ multo pluris in præceptore facienda est, assiduum videlicet studium pro augenda pietate adolescentium, quorum mores semper finxit magno operæ pretio.

PATRIA SANSII EDUCATIO ET INGRESSUS IN SOCIETATEM.

III. **N**atus est Non. Junii an. MDCCXVIII. Dertosæ, quæ urbs est in Iberi amnis ora propius mare ad fines Catalauniæ, cum aliis nominibus, tum

eo celebris, quod, quo tempore ad summum Apostolicæ Cathedræ culmen electus est absens Hadrianus Papa VI., templum is illud, & dioecesin Episcopus administraret. Inter eos autem, qui nobilem Vincentii familiam illustrarunt, pia dignus memoria est V. P. Franciscus Gil de Federich Ord. PP. Capucinatorum, qui pro Christi confessione occisus in Tunquino Asiæ regno fuit, cujus quidem imitatione Sanius & Oceanum trajecit ad Indorum institutionem, & in America ab ejusdem studio, & zelo propagandæ fidei, & religionis numquam degeneravit.

IV. Valuit in hanc rem vigil parentum diligentia pro filio caste, sancteque educando. Matrem puer amisit, illique successit noverca, haud eo tamen animo, quem secunda uxor inferre in ædes solet vacuas priore conjuge. Quippe illa in repertam domi alienam prolem amore & benevolentiâ vel ipsam genitricem superavit. Vincentius certe plurima se ei debuisse ultro profitebatur grata cum laude, & commendatione primariæ matronæ, & officiosæ, præsertim cum, mortuo immature etiam patre, tota domus cura in illam recidit.

V. Et vero optima noverca positæ in privignum industriæ, & operæ, magnum retulit fructum non sine singulari gaudio. Traditus Sanius præceptor eximium ingenium ostendit, ac memoriæ vim tantam, ut omnibus esset admirationi. Id experiri volens religiosus quidam vir, petiit a domesticis, ut mitteretur puer ad concionem, quam habiturus erat. It ille, attente interest, redit domum, quo etiam se se concionator contulit: ita vero omnia fere concionis verba Sanius reddidit, ut stuperet sacer Orator, videreturque sibi audire Echo quamdam, quæ fideliter iteraret ab ipso prius dicta e suggestu.

VI. Verum sunt aliqui, qui præsentī memoria valent, ingenio, & judicio non valent. In Vincentio utrumque par fuit; idque patuit brevi, cum missus Barcinonem ad nobilium adolescentium collegium, quod Cordelles nomine curabant Jesuitæ, philosophiam auspicatus est; sub finem enim anni primas publicas theses logicarum institutionum magno auditorum plausu, & approbatione propugnavit.

VII.

VII. Est Oſcæ, nobili in urbe Aragoniæ, per-
 vetus Academia, cujus initia poſuiſſe dicitur clarus
 ille ingenio, armisq; Romanus Sertorius. Eo mi-
 grare ab ſuis juſſus fuit Sanſius, ut legum ſtudio va-
 caret: cur autem tam longo itinere, quantum Bar-
 cinone illuc eſt, nescio; præſertim cum multo eſſet
 propinquior urbs Cervaria, ubi paulo ante Philippus
 V. munificentia vere regia amplum, & pulcherrimum
 ædificium ad eruditionem adoleſcentium totius Cata-
 launiæ condiderat, inſtruxeratque optimis magiſtris,
 quorum erat unus conſultiffimus juris (ut ejus edita
 monumenta teſtantur) & moribus (quod caput eſt)
 compoſitiſſimis Joſephus Fineſtres,

VIII. Sed quæ cauſa fuerit delectæ Oſcæ præ
 Cervaria noſtrum indagare non eſt. Ibi addiſcendo
 juri Cæſareo operam aliquamdiu navavit Sanſius: &
 quidem quod ad doctrinam illam felix memoria,
 quam mentis acies acuat, conſert plurimum, aptiſſi-
 mus in id genus ſtudiū videbatur, ut brevi tempore
 maximos progreſſus faceret.

IX. Ceterum diſciplina illa nec Vincentio ni-
 mium grata erat, neque eadem accommodata Dei de
 Vincentio conſiliis. Quieti ille animi, ac pietati in-
 ter ipſam ſtudiorum curam mirifice deditus, legales
 tumultus, quos ſibi futuros prævidebat, averſabatur,
 nolebatque implicari ſe ſe fori litibus. Hinc ſacrum
 ſeceſſum jam tum cogitare cœpit, inque certum illius
 pignus perpetuæ virginitatis votum nuncupavit, non-
 dum ceteroqui de ineundo ſtatu religioſo quicquam
 ſtatuens. Integritatis ſanctæ tam tempeſtive appetitæ
 fructus fuit (ut ſolet) egregia animi cultura, & ſin-
 gularis erga Virginum Reginam amor, & eximium
 conſervatæ innocentæ præmium.

X. Inter hæc, cum de electo cœlibatu non ob-
 ſcura dediſſet indicia, turbari omnes domi, erat enim
 heres unicus paternarum opum, ac ſola ſtirps, quæ
 familiam tueretur; idque fieri optabat maxime amans
 noverca cum grege conſanguineorum. Idcirco audi-
 endæ fuerunt Vincentio crebræ ſuorum querimoniæ,
 abſorbendæque moleſtiæ plurimæ. Quotidiana autem
 pugna illinc amoris nimii, hinc gravis in propoſito
 conſtantiæ, eo tandem evaſit, ut, cum jam mature
 & ſe-

& serio deliberasset Vincentius de amplectenda Societate JESU, vitaturus vim domesticorum, clam in Jesuitarum claustra aufugere decreverit.

XI. Tirocinium provinciæ Aragoniæ erat Tarracone, nobilissima illa, nullique secunda, dum respublica Romana stetit, urbe, quæ aliquot dierum itinere Dertosa distat. Putes fervidum adeo, & pium adolescentem (agebat tum XVI. ætatis annum) in fuga illa, ut olim contigit puero Stanislao Romam elapso suis inscientibus, extulisse secum domo hilarem, alacremque animum, & quam longa fuit via illa, totam abundasse cœlestibus deliciis. Atqui contra accidit: vixdum terga Sansius patriæ mœnibus obverterat, repentina impleri tristitia coepit, & innumerabilibus agitari stimulis contra futuram procul a suis conditionem vitæ, adeo, ut non portum, quem optarat, petere sponte sua, sed in supplicium invitus reluctansque raptari videretur. Perrexit nihilo secius ire, stititque se se magistro tirocinii an. MDCCXXXIV. V. Idus Aug. qui dies sacer est pervigilio herois illius Hispani, *Qui ingressus est martyr, & confessus est nomen Domini Jesu Christi*. Statuit autem, quantumcumque crescerent tædia illa intima, *missa jam manu ad aratrum, non respicere retro*.

XII. Sumpto religioso amictu animum alium induit, & quidem invictum. Nam cum redintegrata fuissent in fugitivum Vincentium suorum certamina, atque ex absentia invaluisset magis desiderium ipsius habendi, tot illi querelis fatigarunt Societatis præfectos, ut iidem totam rem, & rei arbitrium, in tironem ipsum rejecerint. Relictus sibi ipsi est Vincentius; datusque facilis aditus omnibus, qui eum oppugnatum venerant: noluitque magister tirocinii altercationi adesse, partemve ullam controversiæ attingere: nihil se impedire: si vellet tiro; rediret domum, & suos consolaretur, servaretque familiam interituram.

XIII. Vincentius, contra, obfirmato ad perseverandum animo interpellantium lacrimas, & lamenta, & preces, partim (ut erat ad excogitandum promptus) validis argumentis depulit, partim leniit blandis sermonibus, quousque illi frustra se niti sentientes

ab

ab eo sollicitando cessarunt. Itaque parta victoria, & recuperata spiritus tranquillitate, biennium San-
sius absolvit, & se se, ingenti pietatis sensu, ob-
strinxit Deo votis religiosus.

STUDIA PHILOSOPHICA ET THEOLOGICA VINCENTII.

XIV. **A**Nnus jam erat ex quo in Academia Cer-
variensi Philosophiam profitebatur Petrus Ferrusola,
cujus auditoribus Vincentius, quippe qui logicis in-
stitutionibus (ut dictum est) Barcinone studuerat,
aggregatus est, dignus discipulus tali magistro. Is
acutus in primis, & natus ad tradendas majores di-
sciplinas, magnam sibi nominis celebritatem, & fa-
mam Philosophi, ac Theologi eximii peperit. Ex-
plicuit bis Philosophiam in ea Academia, plurimos-
que deinde annos antecessor fuit Theologiæ, donec
rude donatus est a Doctorum senatu, quem maxime
illustravit.

XV. Igitur doctore isto mirum quantum promo-
vit Sansius. Neque enim acre ei dumtaxat ingeni-
um erat, sed ardor etiam discendi tantus, ut, ante-
quam Socii ad religiosa opera strepitu æris campani
excitarentur, ipse jam ad studia litterarum vigiliam
occupasset, quod Ferrusolæ itidem magistro sollemne
fuit, veluti nos ipsi, cum in eo collegio degeremus,
olim observavimus. Atque is quidem quam egregius
auditor in Vincentio (præter alios quos præstanti in-
genio habebat) illi aliunde advenisset, statim ani-
madvertit: eoque deinde ita gloriabatur, ut non
dubitaret sibi ipse publice in prælegendo objicere,
quæ seorsum, & privatim objecerat Sansius.

XVI. Ea in Academia mos erat laudabilis, ut se-
cularum sibi invicem adversantium discipuli matutino,
& pomeridiano tempore in amplo atrio ad æmulationem
inter se committerentur. Ubi autem apparuit
illic Vincentius, illico ob acumen ingenii, & vim
pugnandi, fieri magni coepit: neque facile quisquam
cum eo audebat congredi, quantumvis (quod ipsi
perpetuum fuit) lacefferet neminem asperiore, aut
minus

minus urbano verbo. Urgebat ille quidem, quam qui maxime, propositum argumentum, citra tamen adversarii injuriam contemptumve: illud ingenii erat, hoc virtutis, qua Christianam, & religiosam philosophiam Peripateticæ anteponebat.

XVII. Fuit tum Sansius (ut nos docet unus e condiscipulis superstes) spectabilis moribus compositis, modestus, & circumspectus, & humilis, & patiens, & paupertatis amans, & obtemperans majoribus. Patientiæ vero & modestiæ idem gravis testis hoc affert exemplum. Cum in disciplinam Ferrusolæ primum venit Sansius, erat in controversis thesibus oppugnandis paulo obscurior. Neque id magister dissimulabat, ostendebatque quo verborum delectu, & quibus sententiis, usus esset, ut quod volebat, sine tanto officientium sibi invicem notionum conflictu, clare exprimeret. Reprehensionem hanc ferebat Sansius tacite, submisilque: atque ita præceptoris monita sequeutus est, ut priorem illam confusionem paulatim deposuerit. Equidem qui quætionem, etiam ex abstrusissimis, dilucidius explicarit novi neminem: quem si ille modum in prælegendo tenuisset, dictata ejus vel tardioribus fuissent captu facillima: sed cum multas Theologiæ partes in singulos annos congereret, aliquando (fatendum est enim) multis, quæ majus lumen præbuisent, resectis, nimium properabat.

XVIII. Ventum jam erat ad finem triennii. Vincentius ante alios e condiscipulis delectus est ad propugnandas in Academia totius Philosophiæ theses. At quas, & quot theses? Centenæ erant e logicis institutionibus, totidem e metaphysicis, totidem e physicis, totidem etiam de Cœlo, de elementis &c. Singulis autem istis centuriis adjecit tamquam corollaria, & appendices, centena problemata, optione disputaturis data, ut quam mallent partem eligerent: si agentem præferrent, sibi negantem partem defensum iri, sin autem negantem amplecterentur, se pro ajente staturum.

XIX. Non solus (quod in Ferrusolæ laudem dicendum est) Vincentius fuit, qui magnum istud ingenii specimen dedit, sed primus fuit, & ita primus, ut ante eum Jesuita adolescens, totam asserens Philosophiam

phiam (ut recens erat Lyceum illud) auditus illi nemo fuisset, quo major ei obvenit laus, & admiratio non solum sapientium hominum, qui thesibus interfuere, sed etiam aliorum extra Cervariam, cum de multiplice illo, & plane singulari certamine, auditum est in Catalauniæ urbibus. Itaque philosophicis plenus axiomatibus, placitisque, missus Sansius est Barcinonem, ut theologicis vacaret studiis.

XX. Neque vero prætereundus hic silentio est memor, & gratus amor, quem secum Cervaria extulit Sansius in Ferrusolam. Tantus ille fuit, ut filio in patrem major non sit. Quoad vixit, frequentissime de eo locutus est ubique gentium, illiusque opiniones laudabat, & probabat docendi modum, & quæ edidit opuscula, osculabatur. Faventiæ autem an. MDCCLXXI. cum audisset Ferrusolam graviter Ferrariæ ægrotare, eo statim accurrit, ut ultimum spiritum legeret dulcissimi magistri. Talis ei pro præceptore suo animus fuit: contra ac faciunt alii, quos vix ullus tangit sensus eorum, a quibus educati informatique sunt, obliviscunturque beneficii, quod homo homini præstare omnium maximum potest.

XXI. Barcinone Sansius in arripienda sacra disciplina tam sedulus fuit, quam fuerat Cervariæ in discenda Pphilosophia. Vitæ is tenor fuit, ut religiosa officia anteferebat studio litterarum, ac Deum mentis speculatione, simul & motu animi, prosequeretur, qui finis esse debet veri Theologi. Comis idem in domesticos, condiscipulorum nulli molestus, affabilis cunctis. Etsi vero id maxime ageret in otio literario, ut ad ministeria Societatis pararet se, nihilo minus proximorum saluti vel concionando, vel doctrina Christiana explicanda, cum requies ab studiis erat, consulebat.

XXII. Ibant adolescentes cum Administro collegii feria V. qua vacatio ab scholis erat, ad vicinam villam, ubi fessos animos contentione studendi honeste recrearent. Id siquando omittebatur, liberum ab aliis rebus eo die tempus ponebat Sansius cum condiscipulis in hospitali domo, ægroti, quam poterat, opem ferens. Consolabatur mœsto, confirmabat moribundos, dejectos morbi malo c. lestis vitæ spe erigebat,

gebat, omnesque ad patientiam, ceterarumque virtutum exercitationes stimulabat, nullum vel vilissimum ministerium detrectans, quo esset ipsis levamini. Et fuit cum straturus cujusdam lectum, in agitandam, molliendamque culcitram adeo vehementer incubuit, ut ingentem vim pulveris excitarit, qua de re etiamnum recordatur, qui id a se visum nos monuit.

XXIII. Post quadriennium theses Theologiæ universæ publice proposuit, propugnavitque non minore, quam Cervariæ philosophicas, plausu, quem averfatus Sansius multo aliter de se ipse sentiebat. Nam cum plurimi ab aliis penderetur, reputare cœpit secum ipse, multo fore acceptiorem Deo suam operam, si procul a notis, & amicis eam poneret in adjuvandis Indis. Versabat animo frequenter miseram solitudinem, depositamque salutem gentium barbararum, quæ in tenebris sedent, & umbra mortis. Tum se se incusans, & cur, ajebat, siquid in te luminis est, in cæcum, & infelix hominum genus non derivas? Desuntne præclara exempla, quæ sequaris? Quot ingenio, & doctrina, & rerum usu, te præstantiores ex Jesuitis adolescentibus meritæ famæ laudique renunciarunt, ut in ultimas terrarum provincias, ubi delitescerent, proficiscerentur? Quid? vel domi non habes, quem imiteris? Ille Capuccinorum familiæ splendor, & tuæ, V. P. Gil de Federich, quam nihil patria, nihil consanguineorum amore captus, detentusve est, quin, trajecto Oceano, Tunquini regnum in certam necem subiret, & pro Christi propaganda fide, non plum sudorem modo, sed ipsum profunderet sanguinem? Est in Europa honoris quicquam & gloriæ, quod cum hac martyrii palma conferri possit? Aude jam & tu, ac tuorum indue spiritus: egredere de terra, & cognatione tua, & vade tandem in terram, quam tibi monstrat Deus.

XXIV. Afflatus igitur divino impulsu, ut transmarinam missionem peteret, paruit confestim vocanti Numini, & nomen dedit in Novum Orbem. Habebant tum Sociorum delectum pro Paraguayâ procuratores Didacus Garvia, & Joannes Josephus Rico. His Sansium attribuit Præpositus Gener. Soc. Franciscus Retz. Quo ille nuncio latissimus, Barcinone pro-

profectus est, venitque ex itinere Matritum, ubi aliquamdiu moratus est non sine utili opera. Nam cum vicina oppida obiturus esset piis ministeriis sacer declamator, Quintana nomine, huic Sanfius a Superioribus datus socius, & comes est: qua in expeditione insistsens interdum noctuque labori duri operis, palam ostendit quanto æstualet animorum zelo.

NAVIGAT IN AMERICAM ET PROFITETUR
PHILOSOPHIAM AC THEOLOGIAM IN
CORDUBENSI ACADEMIA.

XXV. **P**Arata jam navis erat devectura supplementum, quod Garvia, & Riccus scripserant. Illam cum aliis conscendit Sanfius X. Kal. Apr. an. MDCCXLV. & prospera, sed longa quattuor circiter mensium navigatione per Atlanticum Oceanum, Zonamque torridam, appulit Bonasauras postridie Idus Julias, qui dies sacer est B. MARIÆ de monte Carmelo.

XXVI. Vellet ille extemplo mitti ad barbaros erudiendos, quorum causa venerat. Sed provinciæ præfectus cum rescisset, quanto valeret ingenio, audissetque de industria, qua adolescentes secum navigantes philosophicis rudimentis, ut paratiores essent ad severiores disciplinas, imbuerat, eum evocavit Cordubam Tucumanorum, iussitque Philosophiam in Academia profiteri, magis enim promoturus erat institutionem Indorum, si juvenes Jesuitas, futuros eorum operarios, excoleret litterarum studiis, quam si illuc per se ipse, & solus penetraret. Acquievit Vincentius imperio ejus, quem veluti interpretem divinæ voluntatis reverebatur, totoque pectore in commissum sibi munus incubuit.

XXVII. Numerus discipulorum domesticorum externorumque magnus erat, nec quemquam cessare umquam passus est. Præter exercitationes Academicas, multas illas, & molestas, addidit ipse ultro alias atque alias, & ne concessio quidem feriarum otio ab excolendis auditoribus quiescebat. Quod vero alumni collegii Monferratenfis suum domi haberent stimulatorem litterarium, Præfecti nomine, qui extraordinariis

nariis horis eorum studia urgebat; Vincentius ne externis academicis minus incitamenti foret, liberis ab schola diebus exercebat illos diligenter: quo factum est, ut cum alias nobiles convictores urbanis adolescentibus ob maiorem discendi assiduitatem præcellerent, Sausio magistro, utrique pares fuerint.

XXVIII In hanc rem id ille artis adhibuit, ut si thesim propugnaret alumnus Seminarii, impugnatorem externum submitteret: atque e contrario, si defenderet externus, objiceret alumnum adversarium: qua ratione acris æmulatio inter eos crescebat, palamque in medio positam strenui pugiles ad se trahere certatim nitebantur, magno vel ipsorum bono, vel magistri operæ pretio. Jesuitis autem auditoribus maiorem impendebat curam nocturno in silentio: tantisque propterea distinebatur Sausius occupationibus, ut vix ei respirandi tempus ullum esset. Ceterum labori tanto par fructus respondit: plures enim discipulos insignes doctrina eduxit: & quoties propositis thesibus publice apparebant, singulari laude & approbatione excipiebantur ab Academiæ professoribus.

XXIX. Haud tamen hæc Vincentii contentio, discipulis gravis erat, aut ingrata, quando illum patrem potius, quam præceptorem, experiebantur. Tenero omnes amore prosecutus, quacumque re poterat, singulis opitulabatur. Quod si quis decumberet, sollicitè eum adibat quotidie, afferens secum munus aliquod, ex iis rebus, quæ dono ipsi datæ fuerant: malebat enim illis eos uti, quam se. Superstes est ex discipulis externis unus, qui cum grati animi memoria narrat, ad se mense amplius ægrotantem quotidie Sausium venisse post absolutas vespere gymnasii exercitationes.

XXX. Devincti his officiis discipuli nihil laboris erat, quod non libenter subirent: erantque ex eisdem qui non alio conscientiæ arbitro, & iudice, ad Sacramentum poenitentiae uti vellent, quam magistro suo. Quid multa? Vox publica fuit, & fama, professorem Philosophiæ qui operosior in discipulos fuerit, quique morigeriores auditores habuerit, Cordubæ ante eum fuisse neminem.

XXXI.

XXXI. Cum tot seduli præceptoris argumenta dedisset Sansius, noluit eo Academiam fraudari præfectus provinciæ. Itaque designatus est primum ad tradendam moralem disciplinam, deinde ad explicandos sacros canones, postremo ad profitendam Theologiam. Toto autem illo annorum spatio longissimo idem Vincentius fuit, sedulus nimirum & indefessus cultor adolescentium & quod ad litterarum studia, & quod ad pios mores attinet.

DILIGENTIA SANSII IN PROMOVEDA ADOLESCENTIUM PIETATE.

XXXII. **S**ecundo anno magisterii philosophici commissa Sansio est præfectura sodalitiæ, quod nomine salutatæ ab Angelo Virginis institutum erat Cordubæ pro adolescentibus Academicis. Erant tum pii illius coetus opera hæc, divinæ mensæ convivium in mensem, decantatio litaniarum singulis-sabbatis, & dominicis diebus adhortatio præfecti per semihoram ad virtutum officia, convenientibus in sacellum grammaticis, philosophis, & theologis.

XXXIII. Ista quidam bona erant, sed pauca Vincentio visa, qui existimabat crebriore cultu munienda adolescentium pectora contra surgentis naturæ vitia. Ideo paulatim auxit pias illas exercitationes, legesque novas condidit pro sodalitiæ, quod ita brevi virtutibus illustre reddidit, ut non tam studiosorum scientiæ juvenum congregatio videretur, quam quoddam tirocinium candidatorum religiosorum; & vero multi inde sæculi nequam pericula vitaturi in sacra claustra secedebant: neque ego quidem video, quid accommodatius, exquisitiusque fieri possit pro informandis adolescentium moribus, quam quod fiebat in Academia Cordubensi (a).

P

XXXIV.

(a) Academia hæc, seu plomate: neque alia erat Universitas, ut vocant, in tribus præturis Tucumacommisæ fuerat Jesuitis Pontifica, Bonaurensi, & Patif. Max. & Reg. Cath. di. raguayca, præter hanc. De

XXXIV. Inducti a Sansio mores hi erant. Singulis mensibus uno die, qui liber ab scholis esset, conveniebant sodales Academici in sacellum, & post habitam ab illo cohortationem, auditamque pii libri lectionem, meditabantur aliquamdiu veritates æternas, petita earum intelligentia, & memoria a divino magistro in coelesti convivio. Ad hæc, quorannis fiebat bis pium aliud officium ad reparandam gloriam, refarciendumque honorem, Matri Virgini, & Deo filio detractum a tam multis, quibus nulla cura Christianæ pietatis, & religionis est. Sub preces autem in istam rem compositas, atque exhortationem Sansii, recitabatur ab uno sodalium oratio pauegyrica de laudibus Deiparæ.

XXXV.

ea sic scripsit ad Clementem XII. , cum ad illum referret de statu diceceseos, Il. D. Joannes de Sarricolea, & Olea, Antistes Tucumanicus : „ Huc , ait , „ accedit mira in educan- „ da , erudiendaque juven- „ tute sedulitas tum primis „ alphabeticis elementis , „ & latinæ linguæ rudi- „ mentis, grammaticis . . . „ tum majoribus studiis li- „ terarum, Philosophiæ ac „ Theologiæ scilicet facul- „ tatum , quibus catenus „ opus est pro Evangelicis „ ministris , & dispensato- „ ribus mysteriorum infor- „ mandis, ut oportet, qua- „ tenus, ut suadet Aposto- „ lus , quæ decet sanam „ doctrinam loquantur , & „ potentes sint in sana do- „ ctrina exhortari , & eos „ qui contradicunt arguere.

„ Has autem simul, & sa- „ crorum Bibliorum prole- „ gomena , & exegetes , „ necnon pontificii juris ca- „ nonicas selectiores mate- „ rias edocent Patres So- „ cietatis in hoc maximo , „ & præclaro collegio Cor- „ dubensi , ubi publico A- „ thenæo , pontificia , & „ regia Universitate , non „ minore , quam celebrioribus Orbis Academiis , „ cura ac diligentia disci- „ plinantur ingenia , fo- „ ventur studia , & studiosi „ promoventur, æqualique , „ qui in egregio Complu- „ tensi Liceo usitatus , at- „ que statutus est in per- „ agendis præviis ad gra- „ dus examinibus , servato „ ad unguem rigore , adeo „ ut Indiarum Complutum „ merito possit nuncupari „ „ Addit postea de collegio

XXXV. Preter communes omnibus regulas, illud Viucētius prudenter excogitavit, ut exempla quædam viva, & spirantia, ad maiorem pietatis stimulum aliorum oculis proponeret. Hi erant XII. Theologi proveciores suffragiis sodalium delecti, qui vocabantur *Virginis hebdomadarii*, cujus nominis causa fuit, quod eorum uni per orbem singulis hebdomadis deprecanda erat Virgo mater intentius pro progressu in virtute, & litteris Academicorum adolescentium, proque bono sodalitiis statu. Quod si quis sodalium ægrotaret, eorundem duodecimvirum erat crebro illum adire, & honestis sermonibus recreare, & opem, quam possent, ferre.

XXXVI. Idem anniversario jejuniorum tempore, quintis quibusque feriis, extra vero magna jejunia, semel singulis mensibus, in sacellum una cum Sancio conveniebant, ac præmissa lectione spiritali, rerum cœlestium meditationi vacabant, sub quam vario se se exercebant poenarum genere. Quippe alius, positus humi genibus, extendebat brachia Crucis in formam; alius sedentium pedes osculabatur; alius spinea corona induebat caput; alius alia poenitentis animi edebat signa. Functio hæc horam durabat; sed diuturnus erat illius fructus: cum enim duodecim illi

P 2

juve-

Monferratensi, quod nobilissima Academia pars erat: cum simili sollicitudine collegium regit (*Societas*) Convictorum sub titulo SS. Virginis de Monferrate, ubi muriceo tra-beati torque plus quinquaginta (*octoginta circiter erant iuxta exilii tempore*) juvenes lectissimi commemorantur, eaque eruditionis varietate perpolitum, & honestate morum commendatum, suarumque regularissimarum constitu-

tionum observantia adstricti, ut collegium hoc Sanctuarium collegiorum absque aliorum injuria, certe plausibilem quæ non verim, non semel me appellasse meminerim. Hæc ad Clement. Pontif. Antistes Sarricolea, qui diu Theologiam in Academia Limana S. Marci professus fuerat, litteris datis Corduba 23. Nov. an. 1730., quas leges in supplem. Petr. Fran. Xav. Charlevoix edit. Venet. an. 1779. pag. 460.

collegæ compositis moribus conspicui essent , duces quidam ad sancte casteque colendam Virginem erant toti sodalitis : in visa nam propius aliorum vitæ sanctitate ea vis inest , ut vel parvus bonorum grex plurimum valeat sive ad continendam , sive ad corrigendam multitudinem , id quod e familia Rechabitarum , a Deo ipso commendata , licet discere . Ista communiter pro sodalibus instituit Sansius , urstique institutionem hanc usque ad iussum exilium Sacerdos alius , qui Sansio successit .

XXXVII. Quod porro privatim attinet ad adolescentes , quos Philosophiam docuit , detrahebat Sansius e prælectione singulis Sabbatis quadrantem horæ , quo tempore exemplum Virginis ad imitandum auditoribus proponebat . Post scholas autem matutinam , vespertinamque , ibat quotidie cum ipsis in templum ad adorandam Eucharistiam , quem morem constanter retinuit .

XXXVIII. Dei autem Matrem elegit Præsidem studii philosophici , advocavitque simul in discipulorum patrocinium D. Catharinam , Virginem sapientissimam , cunctos incitans ad utriusque tutelam demerendam exercitatione virtutum , & usu Christianæ Philosophiæ : quam quidem rem maximopere promovebat magistri exemplum , utpote cujus in dictis factisque reprehendere nihil poterant : mirabanturque in primis illam animi æquitatem , ac moderationem , qua in Academia seu alienarum impugnatorem thesium ageret , seu propugnatorem suarum , nihil sibi excidere asperipatiebatur ; quam legem severe ab auditoribus ipsis semper exegit .

ALIÆ SANSII INDUSTRIÆ PRO PROMOVENDA RELIGIOSORUM JUVENUM PERFECTIONE.

XXXIX. **Q**Uæ hætenus diximus pertinent præsertim ad externos Academiæ Cordubensis adolescentes : pro domesticis autem , quippe qui ad perfectionem vitæ ex instituto adspirare debebant , aliæ erant Sansii exquisitiores industriæ . Multi eo animi ductore utebantur . His ille ante omnia auctor erat ,
ut

ut singulis mensibus unum seponerent diem , quo die in se se ipsi altius descenderent , atque in facta , dicta , & cogitata sua diligentius inquirerent : idque ut melius facerent , ordinem eisdem brevem proposuit , quo ad spiritus culturam sine studiorum detrimento uterentur .

XL. Monebat autem , ut attentius tum in exercitia primæ hebdomadis S. Ignatii incumberent , quandoquidem veritates illæ æternæ , non modo vitæ Christianæ , sed perfectionis etiam religiosæ fundamentum sunt. Cujus rei causa eisdem suadebat , tamquam optimum instrumentum purgandi interioris hominis , mensuram confessionem generalem , quam a jam obita mense proximo inciperent , ut , visis veluti sub una acie culpis omnibus ; ardentius de eis dolerent , & firmitus proponerent , nihil admittere illorum , quæ nossent Deo displicuisse , insurgerentque acius in dominantem illam affectionem , unde cetera ferme , tamquam a radice vitiata , quotidiana errata pullulant ; & quæ si penitus eradicetur , miros animus ad virtutem progressus facit ,

XLI. Docebat idem a propriæ infirmitatis consideratione , non debere illos desidi se tradere tristitiæ , admissis scrupulis ob præteritam negligentiam in divino servitio , domesticasque noxas : dæmonis enim artem esse , studiosos virtutis inanibus suspitionibus involvere , ut fractos , debilitatosque ab arcta perfectionis semita ad viam laram , & spatiosam traducat : Dei vero servos alacri hilarique animo meliora semper in posterum sperare par esse , confisos divina ope , quæ ad recte facta numquam deest .

XLII. Ad fovendos insuper pietatis motus hortabatur clientes suos , ut in paratum commentarium referrent , quæ in pio illo singulorum mensium secessu , & maxime in annuis exercitiis S. Ignatii , divinitus percepissent , eoque commentario subinde uterentur instar monitoris ad vitam componendam pro religiosi status conditione , & dignitate . Neque hoc uno contentus , præcipiebat alio in libello scribere proposita , & vota majoris perfectionis , quæ inter meditandum concepissent , ut inde recognoscerent (comparatis iis , quæ decrevissent , cum iis , quæ agerent) fide-

fidelesne fuissent Deo, an non. Qui libri rationum, ut ita dicam, spiritualium, incredibile est, quantum ad profectum animi juvent, Sane Indicis operariis compendium hoc sanctitatis acquirendæ vehementer commendabat S. Xaverius: *magnopere, aiebat, suadeo vobis, ut sua quisque sensa animi, ac pietatis divinitus hausta, litteris custodire, ac impense recolere ne gravemini.* (a)

XLIII. Ad hæc, operam dabat Sansius, ut adolescentes Jesuitæ legerent frequenter, sibi que familiarem redderent, vitam S. Aloysii, designati a Bened. XIII. P. M. Ord. Prædic. ducis, & præsidis adolescentium. Haberent hunc perpetuo præ oculis tamquam consiliarium, & magistrum, a quo virtutum officia discerent, exprimerentque imitando illius erga JESUM Christum, & MARIAM Virginem singulare obsequium, & innocentiam morum, & cordis munditiam, & despectionem rerum mortalium, & obedientiam, & paupertatem, & constantiam, & modestiam.

XLIV. Ut autem quasi intento digito monstraret modum, quo sanctissimum adolescentem æmulaturi essent, stimulabat eos ad legendam simul vitam V. Joannis Berkman, qui quam proxime inter studia litterarum in se ipse Aloysium repræsentavit. Volebat quoque, recordarentur crebro innocentissimi pueri S. Stanislai, a quo edocti quantum, & quam magnum bonum sit status religiosus, plurimi eundem facerent, nihilque pro ipso retinendo pati detrectarent.

XLIV. His monitis, & consiliis, multos Sansius instituit adolescentes religiosos, demissos, moderatos, obedientes, & victores sui. Quorum e numero (ut de aliis taceam) fuit Franciscus Ugalde, qui non solum a Vincentio Theologiam audiit, quo tempore sacram disciplinam una cum Emmanuele de Vergara profitebatur, sed etiam eodem uti voluit arbitro conscientia. Hic ille Ugaldus est, qui cum Mataguayos cultu vitæ civilis, & fidei mysteriis erudiret, occisus fuit a perfidis clientibus. Quali autem virtute esset, liquet

(a) Turfel. in Vita Xav. lib. VI. cap. 13.

liquet præter alia e testimonio , quod in illius vita edita Matrìti an. MDCCLXI. exstat his verbis : (pagg. XXIV. & XXV.)

XLVI. Ardor pro adeundis Indis summus in illo ; & gaudio triumphavit cum ad illorum institutionem a præfecto provinciæ designatus est. Proposita ejus pro adquirendis virtutibus hæc fuerunt : perfecta votorum , & regularum custodia , integra sui abnegatio , & mortificatio quibuscumque in rebus posset , assiduæ ad Deum adspirationses cum jugi conatu observandæ ubique locorum ejus præsentia . Habitus illi corporis compositus , & modus circumspectus , sed affabilis , & comis.

XLVII. In torquendo se se voluntariis poenis asperimus fuit ; Ad dies festos B. Mariæ , & Divorum Societatis , parabat se se auctis obsequiis , & artuum cruciatibus . Singulis mensibus unum diem destinabat ad specialem cultum animi , eoque die confessione generali expiabat ea , quæ ab mense superiore admitterat . Annum fere totum magna spiritus ariditate , gravibusque tentationibus exercitus est. Adibat tum sæpe eum , quem sibi ducem elegerat , seque illi aperiens , rationem vincendi exquirebat , proponebatque fortiter agere , implorata Virginis ope , ad noctem usque , & noctu extendebat propositum in diem proximum , atque ita deinceps . Hoc tempore purgavit illum Dominus terrenis affectionibus , instruxitque ingenti aversione adversus peccata , qui castus timor conjunctus erat cum sui diffidentia , & fiducia divina , & sancto amore . Exinde pax animi , & tranquillitas consecuta est ; tentatusque jam raro , miram in resistendo consolationem , ac suavitatem experiebatur .

XLVIII. Ter totius vitæ acta confessus est , & id fecit ultimo antequam ad Indos proficisceretur . Frequens erat in consulendo conscientia suæ moderatore de animi rebus , quas sigillatim recensebat . Afficiebatur vehementissimo desiderio proficiendi , placendique Deo , cujus amore flagrabat . Hæc de Ugaldio edidit , qui eum penitus norat . Neque omittendum hic est , quod Ugaldius ipse , cum , post absoluta litterarum studia , tertium de more Societatis in tirocinio probaretur , scripsit ad Sansum . Postquam de spirituali statu animæ illum , ut solitus erat , edocuit , addit ad extremum :

mum : memento mei in sacrificiis tuis , ut me Deus sanctum efficiat , Et magnum operarium gloriæ suæ usque ad effundendum sanguinem pro ipsius honore. Voti compos factus est pridie Non. Oct. an. MDCCLVI. interemptus a barbaris . Hæc de Ugaldio , quem nos Cordubæ vidimus , huc adducere visum est , ut constet , quales Sansii clientes essent.

VINCENTII MINISTERIA IN CIVES.

XLIX. **Q**Uamquam præcipua Sansii cura in instituendis adolescentibus versata est, haud tamen ab aliorum procuranda salute cessavit. Quo tempore Philosophiam profitebatur, præter sodalitiæ præfecturam, demandatum est illi munus erudiendi, informandique nigritas, & hibridas, pro quibus aliud erat sacellum in collegio Cordubensi. Illic dominicis diebus doctrinam Christianam eis explicabat, tradebatque præcepta recte vivendi, ac deinde aures dabat volentibus ipsius uti opera ad animæ salutem.

L. Sensim vero ad miseræ illius gentis institutionem ita affectus est, ut multo alacrius, libentiusque eorum se se ministeriis devoveret, quam civium opulentorum. Quin etiam quo ad excipiendas illorum, & adolescentium Academicorum confessiones expeditior esset, numquam adigi potuit, ut ad templum pro audiendis in sacro tribunali feminis egrederetur.

LI. Acri ingenio, & sollerti studio, magnam eleganter dicendi facultatem comparaverat vel pro concionibus moralibus, vel pro Divorum laudationibus, qua causa sæpe requisitus e suggestu in publicum prodibat. Illud autem longe gravioris momenti. Erat Cordubæ ampla domus destinata ad tradenda quotannis S. Ignatii exercitia, primum viris nobilibus, deinde populo: (alia seorsum ædes fuit pro feminis, vicinior templo collegii, quo illæ ad pia opera statis horis conveniebant, meditationum argumenta proponente Sacerdote.) (a)

LII.

(a) De his domibus exercitiorum censuit referendum ad Pontif. Max. Clement. XII. Antistes Tucumanicus

LII. In istud Sanctus ministerium, quo nullum fructuosius est, incubuit sedulo, inque eo virorum asceterio degens, cum Sociis administris, disciplinam se se exercentium regebat, & mores instituebat ostentis veritatibus æternis, quamdiu durabat illud piorum dierum spatium. Ut vero Evangelicus paterfamilias non solum convivium paravit, sed compulit etiam per servos suos intrare obvios quosque in coenaculum; ita, cum tempus statum instabat (*b*), invitabantur cives Cordubenses ad secessum illum a circumeunte eorum domos.

LIII. Fuit cum in sacrum illud otium vocatus mercator inurbanum illud respōsum dederit: *habe me excusatum*, prætendens negotia tabernæ. Ergo ubi jam prima civium classis instituta fuerat novem diebus (totos hos dies alebantur honeste, & liberaliter, nec quicquam a quoquam pro alimentis hospitiove petebatur) invitati alii sunt, qui illis succederent. Vidit obeuntem vicinas ædes in hanc rem idem ille institutor morosus, & me, ait, pater, inter primos secundi hujus ordinis scribe: scitoq; enim curriculo in isto novemdiali, quo priores exerciti sunt, neminem emendi causa tabernam hanc adiisse, quod quidem repulsæ illi meæ assignandum puto. Nondum scilicet terreni cupidus lucri satis vir is didicerat, quid sit: *Quarite primum regnum Dei, & iustitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

LIV. Hæc fuerunt Sancti ministeria in cives. Ceterum, ut, curis Academicis, & urbano opere exemptus, ad culturam Indorum, quorum causa Europam reliquerat, mitteretur, postulavit primo statim post

Sarricolea, cujus supra meminimus. (litt. 20. Apr. 1729.) Harum (exercitationum spiritualium) gratia peculiares habent domos, in quas seorsim per vices viri, & femina secedunt, quos gratis cibant, & prudenter in viam salutis deducunt.

(*b*) Tempus pro exercitiis virorum erat statim a solemnibus resurrectionis Domini; pro seminarum autem institutione a die sacra S. Rosæ, Limanæ, quæ est III. Kal. Sept. ut plures fierent similes illius Virginis sanctissimæ.

post traditam Philosophiam, atque iterum post annos jam multos in profitenda Theologia positos. Hujus rei causa scripsit ad Præpositum Generalem, quoniam a præfecto provinciæ, volente illius uti opera in Academia, impetraturus id non erat. Generalis autem rem totam ad ipsum provinciæ moderatorem prudenter rejecit: faceret, quod e majore Dei gloria, & bono publico videretur: simul per litteras monuit Sansium, standum ipsi Superioris voluntati, quam Dei esse reputare debebat. Itaque retentus usque est ad institutionem adolescentium, qui parati a doctrina ad laudos erudiendos e gymnasio illo prodibant.

RELIQUUM ILLIUS TEMPUS IN PARAGUAYA ET DEPORTATIO IN EUROPAM.

LV. **P** Ræerat titulo Cancellarii Academiæ Cordubensi Sansius, cum an. MDCCCLXI. allatis Roma litteris designatus est Præpositus provincialis insignis ille Indorum cultor Petrus Joan. Andreu, cujus vitam scripsimus. Is socium sibi, & comitem, qui ei esset a secretis, Vincentium adscivit. In lustranda vasta illa provincia quid uterque passus sit ob itinerum difficultates, necesse non est hic minute describere, cum sæpe alias egerimus de re hac. Tantum dico ea omnia incommoda Sansium patienter tulisse, & præstitisse sedulam operam Provinciali suo, cui post legitimum præfecturæ tempus datus successor est Emmanuel de Vergara, ut alibi retulimus.

LVI. Fuerat Vergara in Academia Cordubensi aliquot annos collega Sansii, proficiente utroque Theologiam. Et vero adolescentibus illis singulari exemplo, incitamentoque, erat par illud præceptorum, quorum uter ingeniosior esset, ambigeres. Si Vincentium opiniones Emmanuelis impugnantem audires, nihil acutius dixisses, & acrius opponi posse: fin contra ad respondentem Vincentio Emmanuelem attenderes, nihil excogitatus, solidiusque hujus sensus placitisque existimasses. Omnino vehemens, & grave certamen erat, intra tamen decorum, & religiosæ modestiæ fines: atque ut varia sunt hominum studia,

studia, & mentium diversa vis, sæpe aliter a Vincentio sentiebat Emmanuel, atque ab Emmanuele Vincentius.

LVII. Ergo Vergara provincialis cum longo experimento novisset, quantum doctrinæ, & dexteritatis ad acuendam industriam, & (quod longe præstantius est) ad mores componendos Academicorum esset in Sansio, eum denūo toti præfecit Academiæ, & simul iussit parare se se ad obeundas omnes provinciæ urbes (quod bis fecisse diximus celebrem illum declamatorem Ignatium Oyarzabalem) sacris ministeriis, quo munere nullum illi gratius mandari poterat.

LVIII. His erat rebus intentus Sansius, cum erupit tandem tristis ille annus MDCCLXVII., quo nobis lege exilii relinquenda omnia fuerunt. Doluit, ut ceteri, Vincentius inopinato infortunio; sibi tamen proposuit pergere prodesse exulibus adolescentibus, quacumque posset ratione. Et quoniam exempla præceptis potiora sunt, prævit ille semper clientibus suis invicta constantia, & patientia in longo primum terrestri itinere, & deinde in maritimo, quod multo fuit longius. Equidem qui una ibam, non memini videre umquam me ullum in Sansio impatientis animi signum, aut audire ab eodem verbum indignum homine moderato, & religioso.

LIX. Nec jam soli fuere Cordubenses juvenes Jesuitæ, quorum bono prospiceret, sed casu factum est, ut illis alii accederent, recentes ab Europa, quos monitis salutaribus informaret. Quippe, paulo ante jussum exilium, concessum fuerat regia liberalitate supplementum in Paraguayam LXXX. Sociorum, quorum dum pars Gadibus captabat occasionem navis Oceanum trajecturæ, pars altera difficili, & adverso cursu usa, tardissime navigavit, adeo ut flumen Argenteum subierit, cum jam nobis promulgata erat lex exilii. Quocirca scholastici adolescentes, qui eo navigio venerant, impositi in nostrum sunt, ut, vix visa America, quam lævis auspiciis petierant, in Europam remearent.

LX. Miseros hos, & omni dignos commiseratione juvenes, quos in portu sævior tempestas excepit, quam

quam qua in Oceano pæne naufragium fecerant , consolari Vincentius studuit , & confirmare , monitos , ut minoris omnia facerent vocatione religiosa , propter spem certam amplissimæ a Deo mercedis toleratis laboribus responsuræ . Ibant præterea nobiscum tirones Cordubenses , quibus non solum data est remanendi in America , redeundique domum , facultas , sed ad id ipsum omni arte conatuque incitati sunt , (ut in vita Joannis Escandonii dictum est) at illi maluerunt uti Regis indulgentia , qui optionem ipsis dederat regrediendi ad suos , vel cum aliis proficiscendi .

LXI. Profecutus est Sansius tirones istos , ut meriti erant , singulari amore , eosque & verbis coram , & (postquam divisi sunt , separatique a veteranis , ut a sequendo desisterent) missis codicillis ad perseverandum stimulat , exhortans , ne ullis fracti malis terga verterent . Atque illi quidem constantes fuerunt exemplo ipsius Sansii , cui firmitas erat frangi nescia ; auditusque est quondam dicere , se non modo pro retinenda Societate molestias , atque incommoda , quibus undique premebatur , libenter pati , sed plura illis , & graviora ultro passurum pro eadem quærenda amplectendaque , si nondum id fecisset .

VENIT IN ITALIAM.

LXII. **I**N portu S. MARIE , quem tertio navigationis mense tenuimus , Vincentius in morbum incidit , quo interdum tentabatur , eratque ille quidem gravis admodum ; sed cum ejus causam experiundo alias didicisset optimus medicus Thomas Flanker , Socius Paraguaycus , hujus attentata curatione convaluit .

LXIII. In morâ porro illa , quæ semianni circiter fuit , ingratum otium terebat Sansius lectione paucorum librorum , qui nobis reliqui erant , & dulci colloquio cum quibusdam Jesuitis aliarum ex America provinciarum , qui litteris , & virtute inter ceteros eminebant . Ad extremum abreptus in Corsicam est , & paulo post in litus Ligusticum navi gallica , in qua (injectis confertim senibus adolescentibusque) summe erant angustiae , commeatusque adeo malignus , ut ex eo vitium stomachi Sansius contraxerit .

LXIV.

LXIV. Venturis e Liguria in Æmiliam pessime de jumentis provisum nobis est. Sansio mulus datus amplis adeo clitellis, ut ad primam cauponam, toto divexatus corpore, descendere non potuerit, nisi alienis exceptus brachiis. Silebat ad hæc ille, & suam aliorumque vicem, querelis parcens, dolebat. Ingressis jam ditionis Parmensis plana loca respirare tandem fas fuit. Jussit Dux optimus, optimæ, quæ nunc est, Hispaniarum Reginae germanus frater, & rhedas tradi, & lauta nobis prandia suo sumptu parari in hospitiiis, ut alibi diximus.

LXV. Contigit prope Parmam in diversorio, cui a S. Lazaro nomen est, res notatu digna. Instructum est ibi epulum ita opipare, ut vicinum sensisses Principem, cujus imperio præbebatur. Nemo intro admittus est præter aliquot honestos viros. Inter hos adfuit Sacerdos senio venerabilis, qui toto mensæ tempore vescentes nos observans, altum tenuit silentium, & ne cum ministris quidem Parmensibus ullum fecit verbum. Ubi repetendi rhedas hora fuit, accessit ille propius Sansium, ac nihil dicens, sed composito ad lacrimas vultu, apprehensam illius manum arte strinxit, abiitque. Voluisse eum erga viatores illos religiosos amorem suum ostendere, id nec novum, nec rarum erat, quandoquidem per vias Parmenses passim viri feminæque in prætereuntes singularis benevolentiae indicia edidere, etiam oblati, quibus nos recrearent, munusculis e ruris bene culti copia. Sed quod e tanto Sacerdotum, adolescentiumque numero bonus ille Sacerdos unicum Vincentium petierit, testimonio est, captum eum præcipue Sansii habitu gravi, modestoque in primis.

LXVI. Denique post varios casus, & rerum discrimina, consedit Vincentius Faventiæ, nobili in urbe Æmiliæ, ubi adolescentes omnes Paraguayci sublitere cum maxima parte Sacerdotum, aliis Ravennam missis. Il. Comes Franciscus Cantoni, quem honoris causa nomino, liberaliter nobis attribuit ad habitandum pulchram villam, quæ trans flumen posita est in insula, ut vocant Faventini. Hic renovata sunt litterarum studia, præfecto Sansio, idque munus exercuit deinceps in urbe, quo post aliquot menses mi-
gratum

gratum est : cumque in amplam domum convenissent juvenes Theologiæ, Philosophiæ, & Rhetorices studiosi, nulla iis re ad cultum animi pertinente defuit Sansius, quousque pontificio decreto Jesuitæ ab statu suo dejecti sunt .

MIGRAT SANSIUS ROMAM ET MORITUR.

LXVII. **C**asus Societatis vehementer Vincentium perculit : postquam vero ab stupore quodam ad se rediit, totum se se occultis Dei judiciis, divinæque providentiæ commisit. Et nequid gravi, & pio Sacerdote indignum ageret, aut diceret, aliosque, qui illius consilio utebantur, erigeret, comminiscendum animo, ajebat, sibi, & clientibus suis, quid, si vivente D. Ignatio, vel Xaverio, vel Borgia, vel Aloysio, aliisque sanctitate præstantibus viris, aliquid istius modi accidisset, quid illi, qui penitus a Deo pendebant cum plena voluntatis consensione, facturi fuissent, & dicturi : id autem meditantibus, ubi recta ratio, & fides quid sentiendum Divis illis foret simili in re ostenderint, ediceret unusquisque sibi : *vade, & tu fac similiter*.

LXVIII. Sed ecce tibi, dissoluta Societate, novus Sansio angor, & tristis cura. Nam cum a puero temporariæ rei administratione abstinuisset, ab non usu inutilis prorsus effectus erat ad eam tractandam ; cibumque sibi, & vestem, & cetera providere res omnium ei difficillima videbatur. Huic malo sic obviam iit : contubernio conjunctus est cum binis novis Sacerdotibus : apud hos erat rei domesticæ sollicitudo : ille, hac vacuus molestia, libris vacabat.

LXIX. Et vero inita hæc inter eos officiorum communio firma, & stabilis fuit, ad omnia se se Sansio dimittente, nequa in re contubernalibus suis tædio esset, aut oneri. Post biennium cum ægrotaret Michael Benedictus, qui e triumphatu isto erat ætate minimus, hujus ut consuleretur valetudini, Forum Livii simul iere. Illinc vero Medicorum sententia, qui temperie aeris crassioris opus esse ægro illi affirmabant, commigrarunt Ravennam, ubi tandem, ingrave-

gravescente in dies morbo, consumptus est adolescens ille vere pius, & candore morum eximius, cui adstitit Sansius fidus comes, & qui conscientiam illius regibat, ad ultimum vitæ punctum.

LXX. Alteri socio Vincentii erat dudum Romæ magister, a quo Philosophiam audierat, & qui ad se illum evocabat. Hærebat aqua grato adolescenti. Sansium, quem instar patris amabat, deferere nequaquam sustinebat; optabat alioquin optime de se merito præceptoris morem gerere. Utrum igitur alterius causâ relinqueret? Nodum solvit Sansius ipse. Tametsi, attritis jam ætate viribus, ineptus erat longo itineri, cuncta tamen socii caritati postposuit. Ivit cum eo Romanam, quam ingressus est, aucta quamplurimum corporis imbecillitate; nam viæ jactatione diffluere foras intestina cœperunt, a quo ille malo nunquam deinde convaleuit.

LXXI. De reliquo sperabat Sansius Romanam commorationem gratam admodum, & jucundam sibi fore ob tot augusta Religionis monumenta, præsertimque propter sancta Principum Apostolorum, quos singulari pietate prosequeretur, sepulcra: tum etiam, quia facultas ei futura erat sæpius revisendi templa domosque eversæ Societatis, ubi vestigia, & reliquias S. Ignatii, & Xaverii, & Borgiæ, & Aloysii, & Stanislai coram veneretur.

LXXII. Sed res contra accidit. Namque ut acrius irritant mentem oculis subjecta fidelibus, quam demissa per aures, conspectus ille Jesuiticarum ædium vulnus male obductum refricabat, graviusque dolebat Sansius, ut solet navita visis in litore tabulis naufragii. Accedebat huc plaga major, acerbi nuncii, qui quotidie afferebantur de Sedis Apostolicæ majestate tormentis omnibus & machinis alibi atque alibi oppugnata, spreteque potestate Romani Pontificis, violatisque mysteriis sacrosanctis: quæ licentia, effrenisque impietas infanorum hominum, Sansio instructo doctrina, penitusque intelligenti divinarum rerum auctoritatem, intolerabilis erat, & ingens angoris materia: atque ita aliquoties tristitia afficiebatur, ut ne aliis, cum sibi met esset gravis, foret molestus, congressum amicorum domi inclusus vitaret.

LXXIII.

LXXIII. Quod si a libris, priscis ejus deliciis, solatium peteret, vix quicquam inde relevabatur, relegens enim veterem in Europa religionem, & debitum obsequium in supremum sacrorum Pontificem, ac reverentiam erga res personasque Deo sacratas, commovebatur animo, vitâ inverecundia hujus sæculi, quo impudentium philosophorum audacia fusque deque vertit omnia, volitatque quaqua versus confisa fraudibus, & ferro. Confugiebat Sansius ad templa, simplexque opem poscebat a Deo, Divisque præsidibus, pro Ecclesia, pro Christi Vicario, pro regnis, & Regibus, pro religiosis familiis, pro se ipso.

LXXIV. Hoc tenore vitam duxit ad annum MDCCLXXXVII., quo anno habere coepit multo pejor. Contubernalis ejus, fessus contentione gravium studiorum, rusticatum ivit mense Octobri: & quoniam decreverat Sansius vacare, ut quotannis erant solitus, D. Ignatii meditationibus, auctor illi fuit abiens socius, ne illas aggrederetur, priusquam ipse rure rediret: tum rejecta in eum cura rerum omnium, pio otio alacrius expeditiusque daturum illum operam. Annuit Sansius: sed cum deinde cresceret animi ægritudo, quam augebat cari familiaris absentia; mutato consilio, se se totum spiritualibus illis exercitationibus tradidit, quæsiturus a Deo ægrimonix inveteratæ remedium. Functus jam sacris commentationibus, spiritu quidem promptus evasit, sed carne infirmus, multoque infirmior, quam antea: nihil tamen habuit antiquius, quam nequis rusticantem socium de ingravescente morbo moneret, cavens honestæ recreationi, quam sui causa nolebat interrumpi: atque in isto silentio ita constans fuit, ut cum singulis hebdomadis ad absentem scriberet, nullam umquam de fracta supra modum valetudine mentionem fecerit.

LXXV. Itaque ille destinato tempore in urbem rediens, cum longe infirmiores Sansium reperisset, questus est, nihil sibi per litteras de hac re significatum fuisse. Tum Sansius: *male quidem mihi*, ait, *fuit toto hoc tempore: morsque perpetuo ante oculos obversata est: Et nunc etiam ubicumque sum, quocumque eo, hæret menti cogitatio de vicina morte: verumtamen adventantem illam tranquille video, neque illius præsentia*

tia me turbat, aut adimit pacem animi. Id ille audiens, quod ad occurrentem Sansio mortis speciem attinet, putavit nasci istud a diuturno moerore Sansii: sed paulo post, ut se res dabant, censuit illam esse sive admonitionem, sive præsentationem a Deo, ut se se ille instanti jam ad æternitatem itineri diligentius pararet; quod fecit re ipsa, acceptisque sancte ac religiose extremis Ecclesiæ præsiidiis, placide exspiravit pridie Nonas Dec. anno eodem MDCCLXXXVII.

LXXXVI. Fidus socius doluit vehementer amisso patre amantissimo: sed tamen, ut ipse fatetur, inter moerendum gaudio simul insolito perfusus est: cujus rei causam assignat precibus ipsius Sansii, qui receperat oraturum se pro eo Deum, si, ut sperabat a divina clementia, in tuto salutem suam poneret. Quapropter cum esset ille animo quieto, nec consolationis indigeret, uti noluit beneficio amicorum, qui ipsum hortabantur, ut relicta æde, quæ tristem memoriam tam cari capitis renovatura esset, in illorum domos migraret.

SANSII VIRTUTES.

Singularis cultus in Virginem Mariam.

LXXXVII. **C**UM tam multa de Sansii pietate, & de studio aliorum salutis dixerimus, illud restat, ut de ejusdem singulari amore, & obsequio in Beatam Virginem nonnihil addamus. Dei matrem ita tenere, & perseveranter coluit, ut nihil aliud vel agere, vel cogitare videretur, quam ut ipse enixius illam in dies amaret, & ad ejusdem amorem alios omni cura & opera excitaret. Quo autem tutelam, patrociniumque Reginæ Virginum sibi magis demeretur, puer adhuc, antequam Societatem peteret, perpetuæ virginitatis votum, ut supra diximus, emisit, corporis, & spiritus holocausto adjutrici suæ purissimæ placiturus.

LXXXVIII. Hinc etiam ortus est tantus ille ardor tuendi promovendique adolescentium sodalitiis, qui se se divinæ parenti devoverant. Cum autem publi-

Q

ce

ce Philosophiam, & Theologiam profiteretur, frequentissime de Deiparæ laudibus, & dignitate disterebat, quo sensim auditoribus obsequium in illam, & pietatem inspiraret. Singulis sabbatis in ejusdem honorem jejunabat, & culinam ingressus eluebat ad labrum patinas catinosque, qui Sociis vescentibus usui fuerant, ostendens eo opere nihil tam humile, & abjectum objici ipsi posse, quod non esset libenter subiturus, ut Magnæ Matri gratificaretur.

LXXIX. Atque hic Sancti animus adeo erat manifestus, sicque notum ejus desiderium plures pluresque Mariæ Virgini clientes aggregandi, ut, cum Bonisauris, & Cordubæ Tucumanorum nunciata illius mors est, exclamarint plurimi: obiit jam cultor eximius Sanctissimæ Virginis: obiit propagator ille obsequii religiosi in Mariam Sanctissimam. Hispana verba, quibus id ad me delatum est, sunt hæc: *generalmente prorrumpieron todos en las conversaciones, y avisos que unos a otros se comunicaban de dicha muerte en estas palabras: YA MURIO EL DEVOTO DE LA SANTISSIMA VIRGEN: HA MUERTO EL PROPAGADOR DE LA DEVOCION A MARIA SANTISSIMA.*

LXXX. Huc pertinet, quod vel absens tanto terrarum, & maris intervallo, ex America in Europa cultum MARIE VIRGINIS magnopere promoverit. Res paulo altius repetita sic accidit. An. MDCCXXXV. mille circiter barbari, facta e Chaco excursionem in fines Saltenses, tribus ab urbe prætoria leucis quadringentos, eoque amplius, Hispanos, Hispanorumque servos trucidarunt, corruptis prædiis, & villis vastatis. E maxima illa strage evasit incolumis, & inviolata BEATÆ MARIE statua semipalmum alta. Hæc, ubi recreati a metu Coloni sunt, dilapsis Indis, recepta est e quadam casa, quæ continenti multarum horarum incendio in cineres tota subsiderat. Id vero magis mirum est visum, quod esset simulacrum illud e ligno resinoso, ideoque apto præ rebus aliis flammæ concipiendæ.

LXXXI. Igitur cum statuum istam summis precibus impetrasset Sanctius misit Cervariam ad carum magistrum, probe intelligens, quem ille (pro flagrantissimo suo in Virginem amore) factorum usum eisset.

Incre-

Incredibile dictum est, quanti munus istud fecerit Petrus Ferrusola, deque eo tamquam de maximo non tam a discipulo, quam ab ipsa Dei matre collato sibi beneficio, frequentissime loquebatur, interque alia, quæ a Deo benigne acceperat, morti jam proximus hoc in primis connumeravit. Ut autem ad Beatæ Mariæ, quæ vim suam ostenderat in servanda illa sui effigie (quam ab *Incendio* nominari placuit) obsequium magis ac magis Cervarienses excitaret, statuit eam publice proponere. Structum fuerat magnificum sacellum, Virgini immuni a primæva labe consecratum, in novo templo, quod Jesuitæ ædificarunt. In sacellum illud intulit Ferrusola, approbante (visis testimoniis a Paraguya transmissis) Il. D. Josepho de Mezquia Antistite, singulare Novo ex Orbe donum.

LXXXII. Dies ad dedicationem dictus fuit Kal. Dec. an. MDCCLXVI. qua die, facta omnium ordinum, atque adolescentium Academiæ, Academicorumque item Doctorum supplicatione frequentissima & celeberrima, cum composito agmine Sacerdotum templi maximi, mirabilis statua, ingenti vi gemmarum, margaritarumque ornata, in novum templum summo lætitiæ, pietatisque sensu deducta est: ibique Canonicus cum binis collegis, quos in hanc rem Celsiona, quæ urbs Episcoporum sedes est, miserat Pontifex ipse Mezquia, sollemni ritu, & cærimonia sacrificavit: Ferrusola autem ad immensum populum concionem habuit de Beatæ Virginis laudibus. Locata jam statua in sacello illo, quod diximus, plurimus fieri coëptus est concursus civium Dei matris opem, & auxilium comprecantium: ut satis compensata esse tugurii illius Saltensis conflagratio hac Cervariensium pietate videatur (a).

Q 2

DIII.

(a) Hujus statuæ a Sancio missæ Cervariam meminit Cl. V. Onophris Prat de Saba in *Vicennialibus sa-*

cris editis Ferrariæ an. 1787. pag. 73, ad vitam, & virtutes Petri Ferrusolæ.

DILIGENTIA SANSII IN REDDENDIS
VOTIS RELIGIOSIS.

LXXXIII. **P**aupertatis votivæ amans Sansius, simplice & vili amictu contentus erat, spreto nitore omni, & cultu. Necessaria illi dumtaxat, atque aliquando ne necessaria quidem: nam cum obsoleta vestis, & fœde detrita adspectantium oculos nonnumquam offenderet, monitus de hac re, causas nescio quas comminiscens, recusabat eam mutare: inferendaque ipsi vis erat, ut novam sumeret. Exosus pecunias tractare, quas Rex Catholicus numerari jubet exulibus pro victu, ad contubernales deferere, ut arbitrato suo de illis disponerent: & tantum relinquî sibi postulabat obolos aliquot, quos obviis mendicis divideret.

LXXXIV. Dum Cordubæ Tucumanorum vixit, cubiculum sibi delegit omnium angustissimum ejus ambulacri, ubi seniores patres habitabant, illudque retinuit etiam tum, cum Theologiæ antecessor erat: locus ibi dumtaxat ad arctum lectum, arctamque mensam pro scribendo, & ad bina, ternave scamua, quibus se se adeuntes exciperet. Ostentationem vero, & jactantiam semper fugit. Romæ cum expecteretur a viris nobilibus, terere eorum limina detrectavit, neque obtineri ab illo, etiam sæpe rogato, umquam potuit, ut mensis ipsorum interesset. Quod siquando officiose invisendi erant, functus urbano officio, illico secessum suum repetebat, neque inde egrediebatur nisi vel ægrorum causâ, quos consolaretur, vel ut supplex adiret templa.

LXXXV. Castitas Sansii eximia fuit: vel auram levissimam, qua infuscarî posset, diligentissime cavuit. Hanc in rem vitabat promiscui populi concursum, nequa species aut nimis libera, aut nimium compta oculis objiceretur; perque vias tanta incedebat modestia, ut nullam sibi licentiam permetteret. Cum feminis, quarum in ædibus exul habitare coactus est, agere abhorrebat; ac siquid earum cuipiam necessa-

necessario dicendum aliquando fuit, brevissimis se se verbis expedit, demisso humi obtutu inter loquendum.

LXXXVI. Totos duos & viginti annos, quibus in provincia Paraguayca fuit, prodire ad tribunalia poenitentiae in templum noluit, causatus adolescentium Academicorum, & nigritarum, aliorumque excipiendis confessionibus ita distineri se se, atque impediri, ut ire illuc non posset. Sed causa latebat alia: locum, ubi confluentes audiebat, adire nulla poterat femina: in aede autem sacra requirendus erat a mulierum multis ipso conscientiae iudice usuris: ideo inde abstinuit, atque ad alios, quos se prudentiores & sanctiores arbitrabatur, illud ministerium rejecit. Quam vero familiaritatem, atque impudentiam libere confabulandi, agendique inter se viros feminasque, nullo aetatis, & conditionis discrimine, induxit in urbes illuminatum hoc (si superis placet.) saeculum, ferre nullo modo poterat, inque morem hunc, maximi originem mali in republica, vehementer invehebatur.

LXXXVII. Comis erga ceteros & benignus, in se ipse asper ac durus fuit: & quamvis ferreus circulus, quo continebat diffuentia intestina, rigidi instar cilicii erat; aliis tamen cruciatuum instrumentis torquebat membra, satis alioquin vexata a gravibus, & diutinis affectionibus infirmi corporis. Quin etiam neu ob devexam aetatem, neu ob fractas vires jejunia omisit, iussisque ab Ecclesia addidit ipse bina singulis hebdomadis, feria nimirum sexta, & sabbatis; illud in honorem SACRI CORDIS JESU, hoc, ut MARIAE patrocinium (de qua re supra diximus) sibi demereretur.

LXXXVIII. Obedientiae singularis, qua (dum stetit Societas) dicto fuit audiens Superioribus, argumentum est obsequium illud, quo deinde profectus est eos, quos moderatores, & iudices conscientiae elegit. Quippe ab iis pendebat rebus in omnibus tamquam puer a nutu parentis, & discipulus a magistri praeceptis. Quod ab illis praescriptum erat, exacte, atque ad unguem praestabat, precabaturque eosdem, ut se velut rudem penitus, & rerum spirituum inexpertum regerent: neque praesudicio moveantur;

rentur, quod ipse aliis fuisset, aut etiam tum esset animi dux : sincerius enim, & melius, ac sine erroris periculo, in alieno negotio accitum arbitrum cernere, quam quemquam in proprio.

LXXXIX. De lenitate, & patientia in docendo, quæ princeps Sansii virtus quodammodo fuit, id dici potest, mirum fuisse, cum tam vivido, acrique ingenio esset, adeo sibi temperasse, tantamque induisse mansuetudinem, ut nihil asperi, quo adversarios pungeret, excidere sibi pateretur, præsertim in concertationibus publicis, ubi res erat de ingenii vi, quæ lis omnium delicatissima est. Erat apud se semper, & omnia tacitus devorabat. Quondam in actione, cui ego interfui, externus quidam thesium impuglator, adeo morosus, & gravis fuit, ut nihil equidem usquam morosius, molestiusque viderim. Tamen pertulit hominem Sansius, qui candidato adolescenti patronus aderat, pressaque ira, dumtaxat oravit idemtidem importune vociferantem, sineret ordine rem agi, neque tertio quoque verbo respondentem sisteret, reprehenderetque, quandoquidem suæ erant partes, clienti suo, siquid omitteret, suggerere. Atque hinc licet conjicere, quid ageret alias Sansius.

SIGISMUNDUS GRIERA

S A C E R D O S .

Patria Griera , & prima litterarum studia .

I. **P**atria SIGISMUNDI fuit Barcino , Barcino illa nobilis partim viris sanctitate , & doctrina illustribus , quorum e numero est sapientissimus juxta ac sanctissimus Raymundus de Peñasfort , Dominicanæ familiæ eximium decus ; partim stirpe pervetusta procerum ; & partim singulari artificum sollertia , industriaque : civium autem tanta frequentia , ut hac nostra ætate urbis amplissimæ moenibus urbs altera mare versus accesserit , tamquam matri filia , nomine Barcinula , qua , si descriptio , & ordo ædificiorum spectetur , haud scio , an quicquam elegantius usquam sit : viæ omnes rectæ , divisæque ad quincuncem æqualibus spatiis ; ædes limine , ostio , fenestris , tecto , ornamentis omnibus , extrinsecus pares , uniusque modi , atque ita inter se similes , ut aliæ ab aliis , nisi adjecta tessera , distingui nequeant . Omnino res pulchra est ; sed de hoc satis .

II. Natus Griera est VIII. Idus Septembris anno MDCCXXIII. parentibus honestis . A puero docile ostendit ingenium , & proclive ad pietatem , qua condiscipulis insigni exemplo fuit . Erat autem jam tum sic comis , atque affabilis , ut brevi sibi conciliaret benevolentiam eorum , quibuscum versabatur , eo præsertim , quod nulla in re deesset ulli , dummodo salva religione & conscientia opitulari posset ; qui tenor vitæ illi perpetuus fuit . Sane omnes , quos vel coram , vel per litteras consului , hanc Griera tribuunt laudem , ut vix quicquam ab indole , & cultu animi , amabilius fingi queat .

III. Post studium humaniorum litterarum , quibus excelluit sive oratorios , sive poëticos tractaret locos ,
ope-

operam dedit Philosophiæ , arripuitque eam ita , ut magister ejus Michael Sierra palam , & sæpe diceret Sigismundum ex optimis fuisse auditorum , qua mentis acie , qua ceteris animi bonis . Quæ quidem brevis laus maxima Griera commendatio est : quippe Barcinonem ad audiendam Philosophiam undique conveniebant frequentissimi adolescentes : inque tanto numero , ubi plurimi virtute , & ingenio eminebant , præstare , atque antecellere non poterat , nisi qui eximiiis dotibus esset præditus .

IV. Ut vero Griera præcipua erat cura Philosophia Christiana , non majus illi naturæ cognoscendæ studium fuit , quam obeundarum rite exercitationum , quæ multæ pro sanctæ castæque educandis adolescentibus Barcinone institutæ fuerant . Quare in sacello pii sodalitiæ , & in templo , supplex ille ante aras precabatur a Virgine Matre , & a Virginis Filio , inspirari sibi e cœlo scientiam Sanctorum : neque negavit poscanti optatum lumen Deus . Reputare coepit secum Griera , quot , & quantis periculis pateret morum innocentia , nisi quis tutum in portum se se reciperet . Hac causa religiosæ cupidus vitæ Societatem JESU petiit , statimque in eam cooptatus fuisset , quandoquidem se se omnibus probarat , nisi obstitissent mater , & soror , quibus , mortuo patre , ut perexiguus domi census erat , debebat ipse consulere .

V. Ceterum cum de honello victu provisum utrique fuisset in posterum , officio hoc pietatis functus , domesticisque expeditis vinculis , alacer Tarraconem abiit in tirocinium , absoluto jam Philosophiæ curriculum . Magnam autem de se Barcinone opinionem reliquit : qui enim aliquot post annis eo venit , Philosophiam auspicaturus , narrat reperisse se vigentem adhuc memoriam Griera , quem qui norant , a dotibus præclaris , & ab ingenio , & a virtute laudabant .

VI. Exceptus tironum domo , veteranus potius , quam candidatus , & novitius videri coepit . Disciplinæ patiens , & obtemperans prorsus præfectis , non modo nullum reprehensioni locum dedit , sed , ut ab illis accepimus , qui cum eo ibi tum fuerunt , comi & festiva intra modestiæ fines hilaritate , amori fuit omnibus , & simul incitamento ad virtutem : ita se se
reli-

religiosæ vitæ legibus accommodabat. Nuncupatis autem post biennium sacris votis, renovatoque aliquamdiu humanioris doctrinæ studio, missus est Oriolam (Origuella vocat vulgus) quæ urbs est ad Valentini agri fines, ut grammaticen profiteretur.

VII. Eo tempore erat illic Philosophiæ præceptor vir gravis, qui qualem in fingendis pueris modum Griera tenuerit, nos docet. Præibat, ait, discipulis exemplo modestiæ, & pietatis, quas virtutes ab ipsis vicissim exigebat, sat sciens omne pæne civitatum bonum pendere potissimum ex disciplina atque institutione puerili. Nihil vero omisit, quo illos ad studium alliceret, curaretque progressus in discendo, iis usus instrumentis, præceptisque, quæ pro Sociis magistris in librum institutionum litterariorum sapienter digesta fuerant.

VIII. Carus discipulis, carior fuit domesticis, quorum re ulla, aut verbo læsit neminem. Læsit autem? Immo in omnes se partes vertit, ut eisdem adjumento esset & levamini. Ejus profecto amor ex cognita virtute adeo alte ipsi illi professori Philosophiæ hæsit, ut cum egressus Ferrariâ iter Faventia olim faceret, nihil antiquius habuerit, quam Grieram adire, & amantissime salutare; ac talem, inquit, reperi, qualem Oriolæ videram, eadem caritate, eademque agendi dulcedine, quæ ipsi naturales fuerunt.

IX. Post illud puerorum magisterium venit Valentiam, ut Theologiam audiret ab egregiis magistris. Docti Sacerdotes, qui sacræ ibi disciplinæ tum vacabant, memores etiam num, quam gratus & amabilis fuerit ipsis Griera, amplam condiscipulo suo laudem deferunt, ob constantiam in studendo, ob modestiam, ob diligentiam in servandis regulis, & ob gratificandi omnibus curam singularem.

VENIT OLYSSIPONEM.

X. **C**Eterum ad Dei gloriam promovendam non erat Grierae destinatus vetus Orbis, sed Novus. Huc ille, honores & commoda Europæ fugiens, pro instituendis Indiis anhelabat, oblitusque inclytæ patriæ

nec

nec pulchra captus Valentia , eam sibi provinciam optavit . Petenti per litteras transmissionem marinam annuit Præpositus Generalis , atque in Paraguayam eum designavit . Valentia igitur Matritum contendit , ubi tum agebat Bruno Morales , qui Bonisauris venerat cum Ladislao Oros , ut supplementum sociorum scriberent .

XI. Horum procuratorum in Europam adventus incidit flagranti Hispanorum bello pro ditione Parmensi . Ut vero armorum vis & terror longe lateque spargitur , atque armata gens una alias armat , ne in Oceano quidem pax erat . Ob id illi supplicarunt Regi Catholico , liceret sibi quos legerent adolescentes , eos Olyssipponem cogere , atque inde solvere in Americam ; tutior enim erat navigatio Lusitanis , quippe quibus Anglorum amicis . Permisit benigne Rex : ac delectus Sociorum in Lusitaniam missus est .

XII. Ergo ut Valentia Matritum venit Griera , adiit Brunonem Moraliū (Orosius , primus procurator præcesserat Olyssipponem ad navim conducendam , urgendumque trajectum .) Erat Bruno vir gravis , & qui , professus Theologiam in Cordubensi Academia apud Tucumanos , magnam sibi doctrinæ famam pepererat . Is simul Grieram vidit , religiosos illius mores , & prudentiam miratus , mandavit ituro ad Orosium , ut iter Hispalin deflecteret , atque inde secum deduceret tirones quinque in Paraguayam destinatos . Nec mora : eo Griera properat , assumptisque comitibus , quorum aliqui adhuc superstites sunt , pergit ire in Lusitaniæ regiam urbem . Iter fuit decem dierum , quibus abunde monstravit Griera Morali de se iudicium illud , iustum , & rectum fuisse , instar enim patris creditorum sibi tironum curam egit .

XIII. Unus eorum memorat , quam longa fuit via , insignia dedisse illum documenta religiosæ disciplinæ , moderationis , prudentiæ , modestiæ , & cautæ circumspeditionis . Tum addit : rhedarius qui nos vehebat Valentinus erat : hunc in diverforio quodam rogavit Griera , ut indicaret cauponiæ feminae , ne per se , sed per eundem rhedarium , aut virum alium , inferret , quæ opus erant , in cubiculum , ubi ipse cum tironibus versabatur . Ille , visa hera , homo apertus ,
heus

heus tu , ait , adolescentes isti nolunt te , aut ullam omnino feminam ire ad eos intro . Doluit denunciatione hac honesta femina , ac deinde quæsta est cum Griera de injuria ipsi facta . Ille plenus rubore , & suffusus verecundia oculis , non id , inquit , fieri volui , quod de te quicquam mali , (qui enim poteram ?) suspicatus sum ; sed quod esset decentius , si viris sex religiosus vir ministraret . Accepit mulier minime pervicax excusationem . Cautio autem , qua hic usus est Griera , agendi cum feminis propria , & perpetua illi fuit toto vitæ tempore .

XIV. Ubi Olyssipponem perventum est , quini illi candidati missi sunt in domum tironum Lusitanorum : Griera secessit in ædem aliam Societatis , Cotovia nomine , ut studiis Theologicis insisteret . Dictu incredibile est , quam faverit toti illi Sociorum Hispanorum delectui Regina Lusitaniæ Maria Anna Austriaca , quæ , Rege Joanne V. diu & graviter ægrotante , regni administrationem habebat . Bis in aulam Jesuitas istos Paraguayos admisit summa dignatione ; modusque ipse , quo eos excepit , plenus humanitate fuit : nam ut bini propius veneratum accesserant , extendebat ad osculum dextram , statimque retrahebat osculo impedito . Eadem præcepit vectigalium exactoribus , ne molesti essent manipulo illi virorum religiosorum , significavitque velle se omnino cum eisdem large & munifice agi . Navarcho item , quocum ituri erant , vehementer commendavit , ut honeste vectores hos suos , & liberaliter tractaret . Quid multa ? Erat Regina magni consilii , atque eximia pietate , aliisque clara virtutibus . (a)

XV. Olyssippone quattuor menses Griera moratus est : & cum tot , & tam magnifica , & digna visu sint urbe in illa , quæ septem collibus Romæ speciem refert , haud multum illa omnia Sigismundi animum permoverunt : habitabat enim secum , & cum libris , domestici .

(a) Prodiit in lucem Re- de hispane conversa est .
ginæ *MARIÆ ANNÆ* vi- Latinam olim vidi in A-
ta latine scripta , & dein- merica .

metticoque secessu contentus, quid foris spectabile esset, aut quid ab civibus fieret, parum curavit: Olyssipponensium certe rerum meminit deinde raro, aut numquam.

NAVIGAT IN AMERICAM.

XVI. **M** Aturo jam ad navigandum tempore, impositoque commeatu, XIV. Kalendas Octobris anno MDCCXLVIII. solvit simul ab Tagi annis ostiis quadraginta quinque navium classis (tanta emporii illius frequentia est) quarum aliae in Africam, aliae in Asiam, aliae in Brasiliam, aliae in flumen Argentum ibant. Erat a S. Jacobo nomen navigio, quod Orosius procurator (Moralius ejus collega mortuus Matriti est) & Griera cum parte supplementi confecerunt; navarcho Josepho Carvallio de Pereira, viro pio, & maritimae rei apprime perito. Huic, & nautis, vectoribusque, carus fuit magnopere Griera, visis in eo, praeter ingenium suave, tot exemplis virtutum, quae in longa illa navigatione edidit. Et quod quidem ad Carvallium ipsum attinet, luculento is argumento deinde ostendit, quanti Grieram faceret, ut suo loco dicemus.

XVII. Hic vero (quoniam de traiectione Oceani toties in aliorum vitis strictim egimus) nemini ingratum, opinor, erit, si paulo futilius quaedam prosequamur, quae in vastissimo illo maris tractu accidunt, eo praesertim, quod elegans scriptor Martinus Dobrizhoffsus, qui una cum Griera ibat, nonnulla de navigatione ista pulchris suis commentariis inseruerit (a). A portu Olyssipponensi (idem puta de sinu Gaditano) tutus est cursus ad ostia usque ipsa fluminis Argentei: vix enim fyrtes sunt ullae, aut vada, quibus naves periclitentur. Equidem qui bis Atlanticum Oceanum traieci, nullius scopuli mentionem fieri a nautis audii, praeterquam cuiusdam acutae cauti, quam Hispani vocant *Penedo de S. Pedro*, in ipsa fere linea Aequinoctiali.

XVIII.

(a) In historia de Abiponibus tom. I.

XVIII. Obviæ insulæ nullæ sunt nisi felices illæ fertili gleba, & cœlo salubri, *Canaria*, sive *Fortunata*, septem numero (a), inter quas celeberrima est *Tenerife* ob altissimum montis verticem, qui ita eminet, ut ex opticis rationibus prospici possit septuaginta eminus leucarum intervallo. Illum vidi, miratusque sum, iens in Americam. an. MDCCLV. mense Aprili. Diceres providum Numen hunc veluti limitem medio in Oceano posuisse, ut ab illo, tamquam a fido Indice, de itinere vel in Americam, vel in Asiam præternavigantes monerentur. Sane a Canariis Occasum versus moliri viam Columbus coepit, magnanimo illo consilio, ausuque, quo aperuit Novum Orbem. Atque etiam num gnavi gubernatores ad easdem insulas contendunt primo cursum, ut certiores illinc longitudinis gradum auspicentur: idque magno ipsis adjumento est, ut minus postea errent in supputando, quantum per varios flexus (prout secundus est ventus, seu adversus) in Occidentem, Orientemve navis provehatur.

XIX. Relictis a tergo *Fortunatis*, nulla amplius terra apparet, quousque aliis quidem, superato S. Augustini promontorio, *Brasilia* ora detegitur; ab aliis autem primum omnium litus illud dispicitur, quod fluminis *Argentei* ostiis adjacet. Cursum est trium ferme mensium, sed ternos & semis posuit navis, qua vectus est *Griera*. Is toto illo tempore distributæ diei partes ad opera spiritualia, quas observabant tirones (quippe pro collegio erat marinum illud domicilium, nec disci-

(a) Quoniam *Canariarum* mentio huc incidit, æquum est apponere earum censum novissimum, qui a nullo geographorum editus, opinor, adhuc in publicum est. Erant an. 1783. in septem his insulis hominum capita 1. 80. 874. In *Tenerife* autem (quandoqui-

dem eam speciatim produximus) censa sunt eo anno capita 66478. Reliquarum quoque possem censum reddere; sed non est hic locus. Tantum dico numerum *Canariensium* multo fore majorem, nisi plurimi inde in Americam irent, paucis redeuntibus.

disciplina religiosa omittebatur) secutus accurate est , vacuasque rebus asceticis horas studio litterarum attribuit .

XX. Si nulla euntes tempestas agitet , cursus placidus est , nec sua caret delectatione , tamen si nihil in conspectu aliud sit , quam *cælum undique , & undique pontus* . Ante mediam solis plagam , recedentibus paulatim Cynosura , & notis Europæ stellis , conspici sensim incipiunt astra australia , quæ pulcherrima sunt , utique ea , quæ circum axem , nostro aversum , feruntur in Crucis formam , & ob id dictæ ab Hispanis **EL CRUCERO** . Alia autem atque alia sidera recreant mirifice serena in nocte oculos eorum , qui a creatis rebus assueti sunt , ut erat Grieræ , Creatoris potentiam , & sapientiam , & bonitatem arguere . Neque minus immensa illa aquarum moles animum percellit , quam formosa novi cæli species , ut sensu ipso , sive deorsum , sive sursum aspicias , experiaris illud Regis Psal- tis : *mirabiles elationes maris , mirabilis in altis Dominus* .

XXI. Quod si *divisæ* fuerunt *arboribus patriæ* , ut vates ait ; *divisæ* quoque piscibus dicenda sunt natalium sedium loca . Quippe habitant spatia illa Oceani , subjecta tropicis , natantium animalium inusitata genera . Ante alios digni memoratu sunt quidam pisciculi , qui senis ornati pennis , nant alternis , & volant , jucundo sane spectaculo , interdum enim navis irretiti velis funibusque intro decidunt . Volucres pisces hi Grieræ , vectoribusque , visi primum sunt die D. Francisco Assisiati sacra , qua die vento secundo , sed eodem vehementissimo , plurimum navis promota est : neque id contra opinionem nautarum , qui experimen- to comperere solitum mare turbari sub initia Octobris procella aliqua , sine qua vix umquam abeunt proximi æquinotio dies .

XXII. Ceterum piscibus istis concessit alas Deus , ut sibi consulant contra thynnorum , delphinumque vim , & insidias , eorum enim maximi greges sunt . Insectantium autem strepitum ut sentiunt longe , attol- lunt se se illi catervatim , perseverantque in volan- do , dum pennæ humidæ sunt , nam siccis , contra quam fit avibus terrestribus , uti non possunt : rara pro-

profecto gens volucrum, quæ ita Astronomorum mentes movit, ut eidem ad austrum assignarint sidereum æquor, sive conspicuam coeli partem.

XXIII. Ardent interea navigantes æstu intolerabili a sole desuper incumbente. Sitis (præter summas loci angustias in tanto nautarum vectorumque numero ad septingentos, octingentosve) maxima est, neque aquæ dulcis (quæ ob nimium calorem corrumpitur) modica mensura viris singulis in dies divisa ex clauso urceo satis est ardori viscerum temperando. Possent quidem vectores refrigerare languentes artus nando, cum multorum plerumque dierum malicia navigium immotum teneat.

XXIV. At neque istud sine periculo licet ob tiburones, ferum genus, qui circum vagantur. Sunt hi pisces immanes supra modum, qui quidquid in mare decedit, cujuscujus modi sit, vel si minime aptum edendo, devorant, tabularum fragmenta, vestium frustula, centones panni, telas, ferrum: nihil respuunt. Corpore autem sunt vasto, eoque robore, ut e pendulis ex navi uncinis capti aliquando, vix a quinque senisve nautis, tota virium contentione, trahi funibus injectis sursum possint.

XXV. Cum ventus omnis concidit, solent vectores, & nautæ frequentare pia ad Numen vota; unus enim Deus est, cum neque auræ navim agant, neque agi remis queat, qui malo medeatur, & cursum det. Navis, qua ibat Griera, detenta est uno loco cis lineam æquinoctialem dies XXVIII. Tum pelagi tranquilla facies commodum otium fecit quotidie sacrificandi. Precabantur omnes, strati ante aram, a Christo Domino, qui hominum causâ navigavit olim toties, auxilium ex alto mitteret, & cessantia imple-ret vela. Griera vero nondum Sacerdos festis diebus sacræ accumbebat mensæ, offerens Deo hospiti ærumnas illas, & fastidiosa maris tædia, ejusdem causa suscepta.

XXVI. Adhibiti simul deprecatores superi, ut a summo Patre impetrarent præsentem opem, qua se se loco illo torpente extricarent. Supplicarunt in hanc rem novem dies D. Xaverio, qui hæc ipsa tropic.

picorum incommoda (a) expertus est. Fusæ etiã novemdiales preces ad Dei genitricis matrem, erat enim Navarchus obsequentissimus S. Annæ, a qua nihil non sperabat. Quo autem in eamdem Divam nautarum amor magis excitaretur, voluit haberi publice illius laudationem. Hæc commissâ Grieræ est; qui ad commentandum non alium habuit librum, quam Sacra Biblia, verum integræ instar bibliothecæ divina volumina illi tum, & deinceps semper fuerunt. Itaque Annam sic laudavit, & tanto ardore ad ejus cultum, & imitationem auditores movit, eosdemque ita ad odium, & poenitentiam culparum, quarum supplicium, prohibitis ventis, exigebat Deus, instigavit, ut qui Orationi illi interfuit artis dicendi in primis peritus non dubitet dicere ostendisse tunc Grieram, qualis futurus esset, procedente tempore, Orator, eximus scilicet.

XXVII. Perfuncti jam Dei munere ærumnis Zonæ torridæ evasere tandem in Oceanum Brasiliæ ultra promotorium S. Augustini. Vagantur illac marina quædam monstra de cetorum genere, quæ haustam a mari magnam aquæ vim ejaculantur idemtidem in æra ingenti impetu, veluti solet e sublimi fontis spiramine compressus liquor erumpere. Longius ea parte provectis prospecta est ampla moles. Myoparonem piraticum videre nobis videbamus, ait Dobrizhoffius. At erat cetus. Innatans mari grande corpus navis formam referebat, aqua autem vento sparsa, e collustrata solis radiis, objiciebatur intuentibus tamquam velum expansum, & candens. Navarchus e carchessio, ope specularis tubi, quid illud esset, quod suspensos habebat animos, cum risu apprehendit.

IN-

(a) Optime hæc in Xaverii vita describit Horat. Turfel. lib. I. c. 13.

INTRAT OSTIÀ FLUMINIS ARGENTEI ET
VENIT IN PORTUM COLONIÆ
SANCTISSIMI SACRAMENTI.

XXVIII. **A**D XII. Kal. Jan. (qui dies Apostolo Thomæ sacer est) visæ propius sunt circum volantes aviculæ , & raptæ frondes per aquam , quæ subinde colorem mutabat . Hæc indicium fecere vicinæ jam terræ , in alto quippe Oceano nihil ejusmodi videris . Sub occasum solis certius fuit signum a lupis marinis navi appropinquantibus , numquam enim illi procul abeunt a ripis , quibus assueverunt . Ea nox , nequod in malum improvise incurrerent , transacta est oppositis inter se velis ex arte , ut ab altero in alterum ventus reciprocans , non sineret navim , inhibito cursu , usquam provehi . Orta jam luce , apparuit cominus promontorium S. Mariæ , cujus scopuli vix tanto aberant spatio , quantum vibrata tormento pila trajici potest . Navarchus ne maris æstu illuc navis abripere-
tur , gubernaculum detorsit , captoque longiore circuitu , postridie cursum convertit ad ostia fluminis Argentei , qua *Luporum insula* est sub illius fauces .

XXIX. Ibat in navi hybrida quidam qui Olyssipponæ jactarat se se scientem doctumque vadorum Argentei amnis (quæ non omnium peritia est) eaque causa conductus pretio fuerat , ut , repertis jam ostiis , ipse ad portum usque dux esset itineris . Navarchus illi (ut fit) imperium omne navis , quod ad cursum attinet , permisit . Hybrida , secus ac debuit , ab Orientali ora , ubi altior fundus est , in medium progressus alveum , ire recta institit . Paulo post , subsilientes collisique inter se fluctus vicina vada *Anglica* prodiderunt . Perierant , si id indicii animadversum casu non fuisset a binis Jesuitis . Navarchus proximi territus naufragii discrimine imperitum vecordemque hybridam cum indignatione rejecit , clavumque jussit extemplo reflecti , ut se se loco illo expediret .

XXX. Sub vesperam foeda cohorta tempestas est ab austro , totamque noctem , quæ Natalis Domini erat , steterè ad ancoram , quam tum primo jecerant prope

R

insu-

insulam *Florum* intra fluminis ostia , Quid multa ? o-
perosissimus fuit cursus ille ad portum usque . Die pue-
ris innocentibus sacra , cum præterisset jam navis por-
tum *Montevideo* , offendit in syrtes , quas *Ortizii* vo-
cant , vehementi impressione , citra tamen labem :
nullo autem nautarum labore , aut industria demoveri
inde potuit toto biduo . Tertio die casus dedit , quod
non dederat ars , & conatus impiger . Tonante cælo ,
tantam auster vim fluctuum ab Oceano in flumen im-
misit , ut hærens carina , auctis aquis , fluitare rursus
per se ipsa cœperit .

XXXI. Pridie demum Kal. Jan. an. MDCCXLIX.
læti incolumesque Coloniae Sanctissimi Sacramenti por-
tum intrarunt , vitatis fauste periculis , quæ ita multa
sunt in subeundo flumine , ut non dubitet *Dobrizhoff-*
ius , qui ea pavidus vidit , dicere : „ Sit firma na-
„ vis , sit peritus , vigil , dexter , accuratus navarchus ,
„ noverit periculosi fluvii stationes omnes , securitati
„ necdum sat cautum est tuæ . Furat auster ; arte ,
„ scientia , experientiaque longa nihil proficientibus ,
„ abripietur navis in loca , ubi pereundum , certe pe-
„ riclitandum , trepidandumque erit „ . Et ne altiora
hujus rei exempla petamus , ipsa illa navis , qua ve-
cti sunt *Dobrizhoffius* , & *Griera* , cum bis deinde ,
terve , remensa esset Oceanum , fracta tandem est ad
insulam *S. Gabrielis* , quæ e regione Coloniae est , ex-
tabantque adhuc ejus tristes reliquæ an. MDCCCLXII.
Igitur singulares & summæ a *Griera* ceterisque actæ
grates Deo , cujus beneficio infinita maris spatia trans-
miserant , ac superato male fidi amnis introitu ad
optatum navigationis finem pervenerant .

XXXII. Ubi innotuit civibus appulisse religiosos
illos viros , quos Regina Lusitaniæ adeo sibi acceptos
ostenderat , & Navarcho eximie commendarat , festi-
vo tormentorum fragore , more nautico , advenientes
salutarunt , egressosque navi honestissime exceperunt : &
deinde abeuntes eodem illo honore peritrepentium
machinarum profecuti sunt : sentires , quantum notus
favor Principis , vel si immenso absit intervallo maris
terræque , valeat . At quanta , & qualis erat Colonia
illa , quæ toties Hispanis negotium faceffivit , belli
instru-

instrumentis, & firmis potens mœnibus? Disce id rursum a Dobrizhoffio ibi biduum morato.

XXXIII. „ Urbecula hæc, ait, tot discordiarum
 „ pomum, editiori fluminis ripæ incubat. E domibus
 „ paucis, & humilibus componitur, pago quam urbi
 „ similior. Neque spernenda tamen: miseris enim
 „ sub tectis opulenti mercatores, omne mercium ge-
 „ nus, aurum, argentum, adamantes delitescunt...
 „ Nihil elegantiae ostendit..... Naves Lusitanicæ
 „ Anglorum, Batavorumque mercibus, &, quæ in-
 „ genti cum fœnore in America veneunt, mancipiis
 „ Africanis onustæ, certatim ad hunc confluxere
 „ portum, e quo, delusis, vel ære corruptis Hispa-
 „ nis excubitoribus, in Paraquariam, Peruvium, Chi-
 „ lensequæ regnum, venales clanculum deportaban-
 „ tur,,. Hæc ille, qui recte præteriti temporis ver-
 „ bo *deportabantur* usus est: castrum enim illud clarissi-
 „ mi Imperatoris Petri Cevallii auspiciis captum est, &
 „ deletum, obstructo insuper portu, ne admittere na-
 „ ves majoris formæ possit, quæ fuit occasio occupati
 „ olim a Lusitanis loci illius apti ad clandestinum com-
 „ mercium. Atque hæc quidem, quæ paulo fufius re-
 „ censuimus, satis sint in specimen laborum, qui fre-
 „ quenter accidunt contententibus per Oceanum Atlan-
 „ ticum ad flumen Argenteum.

GRIERA ABSOLVIT STUDIA THEOLOGICA ET SACRIS INITIATUR.

XXXIV. **E** Colonia, ineunte an. MDCCXLIX.,
 tranjiciens Grieram cum cetero supplemento Argenteum
 flumen, quod illac XLVIII. circiter passuum millia
 latum est, navigavit Bonasauras, quæ ex adverso
 sunt. Hæc urbs frequentissima, & pulchra, & ornata
 a Carolo III. Proregis dignitate, cum antea a præto-
 ribus administraretur, Grieram brevi tempore tum re-
 tinuit, eum habitura deinde, maximo civium bono,
 totos annos sexdecim.

XXXV. Absolvenda illi erant studia theologica,
 qua causâ missus Cordubam Tucumanorum est. In ea
 Academia, quæ optimis florebat legibus, spectabilis

Griera fuit non singulari solum virtute , & modestia , sed ingenii etiam præstantia. Sane cum positi laboris litterarii tertio anno periculum fecisset coram doctis magistris , par judicatus est ad propugnandas publice totius sacræ disciplinæ theses condiscipulo suo Joachimo de la Torre .

XXXVI. Id propterea dico , quod nihil gravius possim asserere , quo constet , quantum doctrinæ Griera comparasset . Scimus , qui cum Joachimo egimus , quam acri ille præditus mente esset , quam solido iudicio , quam perspicaci acumine ad subtilia quæque rimanda , & quam constanti ad studendum animo. Tamen sapientes magistri hunc , tot probatum nominibus , Griera anteponeere non sunt ausi , sed æqualem utrumque secretis suffragiis declararunt . Et quidem Joachimus in illa ipsa Academia Philosophiam deinde insigni laude tradidit , & sacros Canones interpretatus est , & Theologiam professus (a) . Atque ex iis satis conjici potest quid sacræ scientiæ , atque eruditionis attulerit Griera ad tuendas theses divinarum institutionum .

XXXVII.

(a) Hic solum Joachimi de la Torre dotes ingenii commendavimus : sed fuerunt alia in eo laudabiliora , virtus nimirum , & sanctitas insignis , & odium sui , & rerum mortalium singularis contemptio. Erat nobili familia natus Cordubæ Tucumanorum . Mater ei honestissima , & pater tantæ ob notam æquitatem , & pios mores , apud cives auctoritatis , ut ad illum , siquid controversiæ ortum esset , confugerent , ipsiusque starent arbitrio ; qua re minus litium forensum erat. Joachimus autem

post patris obitum pertæsus patriæ , honorumque Academicorum , mitti alio petiit , delituitque intentus sacris proximorum ministeriis ad iussum usque exilium in obscura urbe *de las siete corrientes* . Mortuus est apud Ligures . Unum hic omitendum non est . Ob summum obsequium , quo Apostolicam Sedem , traditamque nobis per majorum manus sacram doctrinam venerabatur , oderat ille vehementer libros novis rebus studentium , qui omnia susque deque vertunt : inque illis nihil solidi , nihil ,

XXXVII. Ante hanc academicam actionem, quam ingenti plausu obiit Augusto mense an. MDCCCL. initiatus fuerat sacris ordinibus, ad quos sollicitiore, quam oportuit, animi contentione se se paravit. Etenim ex immodico, præposteroque majoris perfectionis studio, invasit illum improbus scrupulorum tumultus (præsertim in recitandis præceptis precibus, & in sacrificando) ea mentis perturbatione, ut ad reddendum Sacerdotale pensum tres horas poneret, nec tamen satis ei officiosa videbatur privata illa recitatio: in Sacro autem Missæ, obstrepentibus intus suspicionibus illis inanibus, sibi met, & circumstantibus gravis erat.

XXXVIII. Res propius dementiam venerat, exigebatque sedulam præfectorum curam. Hi, quod ad psallendum attinet, definierunt illi iustum tempus. Quod si vel titubando, vel eadem sæpius repetendo, ad finem precum non venisset intra iustum illum terminum, præceperunt, ut, plicato libro, sine ulla cunctatione omitteret omnia: se eo die sacrato onere, & reli-

quod virum recte philosophantem, & ad trutinam res expendentem, moveat, nūc doctus reperiri dictitabat. Et quidem cum edi in lucem cœpissent periodicæ quædam chartæ titulo Annalium Ecclesiasticorum, ubi in earum prologo vidit, scriptores illos ambitiose profiteri se se Catholicos esse, & nihil vera fide religiosius, & antiquius habere; laudo, & gaudeo, si ita quidem est, dixit Joachimus: verum timeo vel ab ista ipsa professione; quorsum enim hæc de rebus Ecclesiasticis scripturo? D. Thomas, & cetera Theologiæ lumina,

nusquam disertis verbis lectorem monent, se Catholice sentire, neque a decretis Ecclesiæ discedere: ipsa doctrina, ipse amor in Summos Pontifices Numinis interpretes, ipsa reverentia in regulam fidei, ipsū constans studium tuendi Apostolica dogmata, quod palam illi, & aperte non dicunt, satis superque declarant. Metuo itaque quid tandem Annales isti ferent.... Quid tulerint, sciunt, qui sapiunt, & Romam amant: hi vident, noruntque, quam bene futurum fumum, & foetens sulphur odoratus sit Joachimus. Aliud non addo.

reliqua psalmodia illum absolvere, quod ipsis licebat facere. Præterea socium, quocum recitaret, assignarunt Emmanuelem Vergaram, antecessorem Theologiæ. Nec minus data eidem sunt opportuna remedia pro Sacro Missæ rite, & sine anxietate, faciendæ.

XXXIX. His rebus, & docilitate, qua præfectis, arbitroque conscientiæ obtemperabat, didicit modum quemdam esse religionis, & inaniter esse superstitiosum non oportere. Quo circa nubes illa turbida paulatim evanuit, quousque psallit attente quidem, & magno pietatis sensu, sed citra importunum angorem: litavit autem semihora, nullis aliis extrinsecus signis editis, præterquam animi reverentis, atque in altissima mysteriorum maiestate defixi. Crux illa molestissima triennium duravit, eaque tamdiu Deus illum exercuit, ut deinde aliorum conscientias dexterius regeret.

XL. Præter eam vero, quam cum successu, ut modo dictum est, curationem adhibuerunt Superiores, illud rati sunt opportunissimum fore, si tanta occupationum mole obrueretur Griera, ut sui tandem immerito calumniandi finem faceret. Nulla huic consilio aptior erat urbs, quam Bonæauræ, frequentissimæ numero civium, qui neque interdiu, neque noctu quiescere Socios patiebantur partim habendis concionibus, partim ægrotis adeundis, partim excipien- dis confessionibus, & partim regendis scholis, adjuvan- disque sacro ministerio, ac omni qua possent ope, iis qui carcere detinebantur. Cessare omnino illic lice- bat nemini,

MITTITUR BONASAURAS.

XLI. **H**ÆC urbs est, quæ turbato Grierae animo plurimum profuit, & vicissim a Griera maximas retulit utilitates longo annorum XVI. spatio. Primum illi munus fuit docendi pueros grammaticam artem, & rhetoricam: atque id quidem per se magnam diei partem occupabat. Accedebat, diebus præsertim festis, confertissima turba ad confessionem accurren- tum; neque bonum eorum numerum non poterat
non

non audire Grieræ; sacra enim aliorum tribunalia expediendæ tantæ multitudini satis non erant. Noctu autem vel bis, vel ter interdum, Sacerdotum aliquis ad moribundos vocabatur; quod onus ne in alios totum recumberet, debebat ipse Grieræ vicem suam, & vigiliam obire.

XLII. Ad hæc, concionandum sæpe erat & domi, & foris, neque decebat illum non apparere etiam publice, cum excelleret arte Oratoria. Hinc factum est, ut intento tot simul muniis, quæ (pro diligentia ei rebus in omnibus solita) reddere curabat exacte, nullum suppeteret tempus fanaticos in se terrores comminiscendi, ac proinde vanas illas, inutilisque sollicitudines, quibus misere implicabatur, abiecit, alacremque & expeditum ad quævis Sacerdotii ministeria se se præfectis stitit.

XLIII. Posito jam biennio in explicanda grammatica, & rhetorica, iussus est ibidem Philosophiam profiteri. Ab studio, & doctrina præclare instructus eam artem discipulos egregie docuit, illorumque nonnulli, ut valent Bonaureses ingenio, præstantes admodum fuerunt. At Grieræ ante omnia cordi fuit, ut suæ alumnis disciplinæ probos mores, & pietatem una cum litteris inspiraret. Senex quidam, in eo collegio plurimos versatus annos, in auditoribus Grieræ duo se animadvertisse dicebat, alterum, superiore tempore numquam plures ex adolescentibus Philosophiæ operam dantibus ad metas pervenisse, ac discendæ Theologiæ se se reservasse, alterum, nullos antea, inter ipsam contentionem cognoscendæ naturæ, plura dedisse solidæ pietatis exempla.

XLIV. Ex discipulis Grieræ gemini optimæ spei juvenes fuere e familia Il. Cajetani Agramont, qui cum cerneret, quantum & pia institutione, & studio litterarum proficerent sui illi domestici, Grieram eo nomine plurimum amavit. Ac digna quidem narratur res est, quæ binis illis philosophis gloriæ, & magistro eorum laudi fuit. Agramontius Antistes post sancte administratam multis annis diocesi Bonaurensi evectus est ad Archiepiscopatum Chuquisacensem. Deduxit eo secum duos illos familiares. Inita autem nobilis in primis, & opulentæ cathedræ possessione, pau-

lo post vita excessit , & par illud adolescentium optimo Mæcenate , & patre orbatum est . Quid facerent peregrini ? Indictis tum comitiis ad vacuas rectore Ecclesias , nomen ambo , Theologiam jam docti , dederunt .

XLV. Facto periculo , cum sacer magistratus retulisset ad præsidem Senatus Indici de iis , qui magis idonei iudicati fuerant , ut ipse pro jure patronatus regii singulos in singula templa designaret , præses ad binas parœcias e primariis excerptis ex indicatorum numero binos illos adolescentes , quorum singularis pietas , & doctrina manifestæ erant omnibus : ita in discipulis Grieræ virtus litteras , & litteræ virtutem commendabant . Post Philosophiam professus ille est divinam disciplinam ad annum usque MDCCLXVII. eo opinionum delectu , qui solido ejusdem judicio congruebat : idque hic etiam præcipue egit , ut quos instituebat , Dei potius amatores , quam arcanorum divinitatis speculatores efficeret .

MINISTERIA IN CIVES.

XLVI. **C**Eterum haud totum Grieræ negotium erat schola . Neque enim magister dumtaxat fuit , sed indefessus etiam animarum ductor , & eorum , qui in dubiis rebus illum adibant , fidus & prudens consiliarius , & Catechista , & Concionator , & collegii nonnumquam Administer . Unum multorum instar erat . Ad pium sodalitium , quod a bona morte dicitur , statis diebus magno audientium fructu verba faciebat . Sollemnis autem jejunii tempore , vel fidei capita , & Christiani hominis officia explicabat , vel declamabat contra vitia , vel cives melioris vitæ præceptis instruebat . Quærebatur etiam sæpe (ut ejus eloquentia nemini non placebat) ad Divorum laudationes in horum celebritatibus .

XLVII. Ad ipsum præterea tantus confiteri volentium concursus fiebat , ut non dubitet dicere , qui sacro huic ministerio operam tum illic dabat , plures e pueris elementariis , & ex adolescentibus litterarum studiosis , & e servitiis Æthiopibus , consueſſe ad Grierau

ram accurrere , quam ad reliquos simul omnes Sacerdotes collegii . Ob notam scilicet affabilitatem , & dulce ingenium , tenera ætas , & misera mancipia , velut ad patrem , consolatoremque suum ad eum ventitabant : accommodabat enim se (salva mysterii dignitate) illorum moribus , & cum pueris quodammodo repuerascebat , & pro nigritarum cultura , modum , quo illi recens advecti ex Africa utuntur in loquendo , sponte balbutiens imitabatur , factus omnia omnibus .

XLVIII. Nec minus expetebatur a viris optimatibus : erantque ex iis , qui non alium sibi conscientie judicem arcersebant : atque ipse urbis prætor , ille tot rebus gestis inclytus Petrus Cevallius , eum sibi ad res animi arbitrum elegit (a) : & quidem vitæ honestate ,

(a) Magnis viris debetur honor vivis , mortuis autem cum honore conjuncta laus ad aliorum exemplum , quod quidem eximie elucet in rebus præclare gestis domi militiæque ab strenuo duce , & vigili moderatore reipublicæ PETRO CEVALLOS , CORTES , y CALDERON : de quo nonnulla hic dicere haud alienum est ab scribente vitam Sigismundi Grieræ , quem ille sibi Christianæ Philosophiæ magistrum , & monitorem pietatis delegit .

Ephemerides Matritenses (*Gazeta de Madrid* 12. Enero 1779.) publice denunciarunt Cevallii mortem , quæ reducem ab America occupavit Cordubæ in Bætica die 26. Dec. an. 1778. Recensentur illic sigillatim gradus , quos militiæ

promeruit. Fuit primum Centurio in bello Italico an. 1739. , & paulo post ob egregia facta renunciatus Tribunus est : atque audi sunt eidem in dies honores maximi . Cooptatus fuit in equestrem Ordinem S. Januarii , & S. Jacobi , quo in ultimo tributa illi est *Commendaria Sagra , y Cenet* . Senator deinde designatus bellici Concilii , supremusque dux armorum in ditione Matritensi , inque Extremadura . Donatus præterea *clavi aurea* ad aulæ penetralia . Primus idem Prorex fluminis Argentei , & regionis Bonaurensis . Imperator regii exercitus (*Capitan General de los reales exercitos* .) Legatus a Carolo III. magnis de rebus Parmam . Cuncta autem , quæ illi credita sunt

te, & amore justitiæ, & integritate, & vigilantia in administranda republica, satis ostendit, quem spiritus ducem sequeretur: ducem, inquam, spiritus: nam Griera rebus se se profanis, & politicis numquam immiscuit, nec cujusquam ad prætorem vota, aut libellos supplices illorum, qui ipsius gratiam, & favorem captabant, deferre sustinuit: cujus rei cives omnes Bonaurense non tantum testes sunt, sed proprio didicere

(& multa fuerunt) insigni in Regem fide, & singulari boni publici studio, suscepit, perfecitque. Hæc illis in Ephemeridibus. Sed multo plura de Cevallii dotibus, & meritis in rem publicam dici potuerunt.

Martinus Dobrizhoffsus, Scriptor Germanus, in illius laudem affert plurima (tom. I. Histor. de Abipponibus, an. 1784. a pag. 37. ad 40.) Accipe ex iis pauca. „ Nobili, ait, apud „ Hispanos genere patrem „ habuit regium Canariis „ in insulis gubernatorem, „ qui cohorta incolas inter „ seditione fortiter pro Rege occubuit. Forma erat „ Cevallos tam liberali, „ tam concinna corporis „ proceritate, ut pulcherrimis, quos vidi uspiam, „ eum adnumerandum putem. Corporis venustatem morum elegantia, „ ac suavitas, mirum quantum auxit, &, perinde „ uti adamas annulum aurum, illustravit. A fa-

„ lu, & furo omni, a su- „ percilio longissime absuit „ semper. Lenitate condire severitatem militarem, „ gravitati, quæ belli imperatorem deceat, comitatem summam, facilitatemque novit adpergere. . . . Vel solus illius „ adspectus amorem, reverentiamque imperavit summis, mediis, intimis. „ Ubi ubi demum versaretur, „ in urbe, in castris, in itinere, probissimi Christiani, præclari ducis, „ integerrimi judicis, &, „ si res ferebat, strenui militis partes implevit. „ Vidisses illum, dum per negotia vacabat, genibus humi nixum, inmotis oculis, ad binas sæpe horas in templo præcationem producere, rarissimo ad circumstantes spectaculo. Otiduum animo meditationibus sacris excolendo quotannis tribuere consuevit. Conjugii per omnem vitam expers ea nitebat inno-

cere experimento, Grieram, quantumvis avide id optarent, nullius eorum domum subisse, nisi causa cogeret divinæ gloriæ, aut animarum salutis.

XLIX. Notus ille omnibus ab hoc puro studio homines servandi ad extremum instantis mortis auxilium undique evocabatur. Navarchus, qui illum ex Europa advexit, Josephus Carvallius de Pereira, decennio post (cum negotii causa Bonasauras venisset) in le-
talem

centia, morumque integritate, ut ne Momus quidem, etsi Argus, totusque oculus esset, quod carperet in illo, detexisset. Istius sane exemplo patuit, pietatem militiæ neutiquam repugnare, quin potius aliam ab alia mirifice juvari, ornarique. Suis in castris religionis contemptores, averfatus semper, ac omni virium contentione insectatus, qui, nulla conscientiæ ratione habita, in omnes turpitudines licentissime effusi militiam malitiæ officinam putant, ubi ille optimus, qui pessimus. Illustres victorias, quas plaudente Hispania Hispanus hic heros de Lusitanis reportaverat, non fortunæ, sed egregiæ illius pietati tribuendas jure existimavimus, Superis cœpta ejus quotidie fortunantibus, suppliantibus, que interdum copiarum paucitatem. Singulari re-

rum divinarum studio virtutes militares, quotquot sunt, pulcherrimo vinculo conjunxit, quas in Ducibus singulis optamus, in paucissimis deprehendimus. Acerrimo ingenio, judicio sagaci, animo ad quidquid audendum expedito, diligentia diu noctuque invicta, longa belli experientia, integerrima in patriam patriæque principem fide, si quisquam alter, plurimum excelluit,.... Ut armis vincere sic verbis persuadere assuetus, calumnam perinde ac gladium pari semper dextertate tractavit. Extra controversiam est, vel Anglis, Lusitanisque testibus, illum rei militaris scientiam penitus omni ex parte calluisse. Neque adversis rebus terri umquam, nec secundis inflari, minus victoriis ad crudelitatem commitari poterat, sui semper similis. Militem ad

talem morbum incidit. Memor tum quantant in ve-
 ctore suo Grieram virtutem, & morum suavitatem vidif-
 set, ad se vocavit, & morienti sibi adesse voluit: ne-
 que ille optimo viro, bene de se aliisque merito, ul-
 la in re defuit; & consolatus est, & expiavit sacris
 mysteriis, & ad mortem usque præsentem ei opem tulit,
 & iter (ut sperare licet) in coelum aperuit. Illud ve-
 ro hic mirandum est, Grieram, fracta semper usum
 valetudine, tot simul rebus parem fuisse, neque ob-
 rutum aliquando mole ipsa susceptorum laborum.

DE.

„ nutus omnes sibi morige-
 „ rum ut experiretur, bene-
 „ volentia, præclarisque e-
 „ xemplis sibi devincire co-
 „ nabatur. Atque hanc ego
 „ causam fuisse existimo,
 „ cur exiguis semper copiis
 „ res multas, magnasque
 „ feliciter gesserit. Haud
 „ satis illi fuerat imperare
 „ facienda, num quæ im-
 „ peravit, rite facta essent,
 „ ipse coram inspicere so-
 „ lebat.... Concubia no-
 „ æ, aperto in campo,
 „ sparsos remotis in statio-
 „ nibus excubitores equites
 „ eques ipse lustravit iden-
 „ tidem, somni vel imme-
 „ mor, vel, ut ceterarum
 „ deliciarum, insignis con-
 „ temptor. Ducis vigilan-
 „ tiam, obedientiamque mi-
 „ litis præsidium esse tutif-
 „ simum exercitus, ac vi-
 „ ctuarum matrem dicti-
 „ tabat &c. „

Hæc affert & plura alia,
 & omnia quidem vere, de
 Cevallio Germanus ille au-

ctor, plane disertus, quæ
 ego (relectis quibusdam ne
 longior essem) libens ex-
 scripsi, non solum ut con-
 stet, qualis fuerit Heros is,
 in spiritualibus rebus cliens
 Grieræ, sed quia cum laus
 ista ab extero Sacerdote ul-
 tro data Cevallio sit, plus
 approbationis apud æquos
 rerum æstimatores habitura
 est. Verum, quod pace Do-
 brizhoffii dixerim, ad di-
 gne laudandum Hispanum
 hunc ducem opus foret Plinio illo, & Latino Pacato
 laudatoribus Nervæ Traja-
 ni, & Theodosii Magni,
 quos Romano Imperio His-
 pania peperit, educavitque.

Equidem de præstantissi-
 mo viro isto pronuntiandum
 sic censeo, decerni satis non
 posse excellueritne magis vir-
 tute, & prudentia bellica,
 quam pacis recta administra-
 tione, & solida pietate.
 Ab equestribus S. Januarii,
 & S. Jacobi Ordinibus, non
 honoris, & dignitatis tan-

DESIGNATUR SOCIUS ET COMES
PROVINCIALIS.

REnunciatus fuerat , post obitum Peruvium piis ministeriis , moderator provinciæ Paraguayæ Emmanuel de Vergara. Is , cui dudum notæ erant doctes , & virtus Grieræ , socium sibi eum , & collegam ab epistolis delegit. Quapropter , magno sui Bonifauris

tum gradus habuit , sed perpetuum incitamentum hausit ad vitam instituendam sacro dignam Equite. Operæ vero pretium erit hic dicere , quid ille in castris faceret , ut fiat inde conjectura , quantum in urbe (ubi minus turbarum erat) studuerit officiis Christianæ sanctitatis frequenti usu mysteriorum pœnitentiæ , & Eucharistiæ , assiduæque exercitatione æqui , atque honesti .

Sub auroram sacro Missæ intererat , nec militari tabernaculo egrediebatur , priusquam suppliciter sibi Numen propitiasset . Egressus autem non eo redibat nisi ad solis ferme , occasum . Moræ erat causa , quod per se ipse obiret omnia , æstus , & sitis , & famis patiens , & laboris , cuius haud majorem partem imponebat militi , quam sibimet sumpserat . Vir fuit tenax rigidæ illius veteris disciplinæ , & qui

oderat unguento delibutos , & calamistratos , & delictulos Martis alumnos , quibus pulchra , & venusta arma voluptati sunt , non stimulo cupiditatis ad victoriam , & decus bellicum . Nam quid hi agent , agebat , inter tormentorum fulmina , & stridentes pilas , & stridentes enses ?

Propere (fugiente jam die) capto cibo , revertebatur rursus ad belli munia ad multam noctem . Quietipaucas dabat horas , idque ocreatus , quo citius somnum abrumperet , accurreretque , siquo opus esset . Neque vero indulgebat corpori , quin animo prius consulisset , vacans aliquamdiu pii aliqujus libri lectioni , atque exigens abs se rationem eorum , quæ eo die egerat , jusseratque . Hæc illi vitæ ratio fuit , dum obsidioni Coloniz instabat , quæ mensem circiter tenuit , eaque tandem expugnata , non si-

ris relicto desiderio, Cordubam, ubi Vergara tum erat, profectus est, ibique in commissam sibi curam diligenter, & sedulo incubuit: nec diu post comitatus est euntem ad lustranda oppida Guaraniarum. Vix autem eo pervenire, tantus Grieram amor cepit, & admiratio, stabiliti ibi ordinis, ut optarit, simul ac perfectus fuisset munere, quod gerebat, vitam perpetuo inter Indos ponere, quos Sacerdotii functionibus institueret, excoleretque. Sed votis his frustratus brevi fuit.

LI.

bi modestus dux successum attribuit, sed singulari beneficio Dei, cujus opem & per se ipse, & per alios implorarat. Et mirabimur, si omnia ei fuisse evenerint feliciterque? Tot illi nimirum in America partæ victoriæ, quot bella suscepta, neque ullos vidit hostes, quos non vicerit: testes Lusitani, testes Lusitanorum auxiliarii Angli. Quippe habuit Cevallius, præter religionem, ceteris dotibus anteposendam, quattuor illa, quæ in summo Imperatore requirit Tullius, scientiam rei militaris, auctoritatem, felicitatem, virtutem, atque hujus administras, & comites, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, cautionem in providendo.

Ea autem erat altitudine animi, ut simul daret operam Coloniarum oppugnandarum (quamquam tum maxime

quartana affectus febre, & ob vultus maciem mortuo similior quam vivo) ac regendæ missis tabellariis Bonanrensi præturæ, quæ latissime patet: diceret labore eum refici, recrearique. Et tamen cum tot, & tanta negotia sustineret solus, eam præferebat tranquillitatem, & tam sedato pectore cuncta circumspiciebat, & parabat, ac si nihil ageret. Huc pertinet illa in scribendo elegans gravitas, & gravis elegantia, qua, vel si plurima undique tubis, & buccinis perstreperent, sensa sua litteris mandabat nitide, & perspicue, referens hac in re, ut in ordinanda. scienter acie, Julium Cæsarem tollentem illum, & eloquentem Imperatorem.

Nec plura Cevallius sago sumpto inter legiones egit, quam resumpta toga in urbe. Bonafanras, caput præturæ, moribus, legibus,

LI. Allatis rumoribus intellectum est de jussu exilio interceptisque jam Sociis, & occupatis rebus collegiorum. Qui dolor Grieræ tum fuerit, explicari nequit verbis. Tenero erat animo, inque miseros homines, Indorumque gentem propenso: id satis est, ut quivis intelligat, quantum tam inopina forte consternatus sit. Annus autem ille, quo toto post edictam in media provincia legem exilii, vacuataque habitatoribus ædes Jesuitarum, prætor Bucarelius præfectum Provinciale, Curionesque (quantumvis ipsis ultro missio-

ædificiis ornavit, provexitque ad maximum decus, mutato prætorio in aulam Proregis; meritoque qui ad id honoris civitati viam munierat, a Rege jussus est honorem primus obire, primus Prorex, & auctor, conditorque institutionum novæ dignitatis. Jus summis juxta atque infimis reddidit, quavis hora facilis aditu, qui solis feminis obstructior erat, haud enim quampiam earum prius admittebat, quam aliquis ex apparitoribus coram esset, qui, non auditis, secreto quibus opus foret, colloquentes posset cernere.

Ab accipiendis muneribus alienissimus fuit, *contentus stipendiis suis* ex Joannis ad milites præcepto. Militaris autem gentis (quod silentio prætereundum haud est) animos sibi devinxit affabilitate, & innocentia viræ, & moderatione, & justo imperio, & vigilantia, & severitate humani-

tati mista, & communicatione laborum; non inerti indulgentia, & remissione disciplinæ, quæ & duci, & exercitui noxia est. Idem Indos, qui Americanis præfectis esse curæ singulari debent, & amavit, & fovit, & eorum bonis consuluit, atque insigni benevolentia in Mocovios Christianos ostensa, effecit, ut qui ex illorum natione adhuc in Chaco vagabantur, Hispano nomini terribiles, conderent oppidum S. Petri, quod coaluit brevi, & mire crevit, ut alibi diximus.

Jam vero ob vigilem curam boni publici, ob rectam bellicæ, & urbanæ rei administrationem, ob perpetuum amorem tuendi regii obsequii contemptis vitæ periculis (patris instar, prætoris fidelissimi, qui apud Canarios pro credito munere tumultuanti plebi obsistens occubuit) ob restitutam prætorum ducum inter arma

missionem poscentibus , urgentibusque legatum nimis morantem) apud Guaranos detinuit, acerbissimus Griera fuit , nec cohibere idem lacrimas poterat lacrimantes videns Indos , videns moerentem Vergaram , quem cum amaret patris instar , ejus ægritudine , & angore conficiebatur vicissim , ut nihil jam illum delectarent nec docti libri , neque aliorum congressus , neque ordo ille optimus , a quo abstrahendus erat invitus .

LII. Adfuit tandem post tot tristis moræ menses dicta profectio die : neque operæ hic pretium est ea

gloriam , ob has , aliasque res gestas , carissimus fuit Ferdinando VI. , & Carolo III. , & Carolo nunc IV. , qui tum Princeps Asturum erat , regni heres . Age vero , tot clarus meritis non habuit obrectatores Cevallius , & æmulos ? Habuisse eos dicitur a Dobrizhoffio , idque ego facile credidero : quis enim Heroum illos non habuit ?

Bis in America fuit cum imperio , & bis illic æterna reliquit monumenta , quæ posteri admirentur , militaris , & civilis laudis . In Maldonati portum deduxit coloniam , quæ jam nunc privilegiis civitatum gaudet . Præter emporium illud Argentineo impositum flumini (quo exteræ merces coacervabantur , spargendæ furtim) captum eversumque , aliis etiam castris Lusitanos exuit , & victor D. Catharinæ insulam occupavit .

Redux in Europam , cum fuisset morbo oppressus iter ad Regem agens , secessit Cordubæ in cœnobion Capuccinorum , ut qui pie vixerat , pie inter religiosissimos patres moreretur . Ad extremum talis Petrus Cevallius fuit , ut abunde ostenderit , exercituum Imperatores , urbiumque præsides , posse & debere reddere *Cæsari , quæ Cæsaris sunt , & Deo , quæ Dei sunt* . Id veros Heroas efficit , non impia secta quorundam sæculi nostri philosophorum , qui illam ipsam Cevallii pietatem , & religionem , imbecillitatem animi , & superstitionem vocabunt . At vo-cent (licet) dummodo fateantur æqualem summo isti viro nondum se se ullum effinxisse vanis ineptiis , cavillationibusque suis sacri-legis . Neque vero talem ut effingant , sperandum est , ii , qui nati sunt non modera-

ea repetere, quæ alibi diximus, de gravi itinere per Uruguayum amnem ad prætoriam urbem. Descendit lembo Grieræ Bonasauras, inclususque est domo illa, ubi cives excoli erant soliti sacris meditationibus, maximo bono publico. Atque hic licuit cernere, quam sit varia, volubilisque rerum humanarum ratio. Grieræ, qui sub initia anni superioris tanti fiebat a magistratu urbis, a proceribus, a populo, a discipulis, a clientibus spiritualibus; Grieræ, qui tanto omnium plausu in templo audiebatur, tamque avide expetebatur ad ægrotantium, morientiumque, & carcere de-

S

tento-

toribus reipublicæ bonis instituendis, sed ut eos, qui ipsis stulte credunt, exleges reddant, & patriæ proditores, & perturbatores recti ordinis, & rebelles lumini, & corruptores juventutis, & perniciem labemque urbium, & pestes provinciarum, & culturæ Europæ vastatores, osoresque religionis, & legum. Homines hujusmodi

execratus semper Prorex (*) Cevallius est, maturi vir iudicii, quique aurum a prætri gleba, & pretiosum a vili discernere, & separare probe norat. Atque hæc summa doctrinæ est, quam ille accepit a Grieræ, ut contra Dei, & Regis, & boni publici hostes perpetuum certamen gereret.

(*) Prætermittere hic non licet quod cumulum addit laudibus Cevallii. Carolus Rex III. in diplomate, quo Cevallium primum Proregem fluminis Argentei, ditiorisque Bonasauris &c. creavit, tot erga eum significationes amoris, ac benevolentiae, tantamque commendationem de illius dotibus, rebusque posuit, ut gratius, amantiusque loqui de filio pater vix possit. Verba regii diplomatis lubens redderem: sed qui Bo-

nasauris de hac re scripsit, contentus generatim ea dicere, singula non expressit deses nimium homo.

Quod si cui hoc elogium, Cevallio a me tributum, videbitur nimis longum, id unum ei respondero; utinam ejusmodi virorum fortium, atque innocentium, copiam tantam haberemus, ut in illis laudandis, non mea tantum, sed plurium, me ingeniosorum, industria versari posset.

centorum consolationem, & auxilium; Grieria idem a civium nunc procul oculis, arcano in secessu latet, filet, fervaturque a militibus. Huccine plausus, huccine favor hominum recidit! Et quamvis mutata erga eum Bonaurensium voluntas non fuerat, pergerentque enixe amare bene de ipsis meritum, tamen vel ab amicissimis, idque maxime optantibus, adiri non poterat severi metu prætoris.

LIII. Ille autem divinum veneratus super se iudicium, æquo animo ferebat omnia, ac socios duri casus ad patientiam religiosis dignam viris excitabat. Ceterum ut illuc detrusorum magnus erat numerus, & copia cubiculorum non magna, habitabant simul bini, ternive. Unus fuit adjutor laicus, quocum vivere alii recusabant, stertebat enim ita alte molesteque, ut capere somnum contubernales non sineret. Atqui hunc sibi optavit consortem cellæ Grieria, maximo utique suo malo, vix enim claudere fas illi erat oculos, simul ac ille immane stridere cœperat. Fastidio huic, cui de nocte mederi non poterat, sic interdium Grieria medebatur: dum bonus ille a prandio victus æstu (æstivi erant menses) toto pectore proflabat somnum, ipse spatiabatur in ambulacro.

LIV. Tali tempore cum forte eum ibi reperisset quidam, interrogavit, cur non iret pomeridianæ indultum quieti? Grieria omnia alia respondit, & veram celavit causam. Ille abiens intellexit demum, quæsito verborum circuitu, impositum sibi. Redit ad Grieriam, & heus tu, scio, ait, cur dormitum non eas: terret te follis ille horrendum flans: jam ego hinc ibo ad præfectum nostrum, qui intolerabili onere te vel nolentem eximat. Precari, obsecrare Grieria ne faceret: fecit tamen ille; & Vergara secum reputans, si cum interpellatore illo somni habitare pergeret Grieria, magno id detrimento valetudinis, alioquin debilis, factum iri; iussit eum alio migrare. Tum Grieria, cui nihil antiquius erat obedientia, cubiculum illud reliquit.

RENAVIGAT IN EUROPAM.

LV. **C**ommeatu jam imposito in navigia , devectura Guaranicos Socios in Europam , Vergara , cui Bucarelius potestatem fecerat nominandi , qui quaque in navi irent , voluit Grieram secum habere , erat enim ipsi consolationi maximæ. Qualis autem Grieræ fuerat , cum ex Europa in Americam trajecit , talis fuit , cum ex America in Europam renavigavit , cunctis amabilis , & cavens studiose , necui esset tædio molestiæque : neque enim exilii fors ejus mores , aut animum mutarat , sed ampliorem dedit materiam exercendi virtutes illas , quibus inter prospera minor locus est. Eluxit tum quidem magis constantia illius , & fortitudo , & patientia , & commiseratio singularis , qua *flebat cum flentibus*.

LVI. Quidam ex amicis Bonaurensibus curarat tradi Grieræ in usum navigationis grandem capsam conditorum seminum , ex quibus potio fit recreans membra , cum æstu ardent. Grieræ , accepto benigne dono , visæ sunt nimix deliciae , si , cum alii brevi mensura aquæ , quæ in capita dividebatur , calorem , & sitim tolerabant , ipse sibi blandiretur dulcibus illis , & frigidis succis. Vocat adiutorem , & cape hanc capsam , ait , & tecum habe , ex eaque , quamdiu erit quod des , da ægris , & senibus , & ceteris etiam interdum pro tua prudentia : neque aliter factum est. Qui nunquam experti sunt , quantum istiusmodi liquor in tropicis , & Zonæ flagrantis plaga , a sitibundis appetatur , haud facile animo concipiet , quam generosi fuerit animi , victorisque sui , fraudare se se re omnium optatissima : fraudare , inquam , nam qui dispensator muneris hujus fuit , dubito , ait , an vel semel parata illa portione usus sit largitor ipse Grieræ . Ita illi potius sociorum levamen erat , quam suum.

LVII. Inter hæc quadrimestri circiter cursu ap-
pulsæ est navis ad sinum Gaditanum . Grieræ cum aliis deportatus est in coenobion , quod habent PP. Augustiniani in urbe S. Mariæ . Placide hic tranquilleque habitavit , cum omnia non solum ad honestum

viſtum, id Præſide domus enixe procurante, ſed etiam ad alendam pietatem ſuppeterent, templum videlicet, & conſuetudo religioſorum patrum, qui nihil officiorum in hoſpites ſuos prætermiſerunt: quod tamen non valuit, ne male habere cœperit Vergara præfectus Provincialis, cui ægritudo animi, Sociorum vicem dolentis, redundarat in corpus.

LVIII. Ut autem is (quod ſuo loco diximus) acceptus apprime erat curatoribus regiis, horum beneficiſ ad inſigne monaſterium, quod Carthuſiani habent in agro Xereziano ſeceſſit, ſequentem eum Grieram, qui (quando in aliorum bonum, ut ſolitus fuerat, operam dare non poterat ſacris miniſteriis) libenter reliquum vitæ tempus inter venerabiles illos monachos poſuiſſet. Solitudo, pium ſilentium, dulce commercium (ubi loqui fas erat) cum aſceticis illis ſenibus, aſſidua exempla virtutum, quæ coram erant, ampla, & gravis ædes ſacra, a profanis turbis ſemota, lætium, exultantemque Grieram retinuiſſent: verum his omnibus renunciare illum coegit ingraveſcens morbus Vergaræ, quem abeuntem comitari oportuit, ne umquam a tam caro, & ſancto patre diſcederet.

LIX. Reverterunt igitur in urbem Auguſtiniarum cœnobion: atque hic tandem accepit Grieram acerbiffimum omnium vulnus: Vergaram amiſit, pie illum quidem & religioſe mortuum; ſed qui ob id ipſum de ſe majus, quò major jaſtura fuit, deſiderium reliquit. Grieram autem, cum Socii omnes certatim præfecto ſuo decumbenti adeſſent, ſiqua eum malorum parte levarent, a nullo ſe vinci paſſus eſt, frequentiorque ceteris ſtetit ad lectum, quippe qui a conſeſſionibus erat ei jamdudum: ac proinde exercitationes virtutum tali convenientes tempori (tameſi ille nec monitore, nec impulſore egeret) idemtidem volenti ſuggeſſit.

NAVIGAT IN ITALIAM ET MORITUR.

LX. **M**Anebat Grieram, & Socios Guaranicos navigatio ultima in Italiam. Ut inſtructiores huc venirent, juſſi ſunt ſinguli indicem edere indumentorum, qui-

quibus indigebant. Griera respondit, nulla sibi quidem re opus esse, ea, ajens, quæ habebat, satis fore ad tegendum virum religiosum, & exulem: atque in hac sententia de non scribendo indice perstabat. Socii afferebant multa, ut ab eo illum consilio dimoverent: suppeditari illa mandato Principis, cujus erat voluntas, ut dimissi ab Hispania decenti habitu in Italiam deveherentur: quo si seminudi, vel male amicti trajicerent, id in liberalissimi Regis injuriam redundaturum: ac præterea nesciri, quid futuri casus allaturi forent, ne nimium ipse confideret arcto com-
meatui. His victus rationibus Griera petiit demum quædam, quibus datis, navim conscendit.

LXI. Expositus in litus Ligusticum per Etruriæ regionem in Æmiliam venit. Ex itinere Florentiam ingressus, cum tot digna visu illic sint, unum ipse rebus omnibus antetulit, venerari scilicet coram Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virginis sanctissimæ, ex-
pers labis corpus, tantæ olim domicilium animæ. Sacrificavit in templo, ubi illud magna religione adser-
vatur: idque ingentis beneficii loco habuit: neque aliud audire me memini a Griera, quicum deinde diu vixi, ex eximiis monumentis, quæ in pulcherri-
ma urbe peregrinorum oculos cum admiratione de-
tinent.

LXII. Viæ finis Faventia fuit, ubi maxima So-
ciorum provinciæ Paraguayæ pars constiterat. Qui Vergaræ successit moderatoris munere, in conductas domos justum numerum Sacerdotum, laicorumque in-
duxit, ut, quoad ejus fieri posset, retineretur, quæ fuerat in collegiis, disciplina religiosa. Iis autem, qui, absolutis jam studiis litterarum, tertium de more Societatis probandi erant, quæsitæ fuit amplior ædes, cujus designatus est Rector Petrus Martinez, magni vir meriti, qui latissimos urbis Cordubæ Tucumano-
rum fines, non intermissis sacris excursionibus, vi-
ginti quinque annorum spatio excoluit ingenti labore, & pari animorum fructu.

LXIII. Huic Rectori datus collega est Griera, ut novos illos Sacerdotes ad exercenda Instituti ministe-
ria, si exercendorum rediret tempus (quod non re-
diit) institueret. Pro hoc munere id ille egit maxi-
me,

me , ut eis inspiraret solidarum amorem virtutum , quibus idonea instrumenta ad procurandam aliorum salutem efficerentur . Explicabat ipsis modum , quo tractandi proximorum animi sunt , ut nec nimia austeritate absterreantur a ferendo Christi *jugo suavi* , neque e contrario ab *intranda angusta porta* , terendaque *arcta via* , *quæ ducit ad vitam* , facilitate nimia , atque indulgenti remissione , retrahantur : alterum enim nocet resipiscere volentibus ; alterum gravi est obici ententibus ad severitatem , & perfectionem virtutis Christianæ . Utrumque autem hoc confirmabat appositis exemplis : sed tamen norma illius vitæ , & agendi ratio magis alumnos sibi creditos movebant , quam institutiones ipsæ , doctæ quamvis , & ad usum accommodatæ .

LXIV. His rebus intentus erat , cum Clemens XIV. Pontif. Max. an. MDCCLXXIII. Societatem dissolvit , jussitque sæcularium more clericorum sibi quemque consulere . Exin Griera , tanto perculsus casu , vitam privatam ita vixit , ut minime abhorreret a sanctitate morum , quam hætenus sectatus fuerat . Habitare solus non sustinuit , habuitque secum perpetuo e priscis sociis , qui adjumento essent ei pro rebus necessariis . Ipse solutus molestis curis *attendebat sibi* , & *doctrinæ* , sibi quidem exercitatione virtutum , quibus assueverat ; doctrinæ autem librorum studio , quod in Sacerdote virtus etiam est , eo enim & spiritum ornat suum , & otium vitat , & parat ea , quæ se consulentibus apte respondeat .

LXV. In hanc rem coegit ille sibi Interpretes Sacræ Scripturæ , & Asceticos magistros , & auctores Theologos , & explanatores juris Canonici , moralisque disciplinæ , quibus omnibus multum dabat temporis , vix agens vel cum domesticis , præter breve & honestum colloquium a prandio , & a cœna . Foras prodeunti alia animi oblectatio non erat , præterquam adire templa ad adorandam Eucharistiam , salutandasque Divorum imagines ; atque invisere deinde ægrotos , quos recreabat amœnis sermonibus .

LXVI. Sacrificabat autem quotidie , & Sacrificio præmittebat horam meditationis rerum cœlestium : neque omisit umquam lectionem spiritualem statotempore ,

piore, & crebra conscientiae examina, sine quibus vix stabilis virtus ulla est. Hac vitae ratione inter assiduas corporis aegritudines aetatem languens egit ad initium usque Decembr. an. MDCCLXXXIX. Postridie Kal. hujus mensis cum se ad litandum pararet, disfluxere intestina, qui morbus illi frequens. Cum usitata remedia nihil proficerent, vocatus Chirurgus venam intrepide aperuit; idque eum juverat anno superiore, sed tum prorsus enecuit.

LXVII. Quippe post emissum sanguinem multo pejus habuit, perseveravitque eruptio, & crevit dolor, & dolori supervenit vomitus. Expiavit se ille Sacramento poenitentiae; sed cum frequenter vomeret, donari non potuit divino Viatico. Sub noctem inter maximos cruciatus sacro unctus est oleo. Ventum erat ad extrema; & diceres D. Xaverium optimo clienti obitum quodammodo accelerasse, ut suo eum ad se die evocaret, post meridiem enim sacrae ei lucis pie sancteque mortuus est Grier, cum pridie aegrotare coepisset.

GRIERÆ VIRTUTES HUMILITAS ET PAUPERTAS.

LXVIII. **P**Auca hic e multis reddam. Humilitas singularis in Grier a fuit. Propriae laudis, cum plurima laudanda fecerit, verbum illi numquam excidit. Ubi Bonisauris nunciata est mors dignissimæ Caroli III. conjugis MARIE AMALIÆ, magistratus urbis apparatu maximo, ut par erat, optimæ Reginae parentare decrevit. Actum est in Senatu de diligendo laudatore: pars Canonicum quemdam, pars Grieram, pars volebat Franciscum Xaverium Mirandam, & pro hoc tandem conditum decretum est.

LXIX. Id ut rescitum est in collegio, ivit Grier gratulatum Xaverio, interque gratulandum, novi, inquit, fuisse e Senatoribus, qui me poscerent: sed factum bene, quod in te plures inclinarint: nullus enim admitti major a senatu error poterat, quam si mihi, cuncta corrupturo, credita isthæc laudatio fuisset. Immo vero tibi, respondit ille, committenda fuit,

fuit, noto, & jam experto Oratori; non mihi, qui nuper apparere publice coepi. Iterum ad hæc Grieræ: ne dubita: aptior me es, ac de magnæ Reginæ laudibus ingeniosiora, & meliora dices tu vel somnians, quam ego vel vigilans. Id ille ingenue & demisse, nec minus pulchre & argute, allusit enim ad docta Mirandæ somnia, quæ tum maxime celebrabantur in provincia.

LXX. Cum ad proponendas totius Theologiæ theses compositus fuisset (ut dictum est) cum Joachimo de la Torre, honoratius tempus earum propugnandarum sortito obtigerat Grieræ. Habenda erant eo anno MDCCL. comitia provinciæ pro delectu procuratorum generalium, qui Matritum ad Regem, Romam ad Præpositum Generalem Societatis irent pro petendo Sociorum supplemento. Grieræ autem sortis prærogativa debebatur, ut coram illo senum patrum conventu doctrinæ suæ specimen daret. Erant, qui honorem istum, qualiscumque esset, optabant tribui Joachimo, id ipso acriter recusante. Atque illi quidem recte, futurum enim istud erat gratissimum non solum optimis parentibus Joachimi, & nobilibus consanguineis, sed civibus etiam omnibus, qui familiam de republica bene meritam plurimi faciebant.

LXXI. Arcersit igitur collegii Rector Grieram, & sunt, ait, qui avent Joachimum in comitiis provinciæ certamen suum de Theologia subire: hunc locum tibi fors dedit, Sigismunde, neque ego invitum te illo movebo: quid, quæso, fiet eorum votis, qui aliud vellent? Tum Grieræ: Joachimus, ait, & quod me melius certabit, & quod civibus id erit gratius, ad comitia reservetur. Atque ego quidem gratias ago iis, qui hoc optant, maturius enim propositis thesibus, expediar Scholæ negotiis, ac citius potero proximorum ministeriis vacare. Itaque locus ille dignior Joachimo relictus est, Grieræ gaudente, & plaudente. Hæc aliquis fortasse parva reputet: sed enim cum de honore, & de ingenii laude agitur, vel res minima (nisi quis vere humilis est) maxima videretur etiam ipsis aliquando adolescentibus religiosis, quos nequaquam decet.

LXXII.

LXXII. Grieræ gloriam inanem, & popularem auram fugere familiare semper fuit. Doctus erat, & eruditus, sed doctrinam, eruditionemque, nisi palam ejus efferendi necessitas, aut rectus usus esset, celabat. Emmanuel de Azevedo, tot ille editis libris notus, cum quondam Faventia iter ageret, Grieram invisit. In sermonem (ut fit cum præstantes ingenio viri conveniunt) varia rei litterariæ capita inciderunt. Quam scite, & apposite de omnibus pronunciarit Grieræ, aperuit deinde Azevedius ipse: nam cum e sociis quemdam offendisset, ultro dixit: visus est mihi vester iste Grieræ homo cultus admodum, & plane sapiens. Atqui Grieræ de se secus sentiens vilescerebat sibi ipsi.

LXXIII. Altrix humilitatis est paupertas voluntaria: hæc singularis quoque in Grieræ fuit, sive vestes, sive victum, sive cetera utensilia ejus spectes. Occupatissimus tot rerum actione Bonisauris nullum admisit, qui cubiculum verreret, aut propius in rebus necessariis ministraret, pauper enim famulos non habet. Vocatus ad triclinium manducabat, quæ apponebantur, proposita sibi summi largitoris liberalitate, qui servos suos pascit. Sin autem vitio coqui pravus, aut semicrudus, aut insulsus erat cibus, nihil querebatur, contempto etiam salis, olei, acetii condimento. Ad adversaria, in qua conjiceret vel pro scholis prælegenda, vel dicenda pro templo, utebatur litterarum margine, seu earum frontibus, ubi quid puræ chartæ erat, parcens in hanc rem meliori ad scribendum generi, quod communiter dabatur Sociis.

LXXIV. Mittebantur illi quidem aliquoties a gratis civibus quædam munuscula, quibus suam erga eum, quem eximie diligebant, benevolentiam significarent, puta triti tabaci vas, linteola, & quædam hujusmodi, quæ ille, ne qui miserant contemni se arbitrentur, remittere honeste non poterat: sed tamen accepta statim aliis dividebat. Il. Cajetanus Agramont Antistes ob præclaram educationem, qua (ut supra docuimus) familiares sibi caros instituebat, & ob aliud, nescio quid, præstitæ operæ ex ipsius jussu, misit ad Grieram munus mittente dignum. Sed quod paulo majus esset, causa fuit, cur illud recusaret, ut

ge-

geretque summopere afferentem ut Episcopo redderet. Agramontius, qui per se munificus erat, atque ut pauperibus, viduis, egentibus virginibus, viris religiosis daret, nihil sibi reservabat, gravissime-repulsam tulisset. Quocirca Rector collegii, re cognita, optimi præsulis cavens offensione, iussit Grieram alata accipere: paruit ille: verum ex ejusdem Rectoris venia, protinus ea alteri tradidit, usuro in pium opus, quod curabat.

LXXV. Amictus illi sine sordibus (munditiem enim, quæ laudabilis est, amabat) sed idem sine quæsito nitore. Post casum Societatis talari semper tunica usus est nec optima, nec pessima. Venturus erat eo tempore Genuam filius sororis, qui optabat quammaxime avunculum salutare. Is ut probum adolescentem consolaretur, decrevit eo ire. Persuasit tum quidam, ut sibi binas vestes breviores faceret unam e panno, alteram e stamine subtiliore: id multo expeditius, & commodius viatori fore. Sed ecce tibi, admonetur Grieræ ante susceptum iter, adolescentem illum gravi ex causâ omisisse consilium Genuæ adeundæ. Quid faceret de vestibus brevioribus avunculus? Eas in arcam abdidit: animadvertens autem postea corrumpi a tineis coeptas, rem amico aperuit: atque is, facile, inquit, remedium est: illis utere, quemadmodum urbani Sacerdotes faciunt. Non faciam, respondit Grieræ, video enim nunc e meliore illas esse materia, quam quæ mihi conveniat, qui Deo paupertatem vovi. Ad extremum, ne male perirent, eas, cum numquam induisset, abs se penitus rejecit.

CASTITAS EXIMIA.

LXXVI. **D**icturus de insigni castitate Grieræ, utar primum verbis gravis Sacerdotis, qui & in Europa, & in America diu cum illo fuit: is ad me ita scripsit: librum de Angelis si elucubres, tum cuncta complecteris, quæ de Angelico Grieræ dici possunt. Fuit ille ingenio, & moribus dulcis, ac comis, & sibi semper constans, & deditus rebus spiritualibus, atque

atque eminens virtute. Venerati eum sumus omnes ob indefessum zelum salutis proximorum, ob mortificationem, qua in se austerus erat, ob perfectioris vitæ studium, quod in scrupulos nonnumquam abiit, ob tolerantiam ægritudinum, quas patienter ferendo occultabat. Hic fuit illi agendi modus terra marique, ex quo Olyssippone inter nos nosse cœpimus. Hæc ille.

LXXVII. Sacerdos alius, qui diutissime item cum Griera vixit, ejusque confessiones aliquando excepit; constantissimus, ait, tenor vitæ illius Angelicæ, & amor religiosæ disciplinæ, & zelus Apostolicus, noti manifestique fuerunt omnibus domi, forisque. Id ille generatim; deinde speciatim addit: meo quidem judicio Griera tam illibatus corpore e terra discessit, quam integer, & purus a baptismo exierat: tum pro illius virgineo candore argumenta quædam affert, quæ sunt hæc: instituta a puero innocens, atque expers omnis labis vita: cultus tener, atque eximius in Virginem MARIAM, *quæ pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem patrocini-
nio suo* (ut Virgines hortatur Chrysostomus) *ei conservaret*, & conservavit certe: conjunctio illa intima, & familiaris cum Deo, qui cui sapit, ei *desideria carnis* non sapiunt: fuga ab omni vel remotissima vitii occasione: asperitas, *qua corpus suum in servitutem redigebat*: cautio in agendo cum feminis, quas numquam, nisi necessitas boni alicujus postularet, adloquebatur, & tum quidem breviter, oculisque humi defixis: sensuum omnium severa custodia: virginalis illa denique verecundia, qua amorem pudicitiae aspicientibus inspirabat.

LXXVIII. His, quæ testis iste locuples, vera & certa de Griera narrat, duo nos addemus, quæ ad ejusdem circumspeditionem attinent, Sub noctem quondam e mediâ ædis contignatione, ubi habitabat, audire sibi visus est vocem feminæ infra loquentis. Dedit eam id horæ domi versari. Verum ut de probata contubernalium virtute suspicari quid mali nefas ducebat, siluit, & paulo post larva illa egressa foras est. Postridie temperare sibi Griera non potuit, quin quæreretur, quæ fuisset femina illa. Socius, a quo id
roga-

rogabat, nescio, ait, quam dicis feminam. Ea, inquit, quæ heri primis in tenebris alte loquebatur. Nunc intelligo, respondit. Femina illa, non erat femina, sed vir. Nosti Curionem campestre uti amicitia contubernalis nostri: venit is Faventiam, & salutare voluit amicum suum eo tempore, inductoque læto sermone plaudebat, vociferabaturque, ut solet. Vox ei feminea est, atque a voce fecisti tu e viro feminam. Gavissus est, his auditis, Griera errasse se, & ostium non alii patuisse, quam Sacerdoti illi.

LXXIX. Voluit olim largiorem eleemosynam dare (in obvios mendicos erat insigniter liberalis) trium aureorum paulo amplius. Anceps erat, cui daret: sed cum audisset geminas esse viduas egentes, & alteri earum filiam unam, has elegit, ut simul inopiæ ipsarum consuleret, & pudicitiae: per alium tamen aureos misit, qui ex æquo singulis divideret, non indicato mittentis nomine: usque adeo timebat, ne, vel cum bene faceret, ex aditis visisque feminis sibi faceret male.

LXXX. Præter cautionem istam, defendendo magis ac magis lilio castitatis sepe circumdedit & spinas, adhibuit nimirum corporis cruciatus. Quam vero durus in se fuerit, hinc argue. Bonisauris in superiore parte templi, quod Jesuitarum fuit, multi erant foruli (tribunas vocant) unde prospectus est in altaria. In hos forulos singuli ex adolescentibus, qui nuper cum Griera ex Europa venerant, secedebant noctu, ibique se se verberabant pro subjiciendis legis jugo membris, numquam illis satis domitis. Observatum autem est ex uno forulo eum supra alios plagarum strepitum edi solere, ut horrorem audientibus incuteret. Ut natio adolescentium curiosa est, illorum unum (a quo id didici) cupido incessit ejus cognoscendi, qui adeo inhumaniter in artus suos sæviebat. Igitur ex insidiis oppertus est, dum ille peracta verberatione foras prodiret. Egressus est Griera. Et vero si ullum fuit tempus, quo benignius & ipse, & ceteri corpus tractarent, illud profecto fuit, cum fracti devenissent e longissima Oceani navigatione. Sed inducias sibi nullas concessit Griera neque in illa Bonau-

maurenſi commoratione, biſeſtri circiter, neque in reliquo deinceps vitæ tempore.

CARITAS.

LXXXI. **Q**UI porro in ſe ipſe ita erat immitis, in alios mitiſſimus ſemper & leniſſimus fuit. Nemo eſt, credo, mortalium, qui queri poſſit læſum ſe a Grierâ vel verbo aſperiore; ne tum quidem, cum ipſe lædebatur, ut quondam accidit, quando ultra modum in eum quidam immerito debacchatus eſt adeo, ut bini, qui aderant, fremerent viſa hominis importunitate. Grierâ tamen, nullo, quo ſe ſe tueretur, dicto verbo, comiter & blande iracundum mitigare ſtudit.

LXXXII. Linguae ita moderabatur, ut ei nihil licentiæ permetteret. Propoſuit theſim theologicam Boniſauris Xavier Miranda, cujus ſupra meminimus: impugnabat illam acriter Grierâ. Reſpondit certator diſcipulus, & hujus reſponſum pluribus explicavit magiſter. Grierâ ſcholâſtico ardore provectus: *hæc reſponſio*, inquit, *non eſt ad rem*. Poſt certamen utrimque pacifice, & amice diſceſſum eſt.

LXXXIII. Alta jam nocte, cum ſignum eundem cubitum eſſet datum, audiit Miranda pulſari oſtium cubiculi. Pulſabat Grierâ, qui, facta intrandi venia, ad illius ſe ſe genua provolvit, ac lacrimans parce, ait, parce mihi, Xavier, ab inſolentia, qua in te publice uſus ſum: nam cum dicere debuiſſem: *Hæc reſponſio mihi videtur parum eſſe ad rem*, præfracte dixi: *hæc reſponſio non eſt ad rem*. Ille, qua religioſum hominis animum, qua humilitatem miratus, ſerio, & ſincere affirmavit, nulla ſe ea in re affectum injuria, neque lamentari, neque dolere: licuiſſe non probanti reſponſum, palam reprobare: proinde iret, quieſceret, nec ſineret ab ſuſpicionem nihili ſibi ſomnum turbari: addidit ad extremum *vade in pace*: ſed pax fortasſe nulla Grieræ fuit ea nocte reputanti apud ſe quid ſibi excidiſſet.

LXXXIV. Fuit idem officioſiſſimus, & quibus poterat in rebus opem ferebat omnibus. Erat in collegio Cordubeniſi adoleſcens quidam vere mirandus.

Da-

Dabat operam primo Philosophiæ anno, & poeseos usum habebat, & cœperat jam Oratoris dotes explicare. Is, vix capto somno, versabat artes istas alte somnians æque bene, & aliquando forsitan etiam melius, quam si vigilaret. Argumentum proponebat, dividebat, confirmabat, opposita solvebat, neque a proposito, cum in longum tempus res protraheretur, abibat, sive vinc̃ta, sive soluta oratione uteretur. Aliqui e Sociis ad eum audiendum ultro veniebant, factum quippe erat prorsus insolitum. At ut id alios, qui recedebant, cum libuerat, recrearet; ei, qui una habitabat, hæc somnia erant valde gravia, neque enim nisi cum & ille somniando, & iste auscultando sessus fuerat, somnum licebat capere. Quapropter detestabant ceteri cum eodem vivere. Griera autem, contra, petiit, ut sibi socius daretur, gravissimo suo incommodo, nam binas, pluresve horas ducebat infomnes. Vellem hic (fas sit mihi paulisper digredi) ut Philosophi illi, qui disserunt de *somnambulis* (id est de eo hominum genere, qui dormientes ambulant, & exercent opera vigilantium) docerent nos ordine, qui istud fieret in erudito illo somniatore, præsertim cum crescente ætate, & collectis ex studio multo pluribus rerum formis, vis illa doctæ somniandi ipsum defecerit.

LXXXV. Alia in re adolescenti illi Griera opitulatus est. Ut magnus Cordubæ Tucumanorum erat numerus studentium Rhetoricæ, Philosophiæ, Theologiæque, bini ternive componebantur in idem cubiculum, quod statis diebus simul verrebant. Hoc ut solus faceret Griera, occasionem captabat absentis socii, qui deinde rediens amice querebatur non expectatum se ad istud commune opus. Tene expectarem? ajebat subridens: ego quidem qui jam ad metas studiorum perveni, scio egregie, atque ex arte verrere: tu autem etiamnum novitius Philosophus ne scopas quidem nosti tractare.

CUSTO-

CUSTODIA LEGUM RELIGIOSARUM
ET PIETAS.

LXXXVI. **J**AM vero præfectorum nutui, non solum voci, obtemperabat; neque vitus est umquam Instituti, cui se devoverat, leges violare. Ad quotidianas domestici ordinis exercitationes, audito tintinnabuli sonitu, tamquam Dei voce, præsto aderat. Quod cum semper ostenderit, id magis patefecit singulari in re. Venerat Bonasaurus liber quidam, recens e typis, & longe illinc editus, utroque magistratu sacro, & civili approbante, ita autem falsus, & amœnus in gravi alioquin argumento, ut titillaret legentium aures, & palatum. A cive, cui missus fuerat, certatim petebatur vel ad paucas horas, neque enim in urbe exemplum aliud erat. Uni e collegio commodatus est ad non longum tempus. Ille, ut lectio ad multos pertineret, vocavit ad se familiares quosdam, in quibus erat Grieria. Suspiciebant cuncti ingenium, & œstrum poeticum scriptoris: legebatur, & ventum erat ad fabulam lepidissimam. Dum inter risus audiunt attente, ecce tibi sub meridiem datur signum ad examen conscientie. Volebat lector, quod illius fabulæ reliquum erat persequi: sed surgens Grieria, vocatur, ait, ad examen, & in cubiculum e vestigio abiit, oblectationi illi litterariæ anteponebat obedientiam.

LXXXVII. Cum Oceanum trajecit, ac deinde Bonisauris, & in longo itinere illinc Cordubam, tironum, quibuscum ibat, spiritualibus exercitationibus, quæ multæ sunt, constanter institit, & erat ipse jam pridem veteranus, sed qui fervorem illum, atque exactam diligentiam, quam boni tirones in rebus agendis adhibent, toto vitæ tempore retinuit. Puræ conscientie cura, & animi mundities fuit eidem tanti, ut aliquando bis, terve uno die se se Sacramento poenitentiae expiarit. Pietati autem ita erat deditus, ut binæ tantum res Grieram delectarent, officia spiritus, & studium litterarum. Virginem **MARIAM**, ut dictum est, præcipue coluit. Ad illi dicatos

catos dies sollempniores duodecimdiali eo obsequio, quod duodecim stellarum vocant, parabat se se. Ut vero de Matris dignitate, & humilitate Filii præsentiora sibi proponeret monumenta, voluit ad ædem Lauretanam ire, altius ibi animo infixurus divina illa primordia humanæ salutis ex visa cultaque domo, ubi ea consecrata sunt.

LXXXVIII. Præter Sanctorum alios eximie amavit, atque imitari studuit Divum Aloysium, cujus in pervigilio & altum silentium servabat, & tolerabat jejunium pane solo, & aqua; S. Sigismundum, a quo nomen habuit, singulari etiam religione prosequabatur. Est Faventiæ in pomerio templum Divi illius nomine dicatum. Ad hoc templum, dum per valetudinem potuit, ibat litatum die Sigismundo sacra, Kal. Maji: ac vix umquam alia causa ex urbis portis egressus est.

LXXXIX. His rebus compararat se ille optime ad mortem, cui nihil propius affuit, quam ut succumberet ann. MDCCCLXXXVIII. mense Octobri. Convaluit tamen: atque ita res animi tum composuerat, ut familiari deinde ingenue dixerit, dolere sibi non obuisse. Quo die correptus ultimo illo, & brevissimo morbo est, petiit a Sacerdote, qui eum vespere invisit, ut pro se Domino supplicaret. Faciam, respondit ille. Mox breviter de Divo Xaverio, cujus pervigilium erat, colloqui sunt. Cum jam abiret, revocavit eum Giera: & quod dixi, ait, ut pro me supplices, non ita intelligi volo, ut pro salute corporis roges, sed ut fiat voluntas Dei, ipsiusque voluntati acquiescam. Facta Dei voluntas est, illique acquievit Giera inter acerbissimos dolores: posttridie autem ivit (ut sperare licet) ad Divi Xaverii amplexus in ipsa ejus celebritate, natus annos LXVI. Sepultus est in templo, quod Jesuitarum fuit, & nunc curant RR. Monachi e S. Bernardi familia.

INDEX RERUM.

A

- A** BIPONES. Indi coacti in oppida. pag. 152.
ACADEMIA Cordubensis in Tucumania. 225.
AGRAMONT Cajetan. Antist. mira in pauperes liberalitate. 282.
AGUILAR Jacob. eximius virtute & doctrina. 188.
AGUILAR Josephi Limani scripta. 177.
ALZOLÆ Joa. morti jam proximi grave dictum de Concionatoribus. 14.
AMOR fidissimus Indæ ethnicæ in maritum. 120.
AMOR tenerrimus Indi barbari in filiam. 121.
ANDREU Pet. Joa. Palmæ natus, studet litteris, & Academica refert præmia. 103. Navigat in Americam. 107. Mittitur ad Lules Indos. 108. Omoampas ter quarit summo labore. 111. Subductus neci barbaros pergit operose vocare ad fidem. 115. Multa patitur ab aquæ inopia. 118. Transfert alio Lulicum oppidum. 122. Neophytos alit indefessa cura, & industria singulari. 125. Vacat ministeriis Hispanorum. 131. Magnos colligit animorum fructus e piis laboribus. 135. Mocoviorum oppidum S. Petri plurimum fovet. 143. Init consilium egregium pro convertendo Chaco ad Dei, & Regis obsequium. 146. Jubetur exulare: quid tum fecerit. 156. In Europam renavigat. 158. Fuit vir simplicitatis & candoris eximii. 159. Eminuit paupertate, obedientia, & castitate. 160. Pietate in Virginem, & observantia in res sacras. 161. Fide, spe, & zelo pro Indorum salute. 162. Caritate in Deum, & proximos. 167. Moritur Ravennæ. 169.
APOSTATA Indus male perit. 120.
ARCE August. occiditur a barbaris. 139.
AREQUIPA urbs Peruvica Episcopalis. 52.

T

AR.

- ARGANDOÑA Pet. Mich. Antistes Tucumanicus. 136.
 ARGENTEI fluminis aditus difficilis. 258.
 ARTIGUES Pet. Ant. singulari zelo. 114. 122. Ædificat oppidum Indis Lulibus. 125. Cibi parcissimus. 131.
 ARTO Romanus graviter ab Indis vulneratus. 16.
 ATALAARUM tribus in oppidum coacta. 142.

B

- BAIGORRI Clemens insigni virtute adolescens. 205.
 BALDA Laur. S. Ignatii affinis oppidum Patagonibus ponit. 75.
 BAPTISMUS salutem corporis dat ægro puero. 110.
 Ab eo recipiendo Indi senes abhorrent. 163.
 BAPTIZATI fide a Judæo impio. 210.
 BARREDA Jos. e Peruvio Provincialis Paraguayæ. 193.
 BAZAN Pet. nobil. Hispan. Lulibus Indis favet maxime. 124.
 BLENDE Barth. occiditur a barbaris. 139.
 BONÆAURÆ urbs princeps. 259. 271.
 BRAVO ZAMORA Jos. Doctor Theol. curat optime Vilelas Indos. 136.

C

- CANARIÆ insulæ quot, & quæ. 253.
 CANGAPOL, sive CACIQUE BRAVO, qui fuerit, & quæ fecerit. 73.
 CANTONI FRAN. Comitis beneficentia. 208.
 GARDIEL Jos. oppidum Pampis ponit. 74. & seqq.
 CARTHUSIANORUM cœnobium celebre ad Xerez urbem in Bætica. 46.
 CASTAÑARES Aug. occiditur a barbaris. 139.
 CASTEL Bonav. puerum Indum miro modo a Deo vocatum baptizat. 110.
 CASTRO Bern. Vilelarum oppidum transfert. 137.
 CEVALLOS Jos. Antist. oppidum Vilelis condit. 135.
 CEVALLOS Pet. Prorex laud. 265. & seqq.
 CHACO regio. 113. 117.
 CHACENSIBUS ex oppidis quæ bona provenerint in urbes Hispanas. 152.

CHI-

INDEX

CHIQUITI aditi novo itinere.	291.
CHUNIPIES in oppidum coacti.	139.
CHUQUISACA urbs Peruvica Archiepiscopalis.	142.
CLAVIS SECRETI reperta in collegio Cordubensi.	21.
COLONIA Sacramenti qualis.	157.
CONCEPTIONIS oppidum Abiponum.	259.
ram.	152. Pampa-
CONFIRMATIONIS Sacr. a Presbytero Græco.	71.
CORTES Fern. Navarchus laud.	61.
CUZCO urbs regia Ingarum.	201.
	25. 33.

D

DIAZ Ludov. nobil. Hisp. Indis magnopere favet.	134.
DOBRIZHOFFER Mart. Abiponibus oppidum ponit, & vulneratur a barbaris.	166.
DUFUS Policarp. læsus graviter inter quærendum In-	
dos.	181.
DURAN Emm. Guanarum oppidum inchoat.	141.

E

ESCANDON Joa. pueritiam laudabiliter exigit.	170.
Societatem petit.	171.
Nobilitatem familiæ, & honores nihili ducit.	
Ibid. Tentatur vehementer contra religiosum statum.	173.
Aliis benignus, in se durus.	
Ibid. Studet Philosophiæ ac Theologiæ.	174.
Sacerdotii munia exacte obit.	176.
Præcepta Ecclesiæ religiosissime observat.	177.
Grammaticam, & Rhetoricam profitetur carus discipulis.	178.
Navigat in Americam, & sacra ministeria exercet.	179.
Mittitur ad Guaranios.	180.
Itatinos Indos laboriose quærit.	283.
Eximitur mortis periculo.	186.
Regit Collegium Monserratense.	189.
Comes & socius Provincialis multa patitur.	191.
Venit in Europam procurator provinciæ.	194.
Impetrat a Carolo III. supplementum Sociorum.	198.
Curat Matriti editionem duorum voluminum Guaranicorum.	199.
Relinquitur in Europa post conductum navigium.	201.
Navim aliam conducit, & navigat cum XLIII. Religiosis viris Franciscanis, quibus opitulatur.	203.
Plurima in navigatione mala perfert.	204.
Eligitur	ma-

- magister tironum . 204. Deportatur in Europam . 206.
 Moritur . 209. Fuit fide insigni , & obsequio in Ro-
 man. Eccles. 210. Spe . 211. Caritate in Deum . 211.
 In proximos . 173. 175. Pietate in Virginem . 211.
 Castitate . 212. Paupertate . 173. 187. 212. Patien-
 tia . 113.
EXORCIŒMORUM Ecclesiæ vis . 111.

F

- FALKNER** , five **FALCONER** Thom. præstantissimus
 arte medica, plurima apud Pampas patitur 74. & seqq.
FECHA Joa. docet musicen Indos . 129.
FERDINANDI S. oppidum Abiponum . 152.
FERRAGUT Jos. Indum ante mortis supplicium ad
 fidem convertit . 167.
FIDEI S. urbs vexata a barbaris . 123.
FIDEI S. collegium fovet Mocovios neophytos . 145.

G

- GIL** de Federich Ordinis Capuccinorum occisus pro-
 pter fidem in Tunquini regno . 216.
GOROSTIZA Rochus penetrat in Chacum , educit-
 que barbaros in oppida . 142.
GRIERA Sigismundus , adolescens innocens Societa-
 tem petit . 248. Studet Theologiæ . 249. Venit Olyf-
 sipponem . 250. Navigat in Americam . 252. Appel-
 lit in portum Coloniae Lusitanicæ . 258. Scrupulis
 vehementer angitur . 261. Bonisauris profitetur Phi-
 losophiam , & Sacram disciplinam . 263. Piis la-
 boribus totum se tradit . 264. Designatur Socius , &
 comes Provincialis , & venit ad Guaranios Indos .
 270. Redit in Europam . 275. Devehitur in Italiam .
 276. Moritur . 279. Præstitit valde patientia . 285.
 Humilitate , & paupertate . 279. Castitate . 282. Ca-
 ritate . 285. Coluit eximie **MARIAM** Virginem ,
 & **D. Aloysium Gonzagam** . 288.
GUAMANGA urbs Peruvica Episcopalis . 26.
GUANÆ Indi magistros fidei petunt . 140. Eorum
 mores . Ibid.
GUA-

INDEX

293

GUANARIORUM difficilis administratio.	67.
Septem illorum oppida justæ migrationi obsistunt.	195.
GUASP Ant. oppidum S. CORDIS JESU condit.	13.
Occiditur a barbaris.	14.
GUERRA regius Navarchus laud.	206.
GUILLERMUS Joseph. a barbaris necatus.	69.
GUTIERREZ Joa. Emm. oppidum struit Indis	112.
tinis.	185.

H

HERRERO Jacob. occiditur a barbaris.	16.
HIERONYMI S. oppidum Abiponum.	152. 163.

I

IGNATII S. reliquæ opitulatur Indæ periclitanti e	
partu.	72.
Ejus oppidum ex Indis Tobis.	152.
ILLANA Abad. Emm. Antist. Tucumanicus oppida	
Chacensia lustrat, & laudat.	130.
INDI munusculis alliciuntur. 114. 117. Tabescunt de-	
siderio soli nativi. 115. 165. Senes difficiliter ad fi-	
dem informantur, quam adolescentes. 163. Quibus	
usus equorum non est, mitiores sunt, quam eque-	
stres. 167. Hispanas urbes vexant, 154. 155. Quot	
in eis curandis difficultates.	162. 163.
JOLIS Jos. Chacum adit, & Tobas educit.	142.
ISISTINESII in oppidum coacti.	119.
ITATINI bina condunt oppida, quæ mire coale-	
scunt.	183. 185.

L

LIMA urbs princeps totius Americæ meridialis.	27.
LIZARDI Julianus occiditur a barbaris.	63.
EULES Indi Crucem sublime splendentem vident.	109.
Aluntur a collegio Tucumanico.	110.
Eorum pietas in itineribus.	128.
MA.	

M

- MACHONI** Ant. præstans cultor Indorum. 109.
 Ejus libri. Ibid.
MARIA ANNA Austriaca, Regina Lusitaniæ laud. 251.
MARTINEZ Petrus insignis Missionarius. 277.
MASCARDI Nicol. occiditur a barbaris. 69.
MATILLA Jos. Mart. Itatinis oppidum struit. 185.
MBAYARUM gens exculsa a Josepho Sanchez. 138.
MOCOVIORUM oppidum S. Xaverii. 143. & alterum S. Petri. 144.
MONSERRATENSE Seminarium in Tucumania laud. 227.
MORFI Car. Prætor Paraguaycus laud. 141. 184.

N

- NAVIGATIO** in Paraguayam describitur. 252. 253.
NEPOMUCENI S. Joannis oppidum Guanarum inchoatum. 241.
NERII S. Philippi vitæ lectio quid effecerit in Petro Joanne Andreu. 105. 106.

O

- OCOCLES** Indi in oppidum vocati. 142.
OLYSSIPPO urbs regia. 252.
OMOAMPÆ mites Indi, alienique a furto. 114.
OYARZABAL Ignat. eximius Missionarius Peruvium sacris ministeriis obit. 18. Quam acer in concionando. 19.

P

- PAMPÆ** Indi qui? eorum oppidum. 69. & seqq.
PARMÆ DUCIS singularis benignitas. 207.
PATRII soli vehemens desiderium in Indis. 115. 165.
PASSAINI in oppidum coacti. 142.
PATAGONIBUS oppidum positum. 75.
PAUKE Florianus Mocovios instituit. 143.

PHI-

INDEX

295

PHILIPPI V. Regis pro eximia liberalitate bina Sa-	
crificiorum millia a Sociis Paraguaycis litata .	64.
PISCES alati .	254.
PŒNA neglectæ vocationis ad fidem in Indo , & ejus	
familia .	121.
PONS Jos. fervens cultor Indorum multa pro Itatinis	
efficit .	182.
POTOSII montis venæ argenteæ .	19.
POZO Alphons. Antist. Tucumanicus præstanti fan-	
ctitate .	64.
PUDICITIA mirabilis in adolescente ethnico .	112.
PUELLÆ barbaræ responsum pudicum .	111.

Q

QUERINI Emm. Græcus Soc. ingreditur .	62.
in Hispaniam . Ibid. Navigat in Americam , & sæ-	
vissima tempestate jactatur in Argenteo flumine.	63.
Profitetur Rhetoricam , & Philosophiam Cordubæ	
Tucumanorum	64. 65.
Mittitur ad Guaranios .	66.
Enixe studet conversioni barbarorum .	68.
Condit Pampis oppidum .	69.
Provinciam lustrat magnis in-	
commodis .	78.
Renunciatur magister tironum .	79.
Eminet fide , spe , caritate , liberalitate in paupe-	
res .	80. 81.
Ardet vehementi desiderio videndi De-	
um .	82.
Humilis , pauper , sævus in se se .	83. 84.
Castus , & obediens .	87.
Ejus mortificatio , & zelus	
animarum	90.
Deportatur in Europam , & Romam	
venit .	94.
Vacat assidue meditationi & piis preci-	
bus .	98.
Studio religionis curat magnifice templo-	
rum ornatus . Ibid. Pie moritur .	100.

R

ROSARII oppidum Abiponum ad Timbo .	143.
-------------------------------------	------

S

SALCEDO Michael Prætor Bonaurensis Sacerdotes pe-	
tit pro Pampis fide instituendis .	69.
SANCHEZ Josef. Murcianus Superior Sociorum Cha-	
cenium .	130.
SAN-	

- SANCHEZ** Josef. Labrador Mbayis oppidum condit. 138. Novum iter ad Chiquitos, frustra sæpe quæsitum, aperit. 139.
- SANS** Vincent. inter prima litterarum studia virginitatem vovet. 217. Domo aufugit in tirocinium. 218. Insigne dat ingenii specimen singulari certamine de tota Philosophia. 220. Theologiam discit. 221. Navigat in Paraguayam. 223. Profitetur Philosophiam, & Theologiam in Cordubensi Academia. 224. Fovet magnopere pietatem discipulorum Academicorum. 225. Urget impense perfectionem adolescentium Religiosorum. 228. Dat operam civium ministeriis. 232. Eligitur comes, & socius Provincialis. 234. Deportatur in Europam. 235. Moritur Romæ. 241. **MARIÆ** Virginis cultum maximopere promovet. 242. Vota religiosa sancte observat. 244.
- SANTISSO** Joa. Prætor Tucumanicus laud. 148.
- SARRICOLEA** Joa. scribit cum laude ad Pontif. Max. de Academia Cordubensi in Tucumania, & de seminario Monserratenſi 226. De domibus item pro sacris exercitiis. 233. Et de ministeriis ruri obitis. 180.
- SCIENTIA** necessaria in cultoribus Indorum. 16.
- SMITH** Sebast. quid sæviante procella viderit ad ostia fluminis Argentei. 63.
- STATUA** B. Virginis **MARIÆ** servata ab incendio mittitur Cervariam e Paraguaya. 242.
- STROBEL** Matthias oppidum Pampis ponit. 71. Montanos Indos Hispanis reconciliat. 74.

T

- TENERIFE** insula, & mons altissimus. 253.
- TOBÆ** Indi quas strages ediderint. 123. 155. Coacti in oppidum. 152.
- TORRE** Emm. Antistes apud Mocovios. 144. Idem apud Itatinos. 184.
- TORRE** Joach. laud. 260.
- TRUXILLO** urbs Peruvica Episcopalis. 32.
- TUCUMANICI** magistratus testimonium de utilitate oppidorum Chacenſium. 154.

VA-

V

- VACAAS Indi in oppidum coacti. 142.
 VERGARA Emm. adolescens in balneo prope extinctus. 3. Magno ingenio in studia incumbit. 5. Societatem petit invito, ac dein reconciliato patre. 6. Singularem modo vocatur ad Americam. 8. In portum iens revivere suos non vult. 9. Navigans veritatis edit exempla. 10. Philosophiam, & Theologiam Cordubæ apud Tucumanos proficitur, & simul vacat civium procurandæ salutis. 13. 15. Peruvium totum obit sacris ministeriis. 18. Præficitur Sociis Peruvicis. 29. deinde Paraguaycis. 33. Anno integro post exilii legem detinetur apud Guaranios cum horum Curionibus. 38. 40. Denunciato exilio quid dixerit. 42. Deportatur in Europam, & liberaliter habetur a regiis ministris. 43. 45. Migrat ad cœnobium Carthusianorum. 46. Redit in urbem S. MARIE, & moritur. 47. Eximia fuit humilitate. 48. Insigni studio Orationis. 50. Amore in Virginem. 52. Castimonia. 55. Paupertate. Ibid. Patientia. 56. Quanta excelluerit doctrina, & quem tenuerit modum in concionando. 57. 58.
 UGALDE Fran. occiditur a barbaris. 230. Ejus virtutes. 231.
 VILERT August. oppidum Patagonibus ponit. 75.
 VIRGO a miraculo in urbe Saltæ. 35.
 URIZAR Steph. optimus Prætor Tucumaniz. 108.

X.

- XARANDILLA nobile municipium Extremaduræ, quo se recepit, abdicato Imperio, Carolus V. 1.
 XAVERIUS S. Franciscus libros in Indiam proficiens poscit. 17. Ejus sententia de perferendis Indis protervis. 165.

Y

- YANATACPA Caciqui ethnici mira pietas erga patrem, & sorores. 113.
 YE.

YEGROS Joach. Lules Indos instituit, & tuetur. 109.
 YEGROS Sebast. Itatinos quærit; inventis oppidum
 S. Joachimi ponit in Taruma. 183. Alios Indos co-
 git aliud in oppidum S. Stanislai nomine. 185.

Z

ZACINTHUS insula.	61.
ZAVALA Lucas Lules Indos alit.	110.
ZONA torrida.	203. 295.

ERRATA**CORRIGE.**

Pag. 27. lin. 29. undeoctoginta septem & septuaginta

Pag. 149. lin. 22. Chici Chaci

Pag. 163. Dröbrizhoffer Dobrizhoffer

